PHILIPPI A LIMBORCH


SS. Theologiæ inter Remonſtrantes Profeſſoris

HISTORIA INQUISITIONIS.

Cui ſubjungitur

LIBER SENTENTIARUM INQUISITIONIS THOLOSANÆ

Ab anno Chriſti cIↄcccvII ad annum cIↄcccxxIII.



AMSTELODAMI,

Apud HENRICUM WETSTENIUM.

cIↄ Iↄ c xcII.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO
PATRI AC DOMINO,
DOMINO
JOANNI,
ARCHIEPISCOPO
CANTUARIENSI,
TOTIUS ANGLIÆ
PRIMATI ac METROPOLITANO.

Liber hic, Reverendissime Domine, qui me obstetricante nunc in lucem prodit, & Historia mea de Inquisitione illi præmissa, quando utriusque argumentum, munusque amplissimum, quod in commune Ecclesiæ Reformatæ bonum maximâ cum laude, omniumque piorum unanimi applausu, hisce difficillimis temporibus sustines, considero, aut Tibi, aut mortalium nulli dedicandus videtur.

Ipse liber continet Sententias Inquisitionis Tholosanæ, sexdecim annorum spatio in Albigenses potissimum ac Valdenses circa initium sæculi decimi quarti

pronuntiatas. Multa non tantum in iis occurrunt curiosa, quibus illorum temporum historiæ non exigua lux affertur; Verum etiam ipsa Inquisitio, illiusque procedendi ratio, centenis aliquot sententiis ab ipsâ pronuntiatis, repræsentatur, & quasi in speculo conspicienda exhibetur: Unde & ipse Papatus, qui crudelitate ac persecutione se potissimum tuetur, propius agnosci potest, quod, quantumcunque, ut incautos fallat, ovinâ se pelle tegat, lupum in animo foveat. Historia mea Inquisitionis facem Sententiarum Libro præfert. Volui in eâ Inquisitionem, non fuco incrustatam, nec alienis & tetris coloribus deturpatam, sed vivis ac genuinis depictam repræsentare: hoc est, ex variis, non à Romanâ Ecclesiâ dissidentium, sed, ne ullus calumniæ sit locus, Pontificiorum Doctorum, quin & Inquisitorum scriptis, horrendi illius Tribunalis, quod se Sanctitatis titulo maximè jactat, vivam exhibere delineationem, quâ amplissima illa Inquisitoribus concessa potestas, crudelissimæ illius leges, & injusta procedendi ratio, ab omnium tribunalium ratione recedens, toti pateret orbi. Ut ita ipse Papatus qualis reverâ est ab omnibus cognoscatur. Non enim alio magis indicio conspicuus est, quam immensâ illâ ac supremâ potestate, quâ Papa Romanus se Christi in terris Vicarium asserens, fidei se judicem constituit, & in conscientias fidelium dominatum usurpat. Ille autem dominatus in Officio Inquisitionis maximè se ostentat. Hic enim Papa, tanquam supremus legislator, leges condit, quibus, gravissimis constitutis pœnis, omnes qui Christo nomen dederunt, nemine cujuscunque conditionis, ne Principibus quidem & Regibus exceptis, ad obsequium & fidem omnium, quæ Ecclesiæ Romanæ canonibus sancita sunt, constrictos cupit: Et tanquam supremus judex fidei tribunal erigit, cujus judicio nemo

mo fidelium sit exemtus: Inquisitores in quascunque provincias ac terras mittit, qui, tanquam judices ab ipso delegati, ipsius nomine judicium exerceant, omnesque Magistratus ac Principes mandatis suis, tanquam ipsius Papæ, obsequentes habeant. Ut hic se tanquam Deum ostendat, occultissima, &, si fieri possit, ipsas cogitationes rimari contendit, & punire. Secretissima quæ inter amicissimos agitantur, si vel levissima ex illis labefactatæ fidei suspicio colligi possit, Inquisitoribus denuntiari jubet, sub comminatione severissimâ, si quis quæ audivit aut vidit non protinus revelet, ut socius criminis, & Sancti Officii Inquisitionis impeditor censeatur: Ut sic ex levissimis indiciis de ipsis cogitationibus judicium ferat, aut adhibitis crudelissimis tormentis omnium quæ animo fovere creduntur confessionem exprimat, aut saltem factum vel verbum, quod suspicioni ansam præbuit, puniat. Utque tantò manifestius pateat, non in honorem, sed potius opprobrium Christi, tribunal hoc esse erectum, pænas illas constituit & judicia exercet, non in legum divinarum violatores profanos ac impios, fures, adulteros, ebriosos, conviatores, quos Scriptura regni cælorum non fore hæredes apertè pronuntiat: sed in suarum legum, quas præter & extra Dei verbum per temerariam potestatis spiritualis usurpationem, tanquam jugum unde obsequentes sibi subditos agnoscit, Ecclesiæ Dei imposuit, transgressores: Adeo ut, si quis vel minimam ab ipso mandatam ceremoniam non observet, aut quod credendum præscripsit non credat, licet claro Dei verbo persuasus aliter esse faciendum ac credendum, aut levissimum talis fidei edat indicium, crudeles Inquisitorum manus evadere minimè queat. Sic ex fructibus illis sua mandata divinis præferre arguitur.

Ex alterâ parte, Te, Præsul Venerande, Ecclesiæ Anglicanæ inter Reformatas longè eminentissimæ, præpositum, eoque nomine pene dixeram Ecclesiarum Reformatarum Defensorem, omnes, quotquot puritatem libertatemque Euangelicam sartam tectam cupiunt, undique suspiciunt & venerantur. Quippe qui aliis disciplinis consiliisque tyrannidi Pontificiæ planè contrariis, doctrinam fidemque Christianam promovere, hominesque in viam salutis pertrahere non frustrà laboras. Nam ut omittam genuinam & minimè fucatam, oraculisque divinis congruam, quâ polles, in prædicando Eloquentiam, in disputando vim & judicii acumen, Scientiam non ad ostentationem sed usum comparatam; reliquasque eximias dotes tuas, quibus jam olim omnium bonorum in Te spem oculosque convertebas, & jam Spartam tuam ornas: Liceat mihi ex animi tui mansuetudine, quæ Pastorem Euangelicum maximè decet, & in hoc sæculo non rarò desideratur, laboranti adhuc & nuper pene oppressæ Reformationi bene ominari: Eâ enim es vitæ integritate, eâ morum simplicitate & candore, eâ in omnes charitate & benevolentiâ, & ex rerum usu prudentiâ, ut te selegisse videatur divina providentia, sub cujus auspiciis Reformatarum Ecclesiarum unita & concors vis, sepositis inter se jurgiis, Libertatem Euangelicam & Religionem Christianam contra machinationes & immanem Pontificiorum crudelitatem se erigat & tutetur. Tu enim Charitatis verè Euangelicæ autor omnibus & exemplum, papalem tyrannidem sævitiamque iisdem artibus, vitæ scilicet sanctimoniâ & animi benignitate, oppugnas, quibus olim idololatriam, impietatem ac tyrannidem Ethnicam superavit & destruxit religio Christiana, quibusque semper de hostibus suis triumphatura est. Nullius itaque nisi tuæ tutelæ commendare possum opus, cu-

jus editionem, ita mihi persuadeo, mecum sis judicaturus maximè tempestivam; hoc præsertim rerum statu, quo Papatus, in Angliâ præcipuè, rursus se erigere & solus dominari contendit: ut omnes in hoc libro vivam ejus ac genuinam imaginem tanquam in speculo intuentes, fallaci ac fucatâ specie decipi se minimè patiantur; sed eum agnoscant qualis est; cætum nempe ac societatem hominum crudelium, sanguinariorum, dominatum in conscientias affectantium, & ubicunque datur usurpantium, atque ità regnum Christi regno oppositum erigentium. Ut sic tuo sub ductu & auspicio, tanquam Patris spiritualis, societatem ac dominatum illius horreant, ac toto animo aversentur, illiusque propagationi fide non fictâ, charitate verè Christianâ, & morum sanctitate obsistant. Utque porrò Reformatæ Ecclesiæ consulant incolumitati, vel præcipuè exinde discant omnem in dissentientes ac errantes, cætera pios, sævitiam ac supplicia detestari, certi nos omnes coram tribunali Christi, supremi Legislatoris ac Judicis, fidei nostræ rationem reddituros; nec ulli hominum fas esse conscientiis legem figere, ac credendi regulas præscribere; quia id reverâ est Christi tribunal conscendere. Ut sic Ecclesia tuo sub auspicio vigeat ac floreat; inimicitiæ, odia ac schismata, quibus miserè in partes est divulsa, aboleantur: Et si Deus peccatis nostris offensus nondum restituere nobis dignetur aurea primitivæ Ecclesiæ sæcula, quibus omnium fidelium erat cor unum & anima una; saltem omnes exinde discamus nullius conscientiæ dominari, nulli erranti ob simplicem & innoxium errorem supplicia irrogare, neminem ob ingenuam fidei suæ, cujus Deo rationem reddere paratus est, professionem morti tradere; sed rationum pondere, evidentibus ex Scripturâ allatis testimoniis errores revincere, atque interim errantium resipiscentiam

tiam cum mansuetudine ac patientiâ expectare, si forte ipsis Deus concedat, ut agnitis erroribus veritatem sincerè atque ex animo amplectantur. Deus pacis, qui eduxit è mortuis magnum illum Pastorem ovium in sanguine æterni testamenti Dominum nostrum Jesum Christum, sanctissimos tuos pro pace ac salute Ecclesiæ labores bene fortunet, concedatque ut iisdem, quibus primum & nata est, & aucta, & firmata, præsidiis fæliciter restituas collapsam, & fulcias vacillantem. Quod sincero ac obsequioso affectu precor

Reverendissimæ Tuæ Dignitatis

Humillimus ac Devotus Cultor

PHILIPPUS a LIMBORCH.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Librum Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ editurus, idem aliis eventurum, quod in me ipso expertus fui, facilè colligere potui; multa nempe in sententiis his fore minus clara, nisi Inquisitionis ratio & modus in eâ procedendi aliquatenus cognitus sit. Quare ut tibi, Lector, consulerem, dissertationem de Inquisitione præmittendam censui. Cum verò autores, qui materiam Inquisitionis tractant, evolverem, adeò copiosa se mihi obtulit materies, ut priore consilio abjecto integram Inquisitionis Historiam mihi conscribendam duxerim. An aliquatenus exspectationi tuæ satisfecerim, tuum est judicare. Animus certè tibi inserviendi minimè defuit. Historiam ipsam quatuor complexus sum libris, quibus quicquid materiam Inquisitionis spectat, & libri sententiarum elucidationi inservire potest, adeò plenè explicui, ut eâ perlectâ nihil obscuritatis in lectione Libri Sententiarum tibi reliquum fore confidam. Ex legibus & bullis, passim contra hæreticos editis, percipies, cur singulis pœna talis inflicta, & crimina reis objecta, imo & sententiæ, hîs, & non aliis verbis, conceptæ sint. Et quamvis pœnæ, quæ pœnitentibus per modum pœnitentiarum salutarium imponuntur, sint arbitrariæ, & Inquisitorum arbitrio permissæ; tamen & illæ certis quibusdam legibus & consuetudinibus diriguntur; adeò ut auditâ criminum lectione quæ reo alicui objiciuntur, exinde facilè colligi possit, ad qualem ille pœnitentiam, juxta leges & consuetudines in Inquisitione receptas, sit condemnandus.

Studium partium transversum me non egit, ut aliquid veritati minus consonum scripserim. Autoribus usus sum Pontificiis, quin imò Inquisitoribus, & Inquisitionis Consultoribus, quos in Inquisitionis odium quædam de Inquisitione minus vera scripsisse tantum abest, ut ubique Inquisitionis sanctitatem deprædicent, & quantum Ecclesiæ Romanæ usum præstet sine fine ac modo inculcent. Quicquid ergò illi de Inquisitione, ac modo procedendi coram illius tribunali, scribunt, tutò me sine cujusquam calumniâ narrare posse, certus sum. Et ut omnis calumniandi præcidatur ansa, ipsa Doctorum Pontificiorum verba sine ullâ immutatione, prout in ipsorum libris exstant, retinenda censui; nisi quando ob nimiam prolixitatem ego illa in compendium redegi, in quo tamen, quantum compendii ratio permisit, ipsa eorum verba retinui. Ita ut qui historiam meam leget, non tam mea, quam ipsorum Inquisitorum aliorumque Doctorum Pontificiorum, verba lecturus sit. Credidi hac ratione me maximè inservire publico, si ostendam, quale, testibus ipsis Pontificiis ac Inquisitoribus, tribunal Inquisitionis sit. Unicus inter omnes autores est Reginaldus Gonsalvius Montanus, quem Reformatum fuisse liquet, &, quantum ex libelli ipsius lectione colligere licet, ex illorum numero unum, qui circa obitum Cæsaris Caroli V. Hispali detectis in Ecclesiâ Romanâ gravibus erroribus ac superstitionibus, Ecclesiam Deum purius colentium instituerunt: Quæ sævissimâ illâ Inquisitione, cujus A-

ctus Fidei anno quinquagesimo nono superioris sæculi Hispali & Pinciæ habiti sunt, dissipata est. Verum ex illo autore vix quicquam habeo, quin idem ab aliis autoribus affirmetur: solummodò varia suppeditat exempla, quibus quæ alii de Inquisitione, illius legibus, & procedendi ratione scribunt, egregiè illustrantur. Huic jungere possem Jacobum Usserium, Archiepiscopum Armachanum, è cujus tractatu de Successione Ecclesiarum in Occidente quædam mutuatus sum: Verum quoniam ea desumta sunt ex autoribus Pontificiis, quorum creberrimæ in illo tractatu occurrunt citationes, jure meritò ea quæ inde transcripsi eandem apud Pontificios autoritatem habere debent, ac si ex ipsis illis autoribus, quorum verba vir ille doctissimus citat, à me citata essent.

Unum fortasse miraberis, Benevole Lector, quod semper eos, contra quos Inquisitio procedit, hæreticos *appellem. Verum ego Paparum bullas & Conciliorum Papalium decreta referens, iisdem quibus illi vocibus uti debui. Per* hæreticum *itaque intelligo hominem ab Ecclesiâ Romanâ hæreseos condemnatum. Illorum enim decreta non aliis quam ipsorum verbis referre potui; eademque porro ubique fermè retinere debui, nisi iteratâ ac millies repetitâ mutatione historiæ seriem interrumpere, & scriptionem minus gratam facere vellem. Itaque semel hic dixisse sufficiat, voce* hæretici, *quotiescunque de Inquisitione contra hæreticos loquor, me non designare hominem verè hæreticum, sed ab Ecclesiâ Romanâ pro hæretico habitum, voce hac sensu Pontificio acceptâ. Interim quos illa pro hæreticis habet, mihi hæretici non sunt: nec, quos illa damnavit, pro hæresi, sed pro testimonio Jesu Christi & bonâ conscientiâ servandâ, mortem oppetiisse, ignisque supplicium fortiter sustinuisse, sincerè credo. Hæc paucis te volui, Benevole Lector; tu candidè judica. Scribebam Idibus Septembris* anno CIↃ IↃC XCII.

SYL-

SYLLABUS AUCTORUM,

Ex quibus Historia Inquisitionis potissimum est concinnata.

Directorium Inquisitorum Fr. Nicolai Eymerici Ord. Præd. cum Commentariis Francisci Pegnæ J. V. D. Romæ in ædibus populi Romani. MDLXXXV. fol.

Nicolaus Eymericus natus est Gerundæ in Catalonia, fuit Monachus Ord. Præd. Floruit temporibus Urbani V. & Gregorii XI. PP. & Petri IV. Aragonum regis. Creatur Generalis Inquisitor circa annum Domini 1358. & successor fuit Nicolai Rosell, anno 1356. in Cardinalium numerum allecti. Mortuus est 4. Januar. anno 1393. cum per quadraginta quatuor annos continuos officium SS. Inquisitionis exercuisset.

Franciscus Pegna fuit Hispanus ex regno Aragonum, assumtus fuit in auditorem Romanæ rotæ in locum Christophori Robusterii die 14. Octob. 1588. ad ejusdem tribunalis decanatum adscendit die 9. Junii 1604. in locum Cardinalis Hieronymi Pamphilii: ac tandem obiit in decanatu die 21. Augusti 1612.

Francisci Pegnæ Instructio, seu Praxis Inquisitorum, cum annotationibus Cæsaris Carenæ. Lugduni 1669. post Carenæ tractatum de Officio SS. Inquisitionis. fol.

Guidonis Fulcodii Cardinalis, & postea Summi Pontificis Clementis IV. quæstiones quindecim ad Inquisitores; cum annotationibus Cæsaris Carenæ. ibid.

Lucerna Inquisitorum Fr. Bernardi Comensis, cum annot. Francisci Pegnæ. impressa Romæ cum licentiâ Superiorum, ex officina Bartholomæi Grassi. 1584.

Jacobus Simancas Pacensis Episcopus de Catholicis Institutionibus.

Joannes à Royas juris utriusque Licentiatus, Inquisitor hæreticæ pravitatis Valentinus, de hæreticis eorumque impiâ intentione & credulitate.

Zanchini Ugolini Ariminensis Jurisconsulti tractatus de hæreticis: cum Additionibus Fr. Camilli Campegii Pap. Ord. Præd. in universo dominio Ferrariensi Generalis Inquisitoris.

Conradus Brunus de hæreticis & schismaticis, lib. 6.

Forma procedendi contra hæreticos, seu inquisitos de hæresi, & in causa hæresis. Autor creditur Joannes Calderinus.

Hi quinque autores exstant in parte 2. tom. XI. tractatuum illustrium Jurisconsultorum, quæ agit, de judiciis criminalibus S. Inquisitionis.

Ludovicus à Paramo Boroxensis Archidiaconus & Canonicus Legionensis, regnique Siciliæ Inquisitor, de Origine & Progressu Officii Sanctæ Inquisitionis, ejusque dignitate & utilitate. Madriti, ex typographiâ regiâ CIƆ IƆ XCIIX. fol.

Antonii de Sousa Ulyssiponensis, Ord. Præd. S. Theol. Magistri, Regis & supremi S. Inquisitionis tribunalis Consiliarii, Aphorismi Inquisitorum. Lugduni, apud Anisson. 1669. 8.

Cæsaris Carenæ S. Theol. Doctoris, Cardinalis Camporei Auditoris, Judicis Conservatoris, Consultoris, & Advocati Fiscalis S. Officii, tractatus de Officio Sanctissimæ Inquisitionis, & modo procedendi in causis fidei. Lugduni apud Anisson. 1669. fol.

Reginaldi Gonsalvii Montani Sanctæ Inquisitionis Hispanicæ artes aliquot detectæ ac palam traductæ. Heidelbergæ 1567. 8.

Pauli Servitæ Historia Inquisitionis, præsertim prout in Dominio Veneto observatur.

Relation de l'Inquisition de Goa. 12. à Paris 1687.

Memoires de la Cour d'Espagne. 12. à la Haye. 1691.

Abrahami Bzovii Annalium Ecclesiasticorum Baronii Continuatio, Antwerpiæ 1617.

Annales Ecclesiastici ex tomis octo ad unum pluribus auctum redacti: Autore Odorico Raynaldo Tarvisino Congregationis Oratorii Presbytero. Romæ ex typographia Varesii. 1667.

Compendium Bullarii Flavii Cherubini. Lugduni apud Laurentium Durand, 1624. 4.

Lucæ Waddingi Annales Minorum, in quibus res omnes trium Ordinum Franciscanorum tractantur. Lugduni 1625. fol.

Jacobi Augusti Thuani Historia sui temporis.

Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus de Successione Ecclesiarum in Occidentis præsertim partibus.

Liber Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ.

Liber catenatus, MS. inter archiva Capituli S. Salvatoris, Trajecti ad Rhenum.

Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, Caroli du Fresne Domini du Cange. Lutet. Paris. 1678. fol.

Dominici Macri Hierolexicon. Romæ 1677. fol.

IN-

INDEX LIBRORUM & CAPITUM.

LIBER PRIMUS,

De Origine & progressu Inquisitionis.

LIBER SECUNDUS.

De Ministris Officii Inquisitionis.

INDEX CAPITUM.

LIBER TERTIUS,

De Criminibus ad Inquisitionis Tribunal spectantibus.

LIBER QUARTUS.

De modo procedendi coram Tribunali Inquisitionis.

IV.

Cap. Pag.

ERRA-

ERRATA ET ADDENDA.

Pag. 223. lin. 2, & 3. lege. *in animo judicantis, sedet in examine veritatis pro.*
- - - lin. 4. - - - - - *terribili propriæ voluntatis.*
- - - lin. 18. - - - - - *& reconsiliare.*
- - - ibid. - - - - - *ministerio incumbentia.*
- - - lin. 30. - - - - *parvi pendere.*
275. lin. 24. - - - proposita.
281. lin. 7. - - - eum.
290. lin. 13. - - - Pujolibus.
350. lin. 26. post, *observare.* Adde. Huic ritui alius immediatè subjungitur, quem in degradatione Jacobi pseudo-minoritæ observatum notat liber catenatus Capituli Sancti Salvatoris Trajecti ad Rhenum, fol. 105. verso. „ Quo facto Episcopus in continenti in signum „ deletionis unctionis sacerdotalis cum vitro exunxit leviter citra „ sanguinis effusionem loca manuum quæ fuerunt inuncta, du„ cens tractum cum illo vitro à pollice dextro per indicem si„ nistrum : deinde fecit secundum tractum à pollice sinistro per „ indicem dextrum, sicut moris, quando Episcopus aliquem „ in sacerdotem inungit. Ita, demptis omnibus insignibus sacerdotalibus, reliquorum Ordinum ornamenta detracta sunt.

Ibid in fine pag. addatur. Rasio illa capitis hoc ritu peragitur, juxta librum catenatum fol. 106. „ Episcopus cum forpice incepit tondere parumper „ capillos capitis sui (sc. Jacobi minoritæ) & postea barbaton„ sor illud cum novaculâ perfecit, ita quod in eo nullum re„ mansit vestigium tonsuræ vel clericatus.

Pag. 275. *lin. penult. post* Pontificii, *adde*, qui carcerem Inquisitionis experti sunt, uno omnes ore conqueruntur,

HISTO-

HISTORIA INQUISITIONIS.

LIBER PRIMUS,

De origine & progressu Inquisitionis.

CAPUT I.

Doctrina Jesu Christi omni persecutioni religionis causâ est adversa.



Nquisitio, cujus nomen ante sæculum decimum tertium inauditum fuit in Ecclesia Christiana, nunc vero omnes terrarum angulos pervasit, & quo nihil hodie celebratius est, multorum curiositatem excitavit, propius eam cognoscendi, quibus nimirum ea legibus administretur, & quis procedendi modus in eâ observari soleat. Romanæ siquidem Ecclesiæ Doctores summis eam laudibus extollere solent, tanquam unicum ac certissimum exstirpandis hæresibus remedium, fidei propugnaculum inexpugnabile, non ab humana prudentiâ & consilio proditum, sed è cœlo donatum: cujus tribunal nil nisi sanctitatem spirat: quam propterea titulis meram sanctitatem referentibus describere solent: Ipsa Inquisitio Sanctum Officium, carcer Inquisitionis Sancta Domus appellatur: ut ita ipsa appellatio venerationem tribunali isti conciliet. Imo eam quidam eatenus cum sole comparare non verentur, ut sicut inepte facit qui solem commendat, & laudibus tollit, sic & Inquisitionem. Reformati vero tribunal illud non tantum sanguinarium vocant & crudele, sed & summe injustum; in quo cum non observentur leges quibus alia tribunalia diriguntur, multa quæ alibi injusta censentur hic ut sancta laudantur: quin & tantum abesse credunt, ut (quod præcipue in omni tribunali spectari debet) coërcendis sontibus inserviat, ut potius in veritatis oppressionem, superstitionis & tyrannidis defensionem, inventum sit, & vel ipsi innocentiæ, licet luce meridianâ clarius luceat, summæ nequitiæ ac perfidiæ labem inurere comparatum sit, & illius potissimum judiciis plurimi innocentes sævissimis suppliciis crudeliter sint interemti. Quare operæ pretium facturus videor, si illius tribunalis originem, & contra quos ac quâ ratione in eo procedi soleat, accuratius descripsero. Quod ut recte præstetur, altius adscendendum est, & ab ipsâ origine totum negotium repetendum.

Religio Christiana spiritu divino per Apostolos prædicata, præceptorum sanctimoniâ, promissorum magnitudine, ac miraculorum gloriâ divinitatem suam hominum animis insinuans, sine ullis armis ac potentiâ mundanâ totum ferme mundum ad sui obsequium perduxit. Ipse Dominus voluntarium ab hominibus obsequium exigit, dum spiritu coli vult, & cuicunque se in disciplinam suam tradenti abnegationem sui præcipit: quæ non nisi mente ac animo peragi potest. Illa autem vi ac coactione humanâ minime producitur. Quin & Deus Pater jam olim naturam regni Filii sui Jesu Christi designare cupiens, illud sub figurâ Filii hominis Danieli repræsentavit, cum alia mundi hujus regna ferarum imaginibus depinxisset: non aliam procul dubio ob causam, nisi ut naturam regni Jesu Christi à regnis hujus mundi penitus diversam ostendat: hæc erigi, propagari ac conservari violentiâ ac armis, moribusque ferinis: illud vero, mansuetudine, lenitate, vi rationum, quibus animi persuadeantur & non invi-

invriti trahantur. Ipsa Evangelii præcepta nihil aliud spirant nisi charitatem & amorem; charitatem novum suum præceptum vocat Servator, unde discipulos suos agnosci cupit. Charitati autem nihil magis adversum est, quam supplicium errantis, & errore suo gloriam divinam se promovere credentis, & pro illius assertione mortem, etiam cruentam & ignominiosam, ultro subire parati. Instar ovium in medium luporum Servator suos discipulos emisit; qui suppliciorum tolerantiâ Euangelio testimonium perhibentes, bonum illius odorem quaquaversum diffunderent. non vero voluit, ut luporum instar oves dilanient, & quos rationum pondere Christo lucrifacere non possent, mortis ac tormentorum metu territos ad nomen Christo dandum violenter cogerent. Quin & omnium consensu fides Dei donum est: illud autem vi humanâ ingenerari nequit, neque homo externâ vi cogi potest ut Deus suum illi donum communicare dignetur. Argumentis animus persuadetur; linguæ ac membra corporis vi externâ cogi possunt: ut vero animo extorqueatur assensus rei, quam falsam esse persuasus est, fieri neutiquam potest. Nihil itaque religionis Christianæ genio magis est adversum, quam errantes persequi, & sub infami hæreticorum nomine plebis furori expositos crudeli interimere supplicio.

Neque credendum, id solummodo initiis Euangelii fuisse consentaneum, cum Ecclesia potestate sæculari destituta, & religionibus quæ passim in mundo vigebant evertendis intenta, Magnatum in se iram ac violentiam provocarit: aliam autem ejus esse conditionem, quando reges ac Imperatores ad fidem illius conversi sceptra sua Jesu Christo subjicere tenebantur. Non enim cum fortunâ religio Christi mutatur, neque illius præcepta rerum hujus mundi statu mutato vim obligandi amittunt. Christus enim per Apostolos prædicatus *non est ita & non*, sed idem semper in omnia sæcula. Sceptra reges Christo subjicere debent, non suppliciis cogendo homines contra mandatum Christi, ut reluctante animo ac conscientiâ ea quæ falsa credunt profiteantur, atque ita hypocritis, non vere fidelibus, Ecclesiam replendo: Sed leges constituendo æquas, justas, Euangelii præceptis consentaneas, quibus ita tueantur quietem publicam, ut nihil decernant, quo sincerus Dei cultus, qui animo constat, & salus animarum impediatur. Hæc est illa innocentissima ac maxime potens Euangelii propagatio, naturæ ac genio illius consentanea, quâ, sicut olim per paucos inermes, & solo spiritu divino instructos, rationum pondere & miraculorum virtute brevi tempore per totum terrarum orbem propagata est; ita etiam nunc porro propagari, & contra quoscunque tam infidelium, quam hæreticorum insultus, pura & illibata conservari potest. Non enim contra fraudes, imposturas, violentiam atque persecutiones mundi, carnalibus Ecclesiam armis instruxit Christus; sed spiritualibus, quæ potentia sunt in Deo, quibus in captivitatem redactus fuit omnis intellectus in obsequium Christi: eamque triumphare voluit de mundo, mediis in afflictionibus, innocentiâ, simplicitate, patientiâ ac tolerantiâ. Tantum itaque abest, ut innoxiè errantibus persecutiones & supplicia inferre voluerit, ut & persecutionem patienti Ecclesiæ pro persecutoribus orare jusserit. Hoc modo fundata fuit olim Ecclesia, & primis ac maxime innoxiis sæculis potentissime per omnes terras propagata.

CAPUT II.

Sententia primorum Christianorum de persecutione.

PRaxi huic consentanea fuit temporum illorum unanimis ac constans doctrina. Primi siquidem Christiani omnem sævitiam, omnem persecutionem religionis causa omnibus viribus oppugnarunt. Verum quidem est, eos Ethnicorum sævitiam redarguisse, in eoque totos fuisse, ut Christi sectatoribus concederetur liberum religionis suæ exercitium: Attamen iis utuntur argumentis, & lo-

& loquendi modis, nonnunquam etiam de aliis differentes materiis ea scribunt; quibus omnem vim religionis ergo contra qualemcunque adhibitam ex æquo se damnare ostendunt. *Tertullianus* ait *Apolog. cap.* XXIV. *Videte, ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab invito coli vellet, ne homo quidem.* Et *cap.* XXVIII. *Quoniam autem facilè iniquum videretur liberos homines invitos urgeri ad sacrificandum; nam & alias divinæ rei faciundæ libens animus indicitur; certe ineptum existimaretur, si quis ab alio cogeretur ad honorem Deorum, quos ultro sui causa placare deberet.* Et *ad Scapulam, cap.* II. *Humani juris & naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere; nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est, cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi, cum & hostiæ ab animo lubenti expostulentur. Ita & si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis Diis vestris: ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi contentiosi sint: contentiosus autem Deus non est.* Magistro suo Tertulliano consentit *Cyprianus Epist.* LXII. *ad Pomponium de Virginibus*, ubi agens de excommunicatione peccantium, ita ait: *Interfici Deus jussit Sacerdotibus suis non obtemperantes, Judicibus à se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem quia circumcisio spiritalis esse ad fideles servos Dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur; dum de Ecclesia ejiciuntur.* Et *Epist.* LI. *ad Maximum Presbyterum, &c.* refellens eos, qui se ab Ecclesia separabant, hac ratione eos alloquitur: *Posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus & hæreticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset. Illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi non ad Ecclesiam de carcere redirent, in quem prius cum Ecclesiæ laude & gratulatione venissent. Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, ut frumentum esse possimus; ut cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit:* In domo autem magna non solum vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam honorata, quædam verò inhonorata. *Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus: cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus. Nec quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicare potest, ut putet aut ad aream ventilandam & purgandam, palam ferre se jam posse, aut à frumento universa zizania humano judicio segregare.* Et *Epist.* LV. *ad Cornelium. Nec præpositum servum deseri à quibusdam miretur aliquis; quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut graviter comminatus est; sed magis conversus ad Apostolos suos dixit, nunquid & vos vultis ire? servans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appetit, vel salutem.* Et post pauca quædam. *Quod nos attinet, conscientiæ nostræ convenit, frater charissime, dare operam, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat: si autem quis ultro & crimine suo perierit, & pœnitentiam agere, atque ad Ecclesiam redire noluerit, nos in die judicii inculpatos futuros, qui consulimus sanitati, illos solos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari.* Ex quibus omnibus cum clarè satis constet, Cyprianum docuisse, omnem vim religionis ergo adversari genio religionis Christianæ, non possum, quin paucis indicem malam fidem Bellarmini, qui *Controv. tom. II. lib. de Laicis cap.* XXI. Cyprianum nobis adducit tanquam hæreticidii patronum, qui *lib. de exhortatione Martyrii cap.* V. *postquam retulerat ex Deut.* XIII. *necandos esse pseudo-prophetas, subdit: Si hoc in Testamento Veteri fiebat, nunc magis faciendum esse.* Si enim verba Cypriani immediatè sequentia addantur, liquebit contrariam planè illius fuisse mentem: Ita quippe Cyprianus habet: *Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta servata sunt: quanto magis post adventum Christi servanda*

da sunt; quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis, post omnes injurias & contumelias passus quoque & crucifixus, ut nos pati & mori exemplo suo doceret; ut nulla sit homini excusatio pro se non patienti, cum passus sit ille pro nobis, & cum ille passus sit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis suis pati unumquemque debere? Quæ si integrè simul legantur, manifestum est ea, quæ a Cypriano dicta sunt, ut hortetur ad martyrium, pessima fide a Bellarmino esse detorta, quasi suadeat hæreticidium.

Lactantius clarius multo ac apertius eandem doctrinam propugnat. *Lib.* v. *cap.* xx. *Non est opus vi & injuria; quia religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum; si ratio eorum vera est, afferatur: parati sumus audire, si doceant. Tacentibus certè nihil credimus, sicut ne sævientibus quidem cedimus. Imitentur nos, aut rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, uti ipsi objectant, sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus. Inutilis enim est Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente.* Et paulo post. *Sciant igitur vel ex hoc ipso, quantum intersit inter verum & falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt, imperiti ac rudes possunt, quia res ipsa & veritas loquitur. Quid ergo sæviant, ut stultitiam suam dum minuere volunt, augeant? Longe diversa sunt, carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi.* Et post pauca quædam. *Sentiunt nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed monendo: non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quam religio; in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientia vel morte defendas; in qua fides conservatur, & ipsi Deo grata est, & religioni addit auctoritatem.*

Hæc fuit innocentissima primorum Christianorum fides ad Euangelii exemplar expressa, cum nondum mundus in Ecclesiam intravit, suoque splendore ac fastu Christianorum mentes pervertit, & mores innoxios corrupit.

CAPUT III.

Leges Imperatorum post Concilium Nicænum contra Arianos aliosque hæreticos.

POstquam verò Constantino Imperatore ad religionem Christianam converso rerum summa penes Christianos fuit, mox fortunâ mutatâ magna etiam in doctrina & moribus mutatio facta est, & degeneres posteri majorum vestigiis relictis Ethnicam crudelitatem, imo Ethnicâ sæviorem, tandem in Ecclesiam reduxerunt. Primam occasionem dedit contentio inter Alexandrum Alexandriæ Episcopum, & Arium ejusdem Ecclesiæ Presbyterum. Ea cum ad Imperatorem Constantinum esset delata, primum Imperator per epistolam utrumque graviter reprehendit: Alexandrum quidem, quod incautè rogarit, Arium verò quod inconsultò responderit *de quæstione, quam nullius legis necessitas præscribit, sed inutilis otii altercatio proponit:* & ad pacem seriò hortatur, inter alia his verbis: *Proinde & incauta interrogatio, & inconsulta responsio, in utroque vestrum veniam sibi mutuo concedant: neque enim de præcipuo & summo legis nostræ mandato inter vos est orta contentio; neque novum aliquod a vobis de Dei cultu introductum est dogma: sed unam eandemque sententiam tenetis; adeo ut ad communionis societatem coire facile possitis.* Postea vero, sive Episcoporum quorundam hortatu, sive quod ita imperii sui rebus conducere credidit, Concilium Nicæam convocavit, ut illius auctoritate Arii sententia condemnaretur. Illius Synodi gesta omnium optimè Euse-

Eufeb. de Vit. Constant. l. 2. c. 69, 70. Socr. l. 1. c. 7.

se-

sebius, qui illi interfuit, enarrare potuisset; verum ea æternæ maluit oblivioni tradere, & paucissimis tantum verbis illius exitum describere: quibus si jungamus, quæ apud Socratem paulo uberius de eâ exstant, manifestum est, omnibus, qui decretis Synodalibus calculum adjicere detrectarunt, exilii pœnam denuntiatam, cujus metu procul dubio (ut sunt res humanæ) plures, ut subscriberent, compulsi fuerunt: pauci autem exilii metu nequaquam territi, quia cum aliis Arium condemnare noluerunt, in exilium missi sunt, unà cum Ario sententiâ Synodi condemnato. Addidit Imperator edictum, quo omnes ab Socr. l. 1. c. 9.
Ario conscriptos libros flammis absumi jubet; constitutâ pœnâ mortis in quemcunque, *qui librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, nec eum statim oblatum igne combusserit.* Postea in quoscunque dissentientes legem tulit, quâ uni- Euseb. de vita
versa loca in quibus cætus suos peragunt, auferri præcepit, ac non tantum in Constant.
publico, sed ne in privatis quidem ædibus, ac locis ullis privati juris conve- lib. 3. c. 65.
niendi licentiam reliquit.

Postquam semel ad duriora remedia deventum est, & potestas secularis pœnis civilibus animadvertere cœpit in illos, quorum doctrina Conciliorum sententiâ condemnata fuit, quos infami hæreticorum nomine appellare, & plebi exosos reddere mos fuit, intra unam pœnam severitas non substitit; sed mox aliæ aliis superadditæ sunt, ut ita doctrina à Concilio damnata, dum nullos habet propugnatores, penitus etiam exstirpetur. A pœnis pecuniariis deventum est ad amissionem bonorum, exilium, ac tandem ad cædem & sanguinem. Raro enim intra primos terminos consistit crudelitas, verum ubi semel illi fenestra aperta est, mox velut ruptis obicibus quaquaversum se diffundit, ac continuo ex quavis occasione nova incrementa capit. Id clarissimè in hac, de qua nunc agimus, hæreticorum coërcitione apparuit.

Primo namque conditæ sunt leges contra hæreticos, quibus vetatur, ne ecclesias habeant, ne conventus agant, ne bona ecclesiastica possideant, ne Episcopos consecrent, ne sacerdotes ordinent, ne testamenta ordinare, aut ex quibuslibet successionibus aut liberalitatibus capere eis liceat, ne publicis officiis præficiantur, & qui has leges non custodiunt, justis pœnis plectantur.

Ac primo quidem L. *Omnes.* C. *de hæret.* definitur, quinam habendi sint hæretici: *Hæreticorum vocabulo continentur, & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Eadem lege præcipitur: *nemo ulterius conetur, quæ repererit profana præcepta, vel docere vel discere.* Lege sequente *Cuncti.* adimuntur ipsis omnes Ecclesiæ, & sacra peragere, tam in privatis ædibus, quam Ecclesiis interdicitur, statutâ pœnâ centum librarum auri in contraventores. Durior est sequens lex, *Manichæos.* quæ ipsis potestatem aufert donandi, emendi, vendendi, aut cum quoquam contrahendi, testamenta condendi, aut in bona paterna succedendi, nisi à paterna pravitate discesserint. De exilio hæreticorum multæ exstant leges civiles. Theodosius II. & Valentinianus III. enumeratis triginta duabus sectis, & earum sectatoribus: *Hi omnes,* inquiunt, *& cæteri qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt Manichæi, nusquam in Romano solo conveniendi morandique habeant facultatem.* L. *Ariani.* C. de hæret. *Manichæis etiam de civitatibus expellendis, & ultimo supplicio tradendis, quoniam nihil his relinquendum loci est, in quo & ipsis elementis fiat injuria.*

Vide etiam L. *Quicunque*; ubi non tantum prædicta repetuntur, sed & aliæ in illos pœnæ constituuntur, quæ omnes exstant in lege Imperatoris Martiani, qua pœnas præcedentium Imperatorum contra Eutychianos innovat; quæ legitur post Concilium Chalcedonense, & quam unam hic exhibere suffecerit. Hac lege statuit Imperator, *ut non habeant potestatem faciendi testamenti, & condendæ ultimæ voluntatis; neque id capiant, quod ipsis ex testamento cujusquam fuerit derelictum; nihil etiam ex donatione aliqua consequantur; sed si quid in ipsos vel liberalitate viventis, vel morientis fuerit voluntate collatum, id fisco nostro protinus addicatur. Ipsi*

verò in nullos aliquid ex facultatibus suis donationis titulo & jure transfundant. Episcopos quoque vel Presbyteros aliosque Clericos illis creare & habere non liceat; scientibus tam Eutychianistas, vel Apollinaristas, qui ausi fuerint cuipiam Episcopi, vel Presbyteri, vel Clerici nomen imponere, quam hos, qui conati fuerint impositum sibi nomen sacerdotale retinere, pœnam exilii, & facultatum suarum amissionem subituros. Eos verò, qui antehac Catholicarum ecclesiarum Clerici, vel orthodoxæ fidei monachi fuerunt, & relicto vero & orthodoxo omnipotentis Dei cultu, Apollinaris vel Eutychetis hæresim & dogmata abominanda sectati sunt, vel postea sectabuntur, omnibus pœnis, quæ vel hac, vel prioribus legibus adversus hæreticos constitutæ sunt, jubemus teneri, & extra ipsum quoque Romani imperii solum pelli, sicut de Manichæis præcedentium legum statuta sanxerunt. Universi præterea Apollinaristæ, vel Eutychianistæ, non Ecclesias, non monasteria sibi construant, parasynaxes & conventicula tam diurna quam nocturna non contrahant, neque ad domum, neque ad possessionem cujusquam, neque ad monasterium, neque ad quemcunque alterius locum operatores sectæ funestissimæ congregentur. Quod si fecerint, & hoc factum fuisse domino volente constiterit, post rem in examine judicis approbatam, domus vel possessio, in quam convenerint, fisco sine dilatione societur: monasterium verò, ejus civitatis orthodoxæ ecclesiæ, in cujus territorio est, jubemus addici. Si verò ignorante domino, sciente verò qui pensiones domus exigit, vel conductore, vel procuratore, vel actore prædii parasynaxes, & conventicula interdicta collegerint; conductor vel procurator, sive actor, vel quicunque eos in domum, vel in possessionem, vel in monasterium receperint, ac passi fuerint illicitas parasynaxes conventusque celebrare, si vilis & abjectæ conditionis sint, fustibus publicè, & in pœnam suam, & in aliorum coërceantur exemplum: si honestæ vero personæ sint, decem libras auri mulctæ nomine fisco nostro cogantur inferre. Nullum præterea Apollinaristam, vel Eutychianistam, ad aliquam jubemus aspirare militiam, nisi ad cohortalinam, vel limitaneam. Si qui vero extra prædictam militiam inventi fuerint militare, soluto cingulo honestorum hominum & palatii communione priventur, nec in aliqua, quam in ea in qua nati sunt civitate, vel vico ac regione, versentur. Si qui verò in hac almâ urbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu, quam omni per provincias Metropolitana civitate pellantur. Nulli insuper Eutychianistæ, vel Apollinaristæ, publicè vel privatim advocandi cœtus, & circulos contrahendi, & hæretico more disputandi, ac perversitatem facinorosi dogmatis asserendi sit facultas. Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere atque emittere, aut aliorum super eadem rescripta proferre: nemo hujusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta servare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Eos verò, qui discendi studio audierint de infausta hæresi disputantes, decem librarum auri, quæ fisco nostro inferenda sunt, jubemus subire dispendium. Ultimo etiam supplicio coërceantur, qui illicita docere tentaverint. Omnes verò hujusmodi chartæ ac libri, qui funestum Eutychetis, hoc est, Apollinaris, fuerint dogma complexi, incendio concrementur, ut facinorosæ perversitatis vestigia ipsa flammis combusta depereant. Æquum namque est, ut immanissima sacrilegia par pœnæ magnitudo percellat. Scientibus moderatoribus provinciarum, eorumque apparitoribus, defensoribus etiam civitatum, quod si ea, quæ legis hujus religiosissimæ sanctione custodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliquâ permiserint temeritate violari, denarum librarum auri mulctam fisco nostro inferre cogantur; insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt: Dat. Constantinop. Id. August. Constantio & Rufo Coss.

Interim qui sævas ejusmodi leges condiderunt, nullam se conscientiis vim adferre videri voluerunt. Idem hic Imperator Martianus, in alia epistolâ ad Hierosolymitanos Archimandritas, quæ etiam post Synodum Chalcedonensem legitur, ait: *Igitur nostra clementia nulli penitus necessitatem præcepit imponi, quatenus aut subscribat, aut consentiat, si noluerit. Non enim terrore aut violentiâ aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* Quis non miretur speciosos adeo sævitiæ

tiæ quæri prætextus? Doctrina, ad cujus professionem se obligatos credere debent, quicunque se de illius veritate persuasos credunt, addisci & doceri prohibetur, additis severissimis pœnis; professores illius pluribus ob illius professionem exponuntur suppliciis; & tamen nullam eorum conscientiis vim adferre pœnarum illarum auctores videri volunt. Velim autem quærere, quò tendant omnes illæ in hæreticos constitutæ pœnæ? Certè non alium in finem, quam ut illarum metu deterreantur, ne in cœtus coëant, ne doctrinam suam, ad cujus confessionem & propagationem se obligatos credunt, nec ipsi palam profiteantur, nec alios doceant: & ut tandem omnibus hisce malis fracti, cœtibus publicis se adjungant, & doctrinæ in illis receptæ confessionem simulatam edant. Atqui hoc est vim conscientiis inferre, seu, homines metu suppliciorum terrere, ne quod credunt confiteantur, & ut se quod non credunt credere simulent; quod utrumque non nisi repugnante & contrarium dictante conscientiâ fieri potest.

Acrioribus autem verbis concepta fuit constitutio Theodosii, quæ exstat in Codice Theodosiano, tit. *de Judæis*. l. prima. & lib. XVI. tit. 6. l. 75. in qua hæc leguntur. *Præterea præcipimus, ut quicunque servum vel ingenuum, invitum, vel suasione flectendo ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniatur.* Et paulo post. *Cernat præterea bona sua proscripta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnavit perversâ doctrina.* Lex hæc adeo placet Simancæ, ut sibi gratuletur eam ab Hispano Imperatore profectam: illâ enim recitata, mox addit; *Lex profecto Imperatore Hispano digna.* Quasi nempe Hispaniæ laus sit, omnibus populis crudelitatis palmam præripere; & sicuti nunc sanguinario Inquisitionis tribunali alias nationes crudelitate antecellit, ita etiam ad gloriam illius faciat, semper sæviora aliis supplicia miseris errantibus constituisse. Honorius etiam & Theodosius Augusti Cod. *Ne sanctum baptisma iteretur*, l. 2. ita præcipiunt: *Si quis rebaptizare quempiam de ministris Catholicæ sectæ fuerit detectus; unà cum eo, qui piaculare crimen commisit (si tamen criminis per ætatem capax sit) & hic, cui persuasum sit, ultimo supplicio percellatur.*

Simanc. tit. 46. §. 48.

Et ne ullâ ratione sententia in Synodo condemnata conservari, aut ad posteros propagari possit, eorum libros habere aut describere severissimis legibus cautum est. Vidimus mox legem Constantini contra omnes, qui Arii libros occultassent: similiter edictum Martiani, contra libros Eutychetis. Similem edidit legem Theodosius, contra Nestorii libros, postquam ipse in Concilio Ephesino damnatus esset; l. *Damnato.* C. *de hæreticis.* *Nec vero impios libros nefandi & sacrilegi Nestorii, adversus venerabilem orthodoxorum sectam decretaque sanctissimi cœtus antistitum Ephesi habiti scriptos, habere, aut legere, aut describere quisquam audeat: quos diligente studio requiri, ac publice comburi decernimus.* Justinianus autem etiam constituta pœnâ amputationis manus hæreticorum libros describi vetuit: Postquam enim in Synodo V. Anthimus condemnatus esset, hanc contra illius libros sanxit legem. Novel. XLII. cap. 1. *Universis interdicimus, aliquid de libris ipsius possideri: Et sicut non licet Nestorii libros scribere vel possidere (quia prædecessoribus nostris Imperatoribus in suis Constitutionibus visum est statuere similia his quæ dicta & scripta sunt a Porphyrio in Christianos) sic nec dicta & scripta Severi maneant penes aliquem Christianum; sed sint profana & aliena ab Ecclesia Catholica, igneque comburantur a possidentibus, nisi qui ipsa habeat velit periculum pati. A nemine ergo scribantur, neque ad pulchritudinem neque ad velocitatem scribentium, sciendo quia amputatio manus, his qui scripta ejus scripserint, pœna erit.* Ex omnibus hisce legibus infert Conradus Brunus, etiam hæreticroum scholas esse destruendas. Hoc modo. „Hæreticorum „scholæ his fere rebus destruuntur: si magistri hæreticorum e medio tollantur, „si discentibus accessus ad eorum scholas interdicatur; loca in quibus docere „consueverunt ecclesiasticis usibus vindicentur. Magistri e medio tolluntur, „publica de ipsis sumta vindictâ: ea est ultimum supplicium, quo scilicet

Brunus l. 6. c. 5. §. 27. &c.

„ coërcentur hæretici, qui illicita docere tentaverint. Ut Valentinianus & „ Martianus constituerunt l. *Quicunque.* c. *de haret.* Discentes ab auditoriis hæ- „ reticorum pœnâ pecuniaria repellentur; hanc decem librarum auri in eos con- „ stituit Martianus Imperator. d. l. *Quicunque.* §. *Eos vero.* c. *de haret.* Gene- „ raliter domus, in quibus hæretici congregationes & conventicula celebrarunt, „ vel fisco vel ecclesiis vendicantur, maxime vero in quibus errores & hære- „ ses suas docuerunt. Id Justinianus definit in constitutione adversus Anthimum „ &c. *Interdicimus autem.* &c. Placuit nempe Christianis, sicut in dissentientium persecutionibus Ethnicam imitari sævitiam, ita etiam in destruendis illorum scholis exemplum capere a Juliano, quod vel ipsis Ethnicis sævum ac crudele visum fuit: Ita quippe de eo testatur Ammianus Marcellinus lib. XXV. pag. mihi 532. *Jura condidit non molesta, absolute quadam jubentia fieri, vel arcentia, prater pauca: inter qua erat illud inclemens, quod docere vetuit magistros Rhetoricos & Grammaticos Christianos, ne transirent a numinum cultu.* Verum progressu temporis, dominante Papâ, Christianorum edicta hanc Juliani sævitiam longissimè superarunt.

Hæ quidem fuere leges Magistratus sæcularis: Verum eas approbantibus Episcopis editas esse, nemo, qui nostra tempora cum antiquis conferet, in dubium vocare potest. Decreta sua & anathemata bruta fulmina esse, & ut talia contemni, Episcopi nolunt. Quos sententiâ sua condemnarunt, etiam justè condemnasse videri volunt: & quorum doctrinam anathemate feriunt, eorum infulas & cathedras occupare gestiunt: ut ergo illis potiantur, potestas sæcularis in illos armanda est, & civiles contra eos decernendæ leges, per quas dignitatibus exuantur, & in exilium pellantur, ut ipsi vacuas possint occupare sedes. Nec credat quispiam tempora antiqua sanctiora fuisse nostris. Idem qui nunc Synodos dirigit spiritus mundanus antiquorum Conciliis præsedit. Vel ipsum Concilium Nicænum, tantopere celebratum & plurimorum encomiis decantatum, videamus: Tanta fuit Episcoporum in illud congregatorum animi impotentia, tantæ ac tam acerbæ contentiones, ut causæ principalis, ob quam convocati fuerant, obliti, alter alterum oblatis libellis supplicibus coram Imperatore accusaverint, qui, ut contentionibus istis finem imponeret, libellos comburi, & ut omissis illis negotium ad quod evocati essent aggrederentur jussit. Quis credat, homines, qui animis irâ ac odio turgidis, mutuamque vindictam spirantibus, convenerunt, acquievisse, postquam adversarii sui, quem oderant, condemnationem procurarunt? ac non potius Imperatorem omnibus viribus instigasse, ut a se condemnatum terris suis porro proscriberet? Et ne hic conjecturis agamus, narrat Socrates *Hist. Eccl. lib.* VII. „ *cap.* 3. de Theodosio Synadensi in Phrygiâ Pacatiana Episcopo, quod hæ- „ reticos, quorum in eâ civitate ingens erat multitudo ex Macedonianorum se- „ ctâ, acriter persequebatur; eos non ex urbe solum, verum etiam ex agris „ expellens. Id autem agebat, *non ex more orthodoxa Ecclesia, qua persecutio- „ nem exercere non solet*, nec rectæ fidei studio incitatus; sed avaritiæ obnoxius „ pecunias ex hæreticis colligere cupiebat. Omnia igitur molitus est adversus „ eos qui Macedonianam sectam sequebantur, Clericorum suorum manus ar- „ mans, & diversis machinationibus eos appetens, adeo ut judiciorum etiam „ nexibus eos adstringere non cessaret. Præcipuè vero Episcopum illorum, „ cui nomen erat Agapetus, variis affecit molestiis. Verum quoniam rectores „ provinciæ ad puniendos hæreticos haudquaquam ei sufficere videbantur, „ Constantinopolin profectus, edicta præfectorum prætorio flagitavit.

Simanc. tit. 49. §. 14.

Romani etiam Episcopi nequaquam veriti sunt Imperatorum auxilium contra hæreticos implorare. Anastasius Papa Manichæos, quos ad fidem Catholicam perducere non potuit, ne sanctum gregem suâ contagione polluerent, per publicos judices perpetuo exilio relegavit. Et Leo Magnus ad Leonem Augustum scribens, inquit: *Hareticorum pertinax insidiosa contentio illico conquiescit,*

scit, si imperiali potestate frænetur. Et ad eundem Epist. 43. *Dignamini pro fide vestrâ etiam ecclesiæ istam præstare medicinam, ut tales non solum ab ordine clericatus, sed etiam ab urbis habitatione pellantur, ne ulterius sanctus Dei populus perversorum hominum contagio polluatur.* Et Pulcheriam Augustam adhortatur *Epist.* XLV. ut Eutychen *ab eo loco, qui Constantinopolitanæ urbi nimis vicinus est, longius transferri præcipiat, ne frequentioribus solatiis eorum, quos ad impietatem suam traxerat, uteretur.* Baron. A°. 451. §. 10.

Quin & nonnunquam ipsi Romæ, ubi rerum potiebantur, persecutionis autores fuere. Celestinus, narrante Socrate *Hist. Eccl. lib. VII. cap.* 11. Novatianis Ecclesias, quas Romæ habebant, ademit, & Rusticulam, eorum Episcopum, clam in privatis ædibus plebem colligere compulit. Etenim ad id usque temporis Novatiani Romæ plurimum floruerant, cum multas ibi Ecclesias possiderent, & maximam populi multitudinem in eis colligerent. Sed invidia quoque istos attrivit; cum (NB) *Episcopatus Romanus perinde atque Alexandrinus, ultra sacerdotii fines progressus, jam olim in dominationem degenerasset.* Et ob hanc causam Episcopi Romani, ne illos quidem, qui cum ipsis in fide consentiebant, liberè conventus agere siverunt; sed illos ob consensionem fidei laudantes omnibus tamen bonis spoliarunt. At Constantinopolitani Episcopi ab hoc morbo immunes fuere: Non enim solum Novatianos intra urbem conventus agere sinebant, verum etiam singulari amore eos complectebantur. Constantinopoli vero, ubi rerum non potiebantur Romani Episcopi, Imperatoribus continuis sollicitationibus hæreticorum oppressionem extorserunt. Imperante Justiniano sequaces Anthimi & Severi conventus suos liberè agebant, licet à Papâ Romano damnati & excommunicati. Quare Episcopi Secundæ Syriæ, nec non Archimandritæ & Monachi literas dederunt ad Agapetum Romanum Episcopum tunc Constantinopoli degentem, quâ ab hæreticis liberari rogarunt: Episcopi quidem: *Tollite à nobis cito malos, offerte consuetum sacrificium hoc Deo & Salvatori pro conservandâ nobis bonâ defensione in futuro tremendo judicio: liberum ab omni timore & hæreticâ tertiò repetitâ fluctuatione ornatum ecclesiasticum conservate, statum confirmate, rursumque exponendo justissimo Imperatori nostro pias ac justas sententias contra ipsos prius ab Apostolicâ sede prolatas, statuendo per illas impia scripta tradere igni, & habentes illa in publicum prodere, juxta imitationem eorum, qui zelant pessumdare Manichæa, & illa impii Nestorii & Eutychetis insensati ac Dioscori patris & protectoris eorum. Sic enim evacuabitur omnis exspectatio his, qui frustrà sperant in eis. Rogamus etiam, Sanctissime, finem perfectum imponere divinæ ac vestræ sententiæ contra Anthimum, paternis vestris decretis convenientem, ut omne de medio exstinguatur scandalum à parvulis in Dominum credentibus, & omnibus nobis.* Monachi vero eadem petentes, tandem petitioni suæ hanc subjungunt rationem: *Etenim & hujus gratiâ Romam ad vos misimus, & vestrum exoptatum adventum denuntiavimus, & ipsum suscepimus. Tales à piissimo Imperatore nostro promissiones accepimus, quod ea quæ à vobis canonicè pronuntiata sunt, sua pietas omnino studeat mandare executioni, & totum mundum deinceps liberare à temporali horum turbatione.* Agapetus suâ sententiâ Episcopos & Monachos prævenit, ac jam ante oblatos ipsi hos libellos, Anthimum condemnavit, pronunciavitque, ut sicut anteà episcopatu Constantinopolitano fuerat exutus, etiam ab Episcopatu Trapezuntii, & omni sacerdotali munere & functione omnino sit extorris: *acceptos vero dictos libellos tum Episcoporum, tum etiam Monachorum, misit ad Justinianum Imperatorem, quò ab eo damnati expellentur hæretici.* Addit mox Baronius: *Cum jam omnia ista ab ipso facta essent, implessetque in omnibus partes suas, sanctissimus Agapetus ex hac vitâ migravit, tanquam omnibus absolutis ad quæ missus erat post opus vocaretur ad præmium.* Quasi nempe Imperatorem ad hæreticorum à se condemnatorum persecutionem concitando heroico actu, qui salutis æternæ præmium mereatur, extremum vitæ diem clauserit. Post mortem Agapeti Monachi sanguinarias suas petitiones ad Imperatorem iterant, rogantque, ut ab Anacleto damnati hæretici procul ejiciantur. *Timendum enim est* (inquiunt) *piissime Imperator, ne propter multam dilationem illud Israëlitici populi patiamur & nos, in medio habentes ab omni sacerdotio anathematizatos, qui quoniam in medio habuit* A°. 536. § 54.

Achan & Jonathan in scientiâ & ignorantiâ seipsos anathemati subjicientes, in periculo fuit totaliter perire, licet ignoraret quod in medio haberet anathema. Non ergo Christianissimi Imperatores tale malum contemnite, sed utimini zelo ad cognitionem Dei & his quæ ipsius sunt, adimplentes quod scriptum est: Ventilator impiorum rex sapiens: ut cum David, & Josia, & Elia, ac Agapeto, qui maxime zelaverunt pro Deo, partem vos habeatis in præsente quidem, sicut & illi, & sub scabello pedum omnes inimicos vestros subjiciat; in futuro vero cum illis æternum regnum tribuat, qui promisit coram isto centuplum, & in futuro sæculo vitam æternam donare. Non multo post, à Synodo Constantinopoli, annitentibus Legatis Romanis condemnatus est Anthimus, ejusque sequaces; variique Imperatori libelli exhibiti, quibus hæreticos a Synodo damnatos expellere obnixè rogabatur; adeo ut ecclesiasticorum improbis sollicitationibus Imperatori persecutio illa extorta sit.

Nonnunquam tamen vidimus persecutiones ab Episcopis improbatas, quin & Episcopos, qui persecutionis autores fuerunt, ab aliis moderatioribus propterea fuisse reprehensos. Narrat Sulpicius Severus *Idacium atque Ithacium parum sanis consiliis judices sæculares adiisse, ut eorum decretis atque executionibus hæretici* (Instantius & Salvianus, Helpidius & Priscillianus) *urbibus pellerentur:* postea vero cum Priscillianus a Synodo Burdegalensi ad principem provocasset, etiam secutos esse accusatores, Idacium & Ithacium Episcopos: *Martinum* vero *Episcopum, tum apud Treveros constitutum, non desiisse increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret; Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis superque sufficere, ut episcopali sententiâ hæretici judicati ecclesiis pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut causam ecclesiæ judex sæculi judicaret.* Et tantum hæc Martini intercessio valuit, ut *quamdiu Treveris fuit cognitio dilata sit; & mox discessurus, egregiâ autoritate à Maximo elicuerit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum.* Nihilominus tamen post ipsius discessum Priscillianus capitis damnatus est. Quod vero Bellarminus ad exemplum hoc excipit, reprehensos hos Episcopos, *quia causam ecclesiasticam ad Imperatorem deferebant; & quia assumserunt officium accusatoris in causâ sanguinis;* frivolum admodum est. Verum quidem est, reprehendit Martinus Ithacium, quod Priscillianum coram Imperatoris tribunali accusaverit, idque non tam odio hæresis, quam cupiditate victoriæ, ut Sulpicius Severus ait; ideoque addit Martinus, novum esse & inauditum nefas, ut causam ecclesiæ judex sæculi judicaret. Verum eo ipso ostendit Martinus, quia causa fidei non spectat ad tribunal sæculare, ideo etiam nec pœnas, quæ sunt tribunalis sæcularis, in negotio fidei locum habere, nec hæreticorum sanguine hæreses posse aut debere compesci: ac propterea etiam à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Fatemur nos cum Bellarmino, non debere Episcopum accusatorem agere in causâ sanguinis: Sed nequaquam concipere possumus, quâ ratione Episcopus, cui illicitum est accusatorem agere, possit non tantum hæreticos excommunicare, sed &, quod urget Bellarminus, relinquere judici sæculari, & hortari etiam judices, ut munere suo fungantur. Hoc enim majus quid est, quam accusatorem agere. Accusator enim crimen probare intendit, ut eo probato judex sententiam pronuntiet. Quando vero Episcopus reum sententiâ sua pronuntiavit hæreticum, & judici sæculari tradit, necessitatem imponit judici, hæreticum damnatum, sine ullo ulteriore examine, supplicio ignis interimendi; & si hic aliquantum cunctetur judex sæcularis, Episcopus eum hortatur, quin & excommunicationis pœnâ compellit, ut munere suo fungatur. Quis hic Episcopum ab hæretici sanguine ac cæde immunem pronuntiabit? Quis non videt, unicam necis hæretici causam esse Episcopum; Magistratum vero sæcularem instrumentum tantum cædis esse, Episcopo per omnia inserviens cæca obedientiâ, cuique illicitum est, sub qualicunque prætextu, obsequium Episcopo denegare? Quare si accusatoris partes in causâ sanguinis Episcopo suscipere illicitum est: multò magis illicitum censeri debet, damnatos hæreticos judici sæculari tradere, & maximè, judices hortari ut munere suo fungantur. Sed vero è diverticulo in viam

De laicis c. 22.

viam redeamus. Non contentus Martinus increpare Ithacium, postquam Priscillianus capitis supplicio fuit affectus, eum, & qui cum eo cædis autores fuerunt, excommunicavit. Illius excommunicationis metus effecit, ut cæde plurium, qui jam in carcere detinebantur, supersederetur. Imperator Ithacio Ursatoque favens, Martinum sæpe sollicitat, ac tandem imperat, ut cum illo communicet: nec prius ab ipso obtinere potuit Imperator, ut communicet, quam promiserit se tribunos jam in excidium ecclesiarum ad Hispaniam missos retracturum: nec ut communionem illam subscriptione firmaret, summâ vi licet Episcopis nitentibus, extorqueri potuit: adeo indignum ipsi visum fuit homines ob errorem in fide mortis supplicio afficere. Verum ejusmodi Episcopi, qui se adeo animosè persecutoribus opposuere, oppidò rari fuerunt: quare & plerumque quibusvis suppliciorum generibus in hæreticos sævitum fuit. Sulp. Sev. Dial. 3. § 15.

CAPUT IV.

Arianorum persecutiones in Orthodoxos.

SEd nec Ariani, quando Imperatorem a suis partibus stantem nacti sunt, ullum sævitiæ genus omiserunt; verum illos, a quibus ejecti fuerant, crudeliore odio persecuti sunt. Notæ omnibus sunt persecutiones in Athanasium, ipsorum adversarium acerrimum, institutæ. Ipse Athanasius in epistolâ ad solitariam vitam degentes plurima crudelitatis ipsorum exempla nobis refert, quæ verbis quantum potest exaggerat, & passim per totam epistolam narrat: quod in Ægypto Episcopos flagellaverint & acerbis vinculis constrinxerint, Sarapammonem in exilium miserint, Potammonem ita plagis in cervicem conciderint, ut pro mortuo relictus sit, & non multo post ex dolore & plagis obierit: Quod mulierem mortuam sepeliri prohibuerint: Quod plures Episcopos sedibus suis ejecerint, & in exilium miserint; quódque ab Imperatore edictum obtinuerint, ut Episcopi isti non solum civitatibus & ecclesiis ejicerentur, sed & capitali pœnâ, ubicunque inventi essent, plecterentur. Additque: *Tantus certè terror illorum hominum fuit, ut multos coëgerint ad hæresis simulationem, multosque eo metu affecere, ut maluerint in heremum defugere, quam vel semel in illos incidere.* Alio in loco dicit; *Quot Episcopi ad præsides & reges adducti sunt, & a judicibus hanc sententiam audiverunt, aut subscribite, aut ab Ecclesiis recedite? Detrahi enim vos ab Ecclesiis Imperator jussit. Quot in singulis urbibus palabundi sese sparserunt, ne ut Episcoporum amici accusarentur? Nam & Magistratibus scriptum est, & mulcta pecuniaria denuntiata, nisi quisque suæ civitatis Episcopum subscribere coëgisset. In summâ, omnia loca, omnes civitates implebantur terroribus & tumultibus, cum & Episcopi traherentur, & judices viderent luctus & suspiria populorum.* Et tandem post varias Arianorum sævitias ac persecutiones tragicè admodum enarratas: *Quin imo ne corpora quidem occisorum suis ad sepulturam concessere, sed locis occultis abdiderunt, ut laterent scilicet ipsorum homicidia.* Quibus addi plura alia possunt, quæ in eâdem epistola passim occurrunt. p. 817. p. 821. p. 829. p. 859.

In Apologiâ etiam I. de fugâ sua, similia habet: inter alia, quod Sebastianus dux copiarum, instigatus a Georgio Episcopo, *Virgines ignibus flammantis rogi admotas, per vim adigeret, ut fidem Arianam se dicerent profiteri, & cum eas invictas cerneret, earum corpora nudarit, atque ita in faciem ceciderit, ut vix longo post tempore à suis potuerint agnosci: Viros autem quadraginta comprehensos novâ ratione laceraverit: Virgis enim palmeis aculeos suos adhuc retinentibus ita terga eorum cecidit, ut alii sæpius a medicis ob tenacius inhærentes aculeos curarentur, alii curationem non tenentes mortem oppeterent: cæteros deinde omnes, quotquot comprehenderant, unà cum virginibus in eam partem Ægypti, quæ magna Hoasis appellatur, relegarint.* p. 704.

Et ne prætextus ipsis deësset, quo palliare has suas persecutiones possent, narrat Victor de persec. Vandal. lib. 2. ipsos easdem leges, quæ a Catholicis contra hæreticam impietatem latæ sunt, invertisse, & contra Catholicos executos;

ita ut, quod à Catholicis ipsi passi essent, nunc vicissim, cum potestatem sæcularem sibi habuere faventem, Catholicos pati coëgerint.

Brunus L. 2. c. 3. Lucius Arrianus Episcopus, præter cædes, tormenta, exilia, suspendia, incendia, innumeras crudelitates, quas in Catholicos exercuit, monasteria etiam & heremum monachorum devastavit. Similia ferme de Severo Antiocheno Episcopo narrantur. Victor lib. I. de persecutione Vandalorum, dicit eos Arianâ hæresi infectos in Africâ, incendiis & homicidiis passim vastasse regiones, ecclesias, basilicas & monasteria concremasse & dejecisse; Pontifices & Sacerdotes variis pœnarum generibus exstinxisse, ut traderent, si quid auri vel argenti proprium vel ecclesiasticum haberent; & si quid traderetur, aliis crudelioribus tormentis ursisse, ut quod restabat exhiberent, autumantes, partem tantum non totum esse oblatum. Ecclesias passim Catholicis eripuerunt, & claudi jusserunt. Idem Victor lib. 2. c. 3. varia crudelitatum genera, quibus Ariani Catholicos afflixerunt recenset; quod nimirum Catholici in Africâ à Vandalis primum Ecclesiis & domibus sint spoliati, mox extra muros propulsi; non animal illis, non ferrum, non vestimenta dimissa: Quin edicto quoque publico mandatum, ut nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam præstaret; qui autem hoc miserationis causâ facere tentasset, cum universâ domo sua cremaretur. [C. 6 § 6. c. 8. § 4, 5.]

C. 8. § 8. Hunericus Vandalorum rex Arianus in Africâ, inter alias crudelitates quibus Catholicos affecit, immensam eorum multitudinem in angusta & deterrima loca coartavit alium super alium, ut agmina locustarum; in quâ constipatione secedendi ad naturale nulla ratio sinebat loci, sed stercorum & urinarum urgente necessitate ibidem faciebant, ut ille tunc fætor & horror universa pœnarum genera superaret. Victor lib. 2. qui se hæc vidisse commemorat.

Idem Victor plures Hunerici crudelitatis species enarrat, quas omnes hîc enumerare, longum foret: Paucis dixisse sufficiat, aliis linguas exsectas, aliis manus amputatas, aliis oculos effossos, alios pedibus truncatos, alios ad necem usque tormentis excruciatos. Vide & hist. Tripart. lib. 5. cap. 32. & lib. 4. cap. 39.

Varias etiam Donatistarum & Circumcellionum crudelitates recenset Augustinus Epistola L. ad Bonifacium: & Epist LXVIII. & passim in variis libris, quos contra Donatistas scripsit. Adeo ut Christiani mutuis inter se laniensis decertasse videantur, & tota vitæ Christianæ perfectio non in morum sanctitate, sed in zelo amaro ac indiscreto quæsita sit; ita quidem, ut Ammianus Marcellinus, scri-

P. 378. ptor Ethnicus, tempora illa discribens, de Imperatore Juliano referat lib. 22. Quod *dissidentes Christianorum antistites cum plebe discissâ in palatium intromissos, monebat, ut civilibus discordiis consopitis quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus. Quod agebat ideo obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ, non timeret unanimantem postea plebem: nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.*

Persecutiones Arianorum admodum patheticè & terminis odiosis nobis describunt doctores ecclesiastici. Orthodoxorum edicta non fuisse inania terriculamenta ex ipsorum scriptis quæ supersunt satis manifestum est: Si vero ad manum nobis essent Arianorum scripta forte in illis mitiora non legeremus de Orthodoxis, quam nunc in Orthodoxorum scriptis nobis narrantur de Arianis. Verum severis contra illorum libros edictis omnia ipsorum monumenta prorsus exstincta sunt, nihilque nobis de illorum temporum historiâ superest, nisi in Orthodoxorum scriptis. Hos vero, magni licet viri fuerint, ab affectibus humanis, odio, irâ, vindictæ studio, minime fuisse puros, & acta & scripta eorum testantur, præsertim quando cum adversariis & diversum de religione sentientibus res erat. Ea omnium temporum fuit infelicitas, ut de Theologis generatim verum sit, quod Erasmus in ratione veræ Theologiæ de sui temporis Theologis dolenter dixit:

Tom. V. p. 65. *Quorundam mores faciunt, ut hoc sanctissimum studium apud quosdam male audiat, cum apicem ac fastigium hujus professionis assecuti, nonnunquam ferociores sunt idiotis, ambitiosiores, magis irritabiles, linguâ virulentiores, ac prorsus ad omnem vitæ consuetudinem incommo-*

modiores, non modo quam sint imperiti, sed quam ipsi soleant esse; ut tales ab ipsâ Theologia redditi quibusdam videantur: seu, ut alibi dicit, *suis moribus etiam ipsam Theologiam adducunt in suspicionem, quasi studii genus hoc sinceritatem & communem sensum adimat homini.* Tom. IX. p. 431. Ne credamus, in antiquos minimè quadrare, quæ de nostri temporis Theologis verè dicuntur. Etiam antiqui homines fuere, iisdem affectibus cum hodiernis obnoxii, æquè præcipites in condemnandis, æquè acerbi in traducendis, æquè violenti in persequendis (quos vocant) hæreticis: Quod antiquorum Conciliorum acta, & monumenta ecclesiastica vel leviter inspicientibus sole meridiano clarius liquet. De sui temporis Episcopis Socrates Hist. Eccl. lib. I. cap. XXIV. scribit, quod *soleant in omnibus id facere, quos deponunt, ut eos quidem probris onerent, & impios esse pronuntient: causas vero impietatis non exponant.* Quando in adversarios scribunt, stylus ipsorum sæpe amarulentus est, & hanc animi impotentiam etiam in præcipuis & maximè laudatis autoribus observarunt multi. Erasmus Hieronymum summis laudibus extollere solitus, eam tamen aliquoties in ipso agnovit: cum in Apologiâ ad Martinum Dorpium ita de eo scribit: Tom. IX. p. 314. & Tom. III. p. 119. *Ipse Hieronymus, vir tam pius & gravis, aliquoties non sibi temperat, quin in Vigilantium excandescat acrius, in Jovinianum insultet immoderatius, in Ruffinum amarulentius invehatur.* Imo in Apologiâ contra Sutorem ulterius procedit: dicens *illius memoriam nunc merito esse sacrosanctam omnibus*: addit autem: Tom. IX. p. 640. *At dum in vivis erat mordebatur ac remordebat, allatrabatur ac vicissim allatrabat, labebatur & fallebat.* Non meliora de Hieronymo scribit Hutterus contra Paræi Irenicum, p. 14. *Qui Beati Hieronymi contra Jovinianum, Vigilantium, & Ruffinum scripta evolverit, mirabitur, potuisse in virum eremitam tantam bilis effervescentis cadere vehementiam.* Unde & Budæus non illepidè ad Erasmum scribit, Erasmi Tom. III. p. 156. *quis scit an ob id ad Christi tribunal actus vir ille vapulaverit?* Non hæc scribo, ut Hieronymi famam sugillem: sed ut maximi alioquin viri exemplo ostendam, quam difficilè sit, in contentionibus Theologicis sibi temperare, cum videamus etiam sanctitatis famâ claros contentionum æstu abripi. Laudari a plerisque solet Augustini moderatio: Verum qui scripta ejus contra Donatistas legit, eum disputationis ardore concitatum sæpe moderationis limites excedere, & quidvis ipsis objicere, diffiteri nequit. Athanasium fuisse animi impotentis ac iracundi, vel sola ejus epistola ad solitariam vitam degentes documento est: nil nisi vehementem animi commotionem, probra & convitia contra Arianos ibi reperias. Non dubito quin graves iræ ac odii sui causas habuerit: Interim constat, ab animo, licet justissimâ de causâ, commoto, multa temerè ejici, non quæ veritas, sed quæ splendida dictat bilis. Adeo ut tutum non sit, temerè fidem adhibere omnibus quæ a Patribus iracundè sæpe in adversarios ac de adversariis in chartam sunt conjecta, præsertim cum adversariorum scripta omnia suppressa sint. De antiquis Græcis Patribus graviter ac cum judicio sententiam pronuntiat Cunæus, præfat. in Juliani Cæsares: *Nimirum sic existimat vulgus, magnum in se nefas eum admittere, qui pietati, cujus titulis atque imperio Christiana stat religio, defuisse interdum candorem credat. Ego, sicut plurimis maximisque argumentis esse illos excellenti & divinâ virtute viros judico, ita & præ studio peccasse non ignoro, & memini fuisse perquam acerbos. Ut de cæteris nihil jam dicam, certè qui in Græciâ tunc aliquod nomen habebant, vitio gentis suæ, nimium fuere in utramque partem vehementes. Aderat cunctis Græcis facundia rotunda, eruditio admirabilis, ingenium ad omnia promptum: quarum hercle rerum præsidio effectum est, uti, quæcumque monumenta ad posteros transmiserunt, in iis maxima quædam & acerrima vis spiraret. Itaque quibus infensi erant, eos per se magnos sanè, & pene in cœlo positos, trahebant ad inferos: & aliis rursus, quos ornandos censuerunt, licet immerentibus, tantas laudes admensi sunt, uti posteritas virtutes eorum, quæ vix mediocres sunt, suspiciat, & lapidem è sepulchro veneretur pro Deo.* Non multum sanè ab his recedunt, quæ Melchior Canus habet in locis Theologicis: Lib. XI. p. 663. *Equidem Sozomeni mendacia non excuso: Græcus namque fuit, & natio hæc, ut diximus, est fuitque semper ad mentiendum promptula.* Et in historias Ecclesiæ suæ putida mendacia irrepsisse adeo ipsi fuit indubitatum ac manifestum,

 ut

Ibid. p. 650. ut in hanc querelam erumpat: *Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose, multò a Laërtio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum: longeque incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerunt Catholici, non res dicam Imperatorum, sed martyrum, virginum, & confessorum. Illi enim in probis, aut Philosophis, aut principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis vero etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industriâ quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non solum pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cum nihil utilitatis attulisse, tum incommodationis plurimum. Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est, & non eruditionis tantum, in quâ liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profecto esse in vivos cautior & in mortuos reverentior. Certum est autem, qui ficte & fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque synceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse aut ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum.* Et post quædam, ubi boni historici officium descripsit: *Ut ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis:* hæc addit: *Quæ cum ad probitatis integritatisque officia pertinere notum sit, miror ab uno Suetonio servata esse omnia, à plerisque nostris omnia esse deserta.* Qui immodici & mendaces adeo fuere, in sanctorum suorum laudibus deprædicandis, quis in commemorandis adversariorum & hæreticorum à se condemnatorum gestis atque actis candor & fidelitas eorum fuerit conjectu difficile non est. Omnia boni historici officia à plerisque suorum deserta ait Canus. Bellarminus de Notis Ecclesiæ differens, ait; *Nusquam inveniuntur Catholici laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam, ullorum ethnicorum, aut hæreticorum.* Itaque ut quævis mala de quopiam scriberentur, vel optima & maximè laudabilia facta tacerentur æternæque oblivioni traderentur, sufficiebat ipsum ab Ecclesiâ hæreticum esse pronuntiatum: Adeo ut jam inter Pontificios sufficiens causa sit fidem alicui denegandi, si quædam non damnet, aut laudet, gesta ab illis, qui aut ab Ecclesiâ Romana sunt declarati hæretici, aut illi quoquo modo adversati. Ita ex hoc unico fonte Melchior Canus rationes suas deducit, cur historiam Carionis omnes Christi fideles explodere debeant, *Quosdam enim*, ait, *summos Pontifices, viros quidem optimos, illius lacerat & cruentat oratio, quosdam vero Imperatores Germanos commendat & illustrat, qui Ecclesiæ Romanæ perduelles inimicique fuere. Itaque ex ungue leonem agnosces, hoc est, ex laude & vituperatione Lutheranum.* Quæ Cani illatio si valet, necesse est, ut, si quis agnosci velit Catholicus, omnes Ecclesiæ Romanæ adversantes probris ac contumeliis oneret, Catholicos vero nusquam reprehendat, sed omnia illorum laudet ac commendet. Et sanè, si hodiernorum Pontificiorum scripta & historias legamus, tot figmentis & manifestis mendaciis, quorum plurima actis ac documentis publicis redargui possunt, ea respersa inveniemus, ut ne exigua quidem veritatis vestigia in ipsorum scriptis reperiri queant, & ad quæstum ac errorem omnia sua unicè composuisse dici debeant. Si vero ad idem quod præcedentia sæcula experta sunt fastigium denuo eorum invalescat aliquando potentia, ut omnia à se dissentientium scripta ac monumenta abolere penitus queant, & ex solis ipsorum scriptis quid docuerint aut egerint Reformati ac Protestantes cognitio peti debeat, quis non videt, quam insulsa ac ipsâ vanitate vaniora posteritati sint commendanda, quæ quoniam documenta contraria abolita forent, idoneis testimoniis falsitatis coargui minimè possent? Quare sicut minimè tutum credimus, ex solis Pontificiorum scriptis de doctrinis ac gestis Reformatorum ac Protestantium judicium formari: ita & cautos ac providos esse nos oportet, ne similiter ex scriptis ac historiis antiquorum sententiam pronuntiemus de doctrinis ac gestis hæreticorum olim condemnatorum, & quorum scripta sollicitâ adversariorum curâ ita penitus suppressa sunt, ut vix ullum genuinum ipsorum exstet scriptum, quo illi doctrinam suam & procedendi modum descripserunt ac defenderunt. Verum tempus est, ut è diverticulo in viam redeamus.

Margin notes: P. 654. (at "Et post quædam"); Cap. 16. (at "Bellarminus de Notis Ecclesiæ"); P. 662. (at "explodere debeant")

Ostendimus quantâ acerbitate Orthodoxi Arianos & Donatistas fuerint perfecu-

secuti: Nec minorem contra Orthodoxos sævitiam exercuisse Arianos, quando Imperatorem nacti fuerunt suis partibus faventem. Interim fatendum est, non eandem semper sævitiam adhibitam. Quamquam enim Ariani crudelitatem neutiquam excusandam contra Orthodoxos adhibuerint, legimus tamen nonnunquam crudelitatem illam aliquatenus fuisse mitigatam. Refert de Valente Imperatore Socrates Hist. Eccl. lib. IV. cap. 32. Quod *eos qui Consubstantialis fidem profitebantur gravius impugnabat, acerbiora indies supplicia contra eos comminiscens. Donec Themistius Philosophus atrocitatem ejus aliquâ ex parte mitigavit, dictâ illi oratione quæ* προσφωνητικὸς *inscribitur: in quâ Imperatorem admonet, ne magnoperè miretur, quod tanta sit dogmatum diversitas apud Christianos: Eam enim exiguam esse, si cum multitudine & discrepantiâ opinionum quæ apud Græcos sunt, conferatur; quippe cum apud istos plures sint quam trecentæ opiniones. Porro ex varietate opinionum necessariò consequi maximam dissensionem: Deum tamen hac opinionum varietate delectari, ut singuli majestatem ipsius magis revereantur, vel ob id quod difficile est eum cognoscere. Hæc & ejusmodi alia cum Philosophus ei exposuisset, aliquantò mitior in posterum factus est Imperator: Nec tamen furorem penitus ex animo abjecit, sed mortis loco exilium irrogavit sacerdotibus.* Postea vero, ut idem Socrates narrat cap. 35. pressus bello Gothico Homousianos in exilium mittere destitit. Sed & præterea quidam inter illos fuerunt, qui ab omni vi religionis causâ abstinuerunt, ac dissentientibus liberum suæ religionis exercitium esse voluerunt. Grotius in Prolegomenis ad Procopii Gothica & Vandalica, pag. 31. hoc illis testimonium perhibet: *Nec illud laudis exiguæ, quod Wandali citra Hunnerichi & Gundemundi tempora, Gotthi vero semper, vim abstinuere à subditorum sibi populorum animis, fidemque Nicæensem sequentibus permiserunt credere, docere, sacra facere, quomodo vellent. Nullum unquam hominem vi ullâ aut minis adactum à se mutare professionem, ne Gothos quidem si qui ad Nicæensem fidem transire vellent unquam à se prohibitos, dicunt Belisario Gotthorum legati, adduntque, sanctis locis non minorem à Gotthis, quam à Romanis ipsis, exhibitam reverentiam.* Et paulo post pag. 32. *Rex Ostrogothorum & Italiæ Theudericus ob pietatem & veri Dei cultum magnis effertur laudibus ab Ennodio Catholico Episcopo Ticinensi, tanta in eo cura fuit etiam ejus quam non profitebatur ipse religionis, ut optimos ei semper Episcopos daret: de quo sic nepos ejus Athalaricus:* Oportebat enim arbitrio boni principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans quamvis in alienâ religione talem visus est pontificem delegisse, ut agnoscatis illum hoc optasse præcipuè, quatenus bonis sacerdotibus ecclesiarum omnium religio pullularet. *Hinc factum, ut schisma etiam enatum Synodo convocatâ tolleret, quod Paulus Warnefredi narrat, itemque Zonaras; ordinationes omnes pretio intercedente factas rescinderet; precibus etiam Catholicorum Episcoporum apud Deum juvari vellet; quæ postrema apud Cassiodorum videas: ut jam non mirer, si ipse Romanæ urbis Catholicus Episcopus Silverius Græcis suspectus fuerit, quasi Gotthorum imperia quam Græcorum mallet: quod ingens sanè Gothicæ circa religionem æquitatis documentum apud Procopium habemus.*

Similiter non semper Imperatores orthodoxi sævitiam, quam lege latâ comminati fuerant, in hæreticos exercuerunt; nonnunquam metu tantum suppliciorum terrere voluerunt, non vero ipsa supplicia irrogare. „Refert Sozome-„nus Hist. lib. V. cap. 12. Theodosium lege latâ præcepisse, ne hæretici col-„lectas agerent, neve de fide docerent, neve Episcopos aut alios ordinarent; „utque alii quidem urbibus & agris pellerentur; alii vero notarentur infamiâ, „nec jus æquum civitatis cum reliquis civibus possiderent; & graves quidem „pœnas legibus suis adscripsisse, haud quaquam tamen executioni mandasse. Ne-„que enim punire subditos, sed terrere tantummodo studebat, ut idem cum ipso „de divinitate sentirent. Nam & illos laudabat; qui sponte converterentur. Idem de Valentiniano refert lib. VI. cap. 6. qui cum Valente fratre imperium „obtinuit: Ambo quidem religione fuerunt Christiani; sectâ tamen & mori-„bus inter se discrepabant. Nam Valens tunc cum baptismum susciperet ab Eu-„doxio institutus Episcopo, Arii sententiam ardentissimo studio sectatus est, ac

mo-

„ molestè ferebat, quod omnes ad sententiam suam per vim non cogeret. At „ Valentinianus Nicæni Concilii fidem amplexus, iis quidem qui idem cum „ ipso sentirent favebat; eos vero qui diversam opinionem sequerentur nullâ af- „ fecit molestiâ. De Gratiano similiter, qui cum Valentiniano Juniore guber- nacula imperii obtinebat, refert Socrates Hist. Eccl. lib. V. cap. 2. & Sozome- nus lib. VII. cap. I. quod lege sanxerit, *ut omnes cujuscunque religionis homines absque ullo discrimine in Ecclesiis convenirent: soli autem Eunomiani, Photiniani, & Manichæi pellerentur Ecclesiis.* Socrates ejusdem lib. V. cap. 20. postquam varias hæreticorum sectas recensuisset; addit: *Illud autem sciendum est, Imperatorem Theodosium neminem illorum insectatum fuisse, præter Eunomium: quem Constantinopoli in privatis ædibus collectas celebrantem, & libros à se conscriptos recitantem, in exilium mitti jussit, eò quod multos doctrinâ suâ corrumperet: reliquos omnes nulla affecit molestiâ, nec communicare secum coëgit: sed singulos in suis conventiculis coire, & de fide Christianâ pro suo captu sentire permisit. Et aliis quidem copiam fecit, ut extra urbes oratoria sibi exstruerent: Novatianis vero, utpote idem cum ipso in fide sentientibus, concessit, ut Ecclesias suas intra urbium septa absque ullo metu retinerent.* Et libro VII. cap. 2. narrat de Attico Episcopo Constantinopolitano, quod *non solum domesticos fidei tuebatur; verùm etiam hæreticos admiratione prudentiæ suæ percelleret: Et* quod *eos quidem nullatenus vexare cupiebat; sed cum eos terrere aggressus fuisset, mitem se posthac & placidum erga ipsos ostenderet.*

CAPUT V.

Aliquot Patrum sententiæ de Persecutione dissentientium.

QUalis interim antiquorum Ecclesiæ Doctorum, quos Patres vocamus, doctrina fuerit, ex Scriptis ipsorum liquet. Athanasius in Epistolâ ad solitariam vitam agentes ita de Arianis loquitur, eorumque contra Orthodoxos
P. 821. persecutiones perstringit. *Ad eum modum Judaica ista hæresis non solum Christum inficiari, sed etiam cædes facere condidicit. Verum ne hoc quidem satis fuit ut quietem vellent; nam ut ipsorum hæreseos pater ut leo circuit, quærens quem devoret; ita isti publici cursus facultatem nacti, ac proinde circumcursitantes, in quoscunque incidunt, vel qui fugam eorum carpant, vel hæresin aversentur, eos indignis modis nunc flagris concidunt,*
P. 830. *nunc vinculis constringunt, nunc è natali solo exterminant.* Et post quædam. *Quod si inhonestum est aliquot Episcopos metu coactos sententiam immutasse, quantò gravius fœdiusque illorum facinus, qui, quod hominum est minimè causæ suæ confidentium, invitos ad mutationem sententiæ coëgerunt? Ita quoque diabolus, quia nihil veri habet, in securi & asciâ invadens concutit fores eorum à quibus recipitur. Salvator contrà mansuetus est;* Si quis, *inquit*, velit me sequi & esse discipulus meus; *docetque, se, cum ad quempiam venit, non vi instare, sed potius pulsare, ac dicere*, Aperi mihi soror mea sponsa: *Quod si aperiant, intrat: sin graventur, aut nolint aperire, abscedit. Non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas, ubi Imperatoris est metus? aut quæ consulendi ratio, ubi qui contra-*
P. 852. *dicit pro mercede aut exilium aut mortem reportat?* Post alia multa ita in sanguinarios Arianos invehitur. *Omnes eorum conatus cæde & impietate redundant, qui eâ sunt vafritie animi, & morum versipelli calliditate, ut honorum magistratuumque pollicitationibus & pecuniarum muneribus ad decipiendum abutantur, ut cum ex legitimis rationibus episcopatus sui constitutionem non habeant, saltem inde imaginem aliquam rectæ institutionis simplicioribus faciant. Quis igitur eos vel Ethnicos simpliciter nominet? tantum abest ut eos Christianos appellari velit. Quis horum mores humanos, ac non potius ferinos putet? in quorum factis est tanta crudelitas & immanitas, ut carnificibus tetriores, cæterisque hæreticis improbiores, ac ne pares quidem Ethnicis habeantur, à quibus à tergo ad longissimum interstitium relinquuntur. Ego enim è patribus audivi, & verum arbitror. cum persecutio esset nata sub Maximiano Constantii avo, Ethnicos homines fratres nostros Christianos,*

nos, cum quærerentur, latebris abdidisse; eosque sæpe pecuniâ mulctatos & carceri mancipatos fuisse, non ob aliud, quam quod profugientes ad se prodere nollent, eosque eâdem fide quâ seipsos tuendos putarent, non veriti ob id sese periculis objicere. At nunc mirifici isti novæ hæreseos inventores, nullâ æquè re ut insidiis clari, omnia in contrarium faciunt: ipsi enim ultrò carnifices effecti, & occultatos rimantur, & occultatoribus insidias nectunt, æquè sibi inimicum & occultatum & occultatorem arbitrantes: ita naturâ cruenti sunt, & homicidæ, & Judæ sceleris æmuli. Neque satis pro dignitate verbis quæ ipsi faciunt efferre licet. Quid non dixisset Doctor hic, si Inquisitionis crudeles leges in usum deduci vidisset, quibus non tantum hæreticum occultare piaculum est, sed & omnes, qui eum non deferunt, ut fautores ac defensores hæreticorum, & impeditores officii Inquisitionis, anathemate feriuntur, aliisque pœnis pro Inquisitorum arbitrio plectuntur? Profectò verba quibus tam sceleratam atrocitatem pro meritis exagitaret sibi deësse questus fuisset. Si enim quæ Ariani fecerunt satis pro dignitate verbis efferri nequeant; quæ verba sufficient repræsentandæ Inquisitorum crudelitati, quæ Arianorum sævitiam non minore post se intervallo relinquit, quam Arianorum, teste Athanasio, Ethnicorum sævitiam superavit? Pergit Athanasius: *O novam hæresim sceleribus & impietatibus diabolum totum, quantus quantus est, induentem! Nunc primum hoc genus mali exstare cœpit: antea enim si qui de hæresi cogitarent, cogitatus suos sensusque abdebant: Nunc autem Eusebius & Arius, veluti serpentes è cavernis suis progressi, virus impietatis suæ sectæ palam evomunt: quorum hic blasphemandi apertè audaciam suscepit, ille verò blasphemiam palam defendit. Sed non prius eam defendere potuit, quam ubi Cæsarem blasphemiæ propugnatorem reperisset. Patres contrà orbis Concilio coacto, congregatisque plus minus trecentis Episcopis, Arianam hæresim condemnarunt, ostenderuntque eam alienam peregrinamque esse ab ecclesiasticâ fide. Propugnatores verò hujus sectæ, videntes se in probro agere, & nihil pro se habere, quod rationi consentaneum sit, aliam viam excogitarunt, & per potentiam secularem eam defendere instituerunt; quâ in re magnopere mireris insolentiam malitiamque istius inventi, & quantoperè superet alias hæreses. Siquidem aliarum hæresium instituta in persuasibilitate verborum insaniam suam constitutam habent, ad simpliciorum circumventionem. Et Ethnici, ut inquit Apostolus, sublimitate & suadelâ verborum & sophismatibus verisimilibus disceptationes suas instruunt: Judæi verò omissis Scripturis (ut Apostolus ait) fabulis & genealogiis interminatis decertant. Manichæi verò & Valentini cæterique alii suis fictis rationibus sacras literas cauponantes, adulterantesque, nænias adferunt. Ariani autem, cæteris proterviores, alias hæreses sorores suas se multo minores declarant, cum longè majori impietate utantur (ut dictum est) omnesque, & in primis Judæos, scelere improbitateque æmulentur. Ut enim illi Paulum, quem de objectis criminibus vincere non poterant, statim ad tribunum & præsidem adduxerunt; ita quoque isti in dies plura excogitantes, non nisi judicum potestate utuntur, & ubi quis vel semel illis contradixerit, ad præsidem & ducem rapitur. Cæteræ porrò hæreses demonstrationibus convictæ ab ipsâ veritate, tacitè obmutescunt, nihilque agunt, nisi quod de convictione suâ erubescunt. Nova autem ista & execrabilis hæresis, cum rationibus subruitur, cum ipsâ veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere annititur, atque vel ita seipsam, quàm non sit pia & Dei cultrix, manifestat. Piæ enim religionis (ut dixi) proprium est, non cogere, sed suadere. Siquidem Dominus non cogens, sed libertatem suam voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omnibus;* Si quis vult venire post me: *Discipulis verò,* Num & vos abire vultis? *Quid autem aliud hæresin istam, quæ prorsus aliena est à piâ religione, quæque ut Christi perduellis autorem suæ impietatis Constantium, quasi Antichristum inscribit, facere decuit, nisi contraria Salvatori usurpet?* &c.

In Apologiâ I. de fuga suâ similia habet. Primò quidem, ne Ariani hasce persecutiones judicibus imputare possent, se vero pronuntiare insontes, ait; *Quæ à judicibus videntur fieri, ipsi reverâ faciunt, quin potius sententiæ malitiæque judicum ipsi se ministros præbent.* Tum, à quo persecutiones illas didicerint, ostendit, cum ita ait: *Dicant mihi, quæso, qui nihil quod se dignum est audiunt, quicquid illis dictum fuerit, unde ipsi didicerunt, persecutiones instituendas esse? Certè à Sanctis id non habent. Superest* P. 702. P. 716.

pereſt igitur ut illud à diabolo acceperint, qui dicit, Perſequar & comprehendam. *Fugere ſiquidem Deus injunxit, & Sancti factitarunt: perſequi autem diaboli inventum eſt, qui omnibus infeſtus ubique perſequendi votum concipit.* Hæc & ſimilia Athanaſius ab Arianis perſecutionem patiens fuſè & patheticè deducit, quibus omnem & qualemcunque perſecutionem religionis ergò impugnat. & diaboli inventum pronuntiat: quem tamen non legimus finitâ Synodo Nicænâ vel unico verbo apud Imperatorem Conſtantinum interceſſiſſe, quo minus Arius, & qui ejus ſentententiam amplectebantur, in exilium mitterentur, aut exilium Arii improbaſſe: communi quodam mentis humanæ vitio, quo quod aliis à ſe fieri iniquum non putant, idem ſi ſibi fiat, iniquiſſimum credunt.

Hilarius contra Auxentium Arianum non minus eleganter hanc in diſſentientes crudelitatem deteſtatur. *Ac primum miſerari licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſæculari laboratur. Oro vos Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibuſnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicaverunt? genteſque verò omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumerent è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? Edictiſne regis Paulus, cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto eccleſiam congregabat? Nerone, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis effloruit? Illi manu atque opere ſe alentes, intra cœnacula ſecretaque coëuntes, vicos & caſtella, genteſque ferè omnes, terrâ ac mari contra Senatus-conſulta & regum edicta peragrantes, claves (credo) regni cælorum non habebant? aut non manifeſta ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit? cum tantò magis Chriſtus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur? At nunc (proh dolor!) divinam fidem ſuffragia terrena commendant; inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus eccleſia, quæ exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat Sacerdotes, quæ fugatis eſt Sacerdotibus propagata. Diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet.* Et ad Conſtantium Lib. I. *Deus cognitionem ſui docuit potius, quam exegit, & operationum cæleſtium admiratione præceptis ſuis concilians autoritatem, coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem. Si ad fidem veram iſtiuſmodi jus adhiberetur, epiſcopalis doctrina obviam pergeret, dicendo: Deus univerſitatis eſt, obſequio non eget neceſſario. Non requirit coactam confeſſionem. Non fallendus eſt, ſed promerendus. Noſtrâ potius, non ſuâ causâ venerandus eſt. Non poſſum niſi volentem recipere, niſi orantem audire, niſi profitentem ſignare. Simplicitate quærendus eſt, confeſſione diſcendus eſt, charitate amandus eſt, timore venerandus eſt, voluntatis probitate retinendus eſt. At vero quid iſtud, quod Sacerdotes Deum timere vinculis coguntur, pœnis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in cuſtodiam catenati ordinis conſtricta diſponitur, virgines nudantur, ad pœnam ſacrata Deo corpora publico expoſita conſpectui, ad fructum ſpectaculi & quæſtionis aptantur.*

Eadem eſt doctrina Ambroſii Comment. in Lucam. lib. 7. in cap. 10. *Non virgas in manu jubentur tollere Apoſtoli, ſic enim Matthæus ſcribendum putavit. Quid eſt virga, niſi præferendæ poteſtatis inſigne, & ulciſcendi inſtrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim judicium ejus ſublatum eſt) humilis, inquam, Domini præceptum diſcipuli ejus humilitatis officiis exequuntur. Eos enim miſit ad ſeminandam fidem, qui non cogerent, ſed docerent, nec vim poteſtatis exrcerent, ſed doctrinam humilitatis attollerent.* Et paulo poſt. *At alibi habes, quia, cum Apoſtoli ignem de cælo petere vellent, ut conſumeret Samaritanos, qui Jeſum Dominum intra civitatem ſuam recipere noluerunt, converſus increpavit illos, & ait, Neſcitis cujus ſpiritus eſtis: Filius enim hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſalvare.*

Gregorius Nazianzenus idem ſe ſentire ſatis manifeſtè oſtendit, licet materiam hanc ex profeſſo non tractaret; Conſiderans nempe mutationem in animis hominum à ſimulachris ad legem, à lege ad Euangelium non ſtatim atque unico conatu & impetu factam eſſe, ſed ſenſim & paulatim, & cauſam ejus ac rationem inqui-

quirens, ita ait: *Et id, cur? Nam hoc scire refert, ut ne vi traheremur, sed suasu duceremur. Quicquid enim coactum est, diuturnum non est; id quod exemplo suo indicant vel fluctus si vi reprimantur, vel plantæ si præter ingenium suum flectantur. Voluntarium autem quod est, tum diuturnius est, tum etiam tutius. Et illud quidem est cogentis, hoc verò nostrum: tum hoc æquitatis divinæ, illud autem tyrannicæ potestatis. Non igitur convenire putabat ut invitis benefaceret, sed ut volentibus commodaret.* Et in Carmine de vitâ sua similia habet:

Suadere quippe est æquius, quam cogere;
Magisque nobis convenit, & illis item,
Sociare summo nitimur quos numini.
Nam quod coactus perque vim quisquam facit,
Nervis ut arcus vinctus, & firmâ manu;
Aut cursus amnis undique arctatus, statim
Datur ut facultas, pristinam vim despicit:
At sponte quod fit, durat in cunctos dies,
Amoris ut quod vinculum stringat tenax.

Optatus Milevitanus, scribens contra Parmenianum Donatistam, ab Ecclesiâ omnem in dissentientes persecutionem amolitur. Cum enim Parmenianus Catholicis objecisset, *Neque enim Ecclesia dici potest, quæ cruentis morsibus pascitur, & sanctorum sanguine & carnibus opimatur*; respondet Optatus Milevitanus; lib. 2. *Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium. Dicite cui generi hominum in Ecclesiâ hoc possit adscribi, quod objicere voluisti. Specialiter nomina aliquem ministrum, ostende aliquem Diaconum nomine suo: Indica hoc ab aliquo factum esse Presbytero: proba hoc Episcopos admisisse. Doce aliquem nostrum cuiquam insidiatum esse. Quis nostrum quemquam persecutus est? quem à nobis persecutum esse, aut dicere poteris, aut probare?* Hisce verbis satis apertè agnoscit verum esse, quod Ecclesia non pascatur cruentis morsibus, negat autem id suæ Ecclesiæ à Donatistis posse objici. Quo fundamento autem hoc dicere possit, quando Imperatorum contrà Donatistas aliosque hæreticos edicta considero, equidem non video. Ipse porrò pergens, multus est, ut ostendat, Donatistarum partem cruentis morsibus pastam, & Christianorum sanguine opimatam: & tandem concludit: *Ecce à vobis factum est, quod dixisti, Ecclesiam non esse quæ cruentis morsibus pascitur: & aliud sunt, milites missi, aliud Episcopi ordinati. Quod contrà nos invidiosè loquimini, ab aliis factum est, non à nobis. Quod dicitis non debuisse fieri, vos fecistis.*

Quid senserit Chrysostomus satis ipse declarat Sermone de Anathemate, ubi ita in eos, qui aliis anathema dicebant, invehitur: *En, specto viros, qui nullum ex Sacris Literis germanum sensum, imo nihil omninò Sacrarum Literarum tenent, & ut pleraque transeam, nam erubesco dicere, furibundos, nugaces, contentiosos, qui neque sciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc uno tantum audaces, quod dogmata statuunt, & anathema declarant, ea quæ maximè ignorant. Hinc est quod exteris hostibusque fidei nostræ ludibrio sumus, habemurque perinde quasi nulla sit nobis honestæ vitæ cura, & nunquam benefacere didicerimus. Heu mihi quam dura atque dolenda sunt hæc!* Postea adducens locum Pauli 2. *Timoth. II.* 24, 25, 26. *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes,* &c. Ita pergit: *Extende sagenam charitatis, ut non subvertatur claudus, sed potius sanetur. Ostende, quod magnâ affectione bonum proprium cupias facere commune. Affer dulcem escam compassionis in hamo, & sic scrutare profunda, atque ex imo perditionis extrahe eum, qui sensu descenderat, ut & quod opinabatur, & quod ignorabat, bonum existimaret: doce quam sit alienum ab Apostolicâ traditione: & siquidem hoc boni consulere voluerit homo, qui prius errore infectus erat, juxta vocem Prophetæ & ille vivet vitâ, & tu animam tuam liberabis: si autem respuit sermonem, utpote contentiosus, tu contestare, ne reus fias: tantum cum longanimitate & suavitate, ut ne animam ejus de manu tuâ judex requirat. Ne odio habeas, ne aver-*

averseris, ne persequaris, sed sinceram & veram erga eum ostende charitatem. Tandem circa finem ita concludit: *Dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.* Si hæc dixit in illos, qui aliis ob hæreses anathema dicunt: quo zelo intentus quidem fuisset in illos, qui non contenti hæreticos anathematizare, eos judici sæculari tradunt atrocissimè puniendos?

Idem porro sententiam suam declarat in homilia 8. in caput Geneseos I. *Hæretici simili modo affecti sunt, sicut hi qui morbo laborant, & corporalibus oculis cæcutiunt. Illi enim ob oculorum suorum infirmitatem solis lucem gravatè ferunt, & ob adversam corporis valetudinem etiam optimos saluberrimosque cibos aspernantur. Ita & hi animâ ægrotantes, & mentalibus oculis capti, ad lumen veritatis respicere non possunt. Idcirco nostro fungentes munere, manus eis porrigamus, magnâ eis mansuetudine loquamur. Nam & beatus Paulus ita nos admonuit, dicens: Ut in mansuetudine erudiantur adversarii, si forte det eis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, & emergant à laqueo diaboli, capti ab ipso in illius voluntatem. Vides quomodo verbis declaravit, quod quasi ebrietate obruti sint? Nam quod dicit, emergant, ostendit, quod ab aliquo mersi sint. Et iterum, Capti, inquit, à diabolo: quasi diceret laqueis irretiti sunt. Unde & nobis geminâ opus est mansuetudine & longanimitate, ut possimus eos eripere & educere ex laqueis diaboli.* Homiliâ autem XLVII. in cap. XIII. Matthæi explicans parabolam de zizaniis, non omnem vim externam contra hæreticos improbat. *Vis igitur abeuntes colligamus ea? Dominus autem prohibet, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant: quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis & cædes prohiberet. Nam si trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: Alterâ, quia frumentis parum nocerent: alterâ, quia nisi sanarentur extrema supplicia non evaderent. Quare & si puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua expectanda vobis est. Quid autem est, quod ait, ne eradicetis simul cum ipsis etiam frumenta? Certè aut quia si arma capietis, inquit, necesse est, cum hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere; aut quia verisimile esset multos in triticum convertendos. Si ergo prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ à commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem hæreticos distinere, ora obstruere, libertatem loquendi & Synodos concidere, & fœdera dissolvere, verum interficere & trucidare.*

Non dissentit Hieronymus, qui Epist. LXII. ad Theophilum adversus Joannem Hierosolymitanum ita ait: *Fundendo sanguinem, & patiendo magis, quam faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia. Persecutionibus crevit, martyriis coronata est.* Licet enim satis acrem se passim ostendat contra hæreticos, non tamen eos morte affici probavit, sed cum mansuetudine erudiri voluit. Sic ait Comment. in Oseæ cap. II. 1. *Qui in Christum creditis, & estis tam ex Judæis quam ex gentibus, dicite fractis ramis & priori populo, qui projectus est, populus meus, quia frater tuus est, & misericordiam consecuta, quia soror tua est. Cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus fiet. Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus, sed provocemus ad pœnitentiam, & illorum salutem germanitatis optemus affectu.* Et in Matthæi cap. XIII. explicans parabolam de zizaniis, ait: *Quamobrem non dormiat qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania, hoc est, hæreticorum dogmata. Quod autem dicitur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & frumentum, datur locus pœnitentiæ, & monemur, ne citò amputemus fratrem, quia fieri potest, ut ille, qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat, & defendere incipiat veritatem.* Idem tamen in commentario Epistolæ ad Galatas explicans illud *cap. V. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit*, inter alia hæc habet: *Igitur scintilla statim ut apparuerit exstinguenda est, & fermentum à massæ viciniâ semovendum; secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat,*

trescat, intereant. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.

CAPUT VI.

Augustini sententia de Persecutione hæreticorum.

AUgustinus prioribus suis Scriptis omnem vim religionis causâ adhibitam damnavit, dum contra Manichæi Epistolam fundamentalem scribens, jam statim in initio ita Manichæos alloquitur. *Servum autem Domini non oportet litigare,* &c. *Nostrum ergo fuit velle has partes expetere : Dei est volentibus & petentibus donare quod bonum est. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quam rarum & arduum sit carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt cum quantâ difficultate sanetur oculus interioris hominis ut possit intueri solem suum, non istum quem vos colitis cælesti corpore, oculis carneis & hominum & pecorum fulgentem atque radiantem : Sed illum, de quo scriptum est per Prophetam, ortus est mihi sol justitiæ : Et de quo dictum est in Euangelio : Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Illi in vos sæviant, qui nesciunt quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacumque parte possit intelligi Deus. Postremò illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem, qui diu multumque jactatus tandem perspicere potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur,* &c. *sævire in vos omninò non possum, quos, sicut meipsum illo tempore, ita nunc debeo sustinere, & tantâ patientiâ vobiscum agere, quantâ mecum egerunt proximi mei, cum in vestro dogmate rabiosus & cæcus errarem.*

Idem in libro Quæstionum Euangelii secundum Matthæum, cap. XII. *Cum autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Cum enim spiritalis homo esse cœperit dijudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere. Servi autem dixerunt ei : Vis imus & colligimus ea? Utrum & ipsi sint servi, quos paulò post messores appellat : an quia in expositione parabolæ messores dixit esse angelos; nec quisquam facilè dicere ausus fuit, angelos nescisse quis zizania superseminaverit, & ea tunc apparuisse angelis, cum herba fructum fecisset : Magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum si & bonum semen ipsi dicuntur, & servi patris familias : sicut & de se ait, quod ipse sit janua, & quod ipse sit pastor. Ex diversis enim significationibus una res etiam plures & diversas similitudines recipit : præsertim quia cum ad servos loqueretur non ait, In tempore messis dicam vobis, colligite primum zizania : sed dicam, inquit, messoribus. Unde intelligitur, colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Cum igitur esse quisquam spiritalis cœperit, cognoscit errores hæreticorum, & omninò dijudicat atque discernit, quicquid audierit aut legerit abhorrere à regulâ veritatis : sed donec quis in eisdem spiritalibus perficiatur, & quodammodo maturescat in fructum quem herba dedit, potest eum movere, quare sub nomine Christiano tam multæ hæreticorum extiterint falsitates. Inde etiam est quod servi dicunt; Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Deinde cum cognoverit hanc excogitasse fraudem diabolum, cum contra tanti nominis autoritatem nihil se valere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtegeret, potest ei suboriri voluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem : sed utrum facere debeat, justitiam Dei consulit, utrum hoc ei præcipiat, vel permittat, & hoc officium esse hominum velit. Hinc est quod servi dicunt : Vis imus & colligimus ea? Quibus Veritas ipsa respondet : Non ita hominem constitutum esse in hac vitâ, ut certus esse possit, qualis quisque futurus sit posteà, cujus in præsentiâ cernit errorem : Vel, quid etiam error ejus conferat ad profectum bonorum : non esse tales auferendos de hac vitâ, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt : aut bonis obsit, quibus & inviti forte utiles sunt : sed tunc opportunè fieri, cum jam in fine non restat vel tempus commutan-*

tandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus sed ab angelis fieri: Inde est, quod respondet pater familias, non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum; sed in tempore messis dicam messoribus, &c. Atque hoc modo eos patientissimos & tranquillissimos reddidit.

Posteà vero post acres & diuturnas cum Donatistis contentiones, eatenus quidem perstitit in priore sententiâ, ut mortem illis infligi nollet: Verum & eam hactenus mutavit, ut pœnas, quæ spem resipiscentiæ non præscinderent, hoc est, quascunque, solâ morte exceptâ, non tantum non improbaverit, verum & infligendas docuerit, ut ita pœnis illis territi ad amplectendam Orthodoxam fidem compellerentur. Quod paucis quidem indicavit Retractationum lib. II. cap. 5. *Sunt duo libri mei, quorum titulus est contrà partem Donati. In quorum primo libro dixi, non mihi placere ullius secularis potestatis impetu schismaticos ad communionem violenter arctari. Et verè tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* Idem vero prolixius diducit Epist. XLVIII. ad Vincentium ex hæresi Rogatianâ: *Nam mea primitus sententia erat, neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis: Nam primò mihi opponebatur civitas mea, quæ tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est, quam nunc videmus ita hujus vestræ animositatis perniciem detestari, ut in eâ nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causâ rectè intelligi posse quod scriptum est, Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Quam multi enim, quod certò scimus, jam volebant esse catholici, manifestissimâ veritate commoti, & offensionem suorum reverendo quotidie differebant? Quam multos non veritas (in quâ nunquam præsumsistis) sed obdurata consuetudinis grave vinculum colligabat, ut in eis compleretur divina illa sententia; Verbis non emendabitur servus durus, si enim & intellexerit, non obediet? Quam multi propterea putabant veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat? Quam multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in altare Dei ponere jactitabant? Quam multi nihil interesse credentes, in quâ quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere, atque ad Catholicam nemo transire cogebat? His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: Jam hoc volebamus: sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit jamque faciendi, & dilationum morulas amputavit. Alii dicant: Hoc esse verum jam sciebamus, sed nescio quâ consuetudine tenebamur: Gratias Deo, qui vincula nostra dirupit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alii dicant: Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus; sed nos ad eam cognoscendam metus fecit intentos, quo timuimus, ne forte sine ullis rerum æternarum lucris damno rerum temporalium feriremur: Gratias Domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod securi nunquam nosse curavimus. Alii dicant: Nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus; nec intraremus, nisi cogeremur: Gratias Domino, qui trepidationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana & inania de Ecclesiâ sua mendax fama jactaverit: Hinc jam credimus & illa falsa esse, quæ autores hujus hæresis criminati sunt, quando posteri ipsorum tam falsa & pejora finxerunt. Alii dicant: Putabamus quidem nihil interesse ubi fidem Christi teneremus: Sed gratias Domino, qui nos à divisione collegit, & hoc uni Deo congruere, ut in unitate colatur, ostendit. His ergo dominicis lucris impediendis ad contradiendum me opponerem collegis meis, ne in montibus & collibus vestris, id est, in tumoribus superbiæ vestræ, Christi oves errantes in pacis ovile colligerentur, ubi est unus grex & unus pastor? Ita sanè huic provisioni contradicere debui, ne res quas dicitis vestras perderetis, & securi Christum proscriberetis? ut jure Romano testamenta conderetis, & jure*

re divino patribus conditum testamentum, ubi scriptum est, In semine tuo benedicentur omnes gentes, calumniosis criminationibus rumperetis? ut emtionibus & venditionibus liberos contractus haberetis, & vobis dividere quod Christus emit venditus auderetis? ut quod quisque vestrum cuiquam donasset, valeret, & quod donavit Deus Deorum à solis ortu usque ad occasum vocatis filiis non valeret? ut de terrâ corporis vestri in exilium non mitteremini, & de regno sanguinis sui à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terræ Christum exulem facere conaremini? Imò verò serviant reges terræ Christo, etiam leges ferendo pro Christo. Ex quibus Augustini verbis luce meridianâ clarius liquet, approbasse Augustinum pœnas legibus civilibus in errantes constitutas, ne testamenta condere, ne emere & vendere, ne ex donationibus capere quicquam eis liceat, quin & ut in exilium mittantur. Utque eam justam in Donatistas & Rogatianos pœnam constitui doceat: addit *Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio: quando autem veritatem prædicat errantibus & discordantibus, cordatis utilis admonitio est, & insensatis inutilis afflictio. Non est tamen potestas nisi à Deo: qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illâ. Sive enim potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illâ qui fuerit emendatus: sive inimica veritati in aliquem sæviat, laudem habet ex illâ qui victor fuerit coronatus. Tu autem non bonum facis, ut timere non debeas potestatem.* Utque id ostendat, prolixè sententiam illius refellit, quâ refutatâ, se justitiam in ipsos institutæ persecutionis evicisse putat. Quin & in priore illius epistolæ parte prolixè contendit, non tantum rationibus, sed & terroribus illos ad ecclesiam compellendos fuisse: *Si enim terrerentur*, inquit, *& non docerentur, improba quasi dominatio videretur: Sed rursus si docerentur, & non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurarentur, & ad capessendam viam salutis pigrius moverentur.*

Similia leguntur in Epist. L. ad Bonifacium, virum militarem de Cæsaris comitatu: *Molestus est enim & medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, ille cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelis est. Si enim equus & mulus, quibus non est intellectus, morsibus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curando vulnera contrectantur, & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur, & aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales revocent ad salutem: quantò magis homo ab homine, & frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest, quantum sibi præstabatur beneficium, quando se persecutionem perpeti querebatur? Sicut ergò Apostolus dicit, infatigabiles cùm tempus habemus operemur bonum ad omnes; qui possunt Catholicorum præceptorum sermonibus, qui possunt Catholicorum principum legibus, partim per eos qui divinis admonitionibus, partim per eos qui jussis imperialibus parent, omnes ad salutem vocentur, omnes à pernicie revocentur. Quia & Imperatores, quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur benè credentes, & coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes & corriguntur intelligentes. Quicunque ergò legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicunque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur, & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur. Et rex Nabuchodonosor, cum servus esset idolorum, constituit sacrilegam legem, ut simulachrum adoraretur; sed ejus impiæ constitutioni qui obedire noluerunt, piè fideliterque fecerunt. Idem tamen rex, divino correctus miraculo, piam & laudabilem legem pro veritate constituit, ut quicunque diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, Misac, & Abde-*

denago, cum domo suâ penitus interiret. Hanc legem si qui contemserunt, & id quod fuerat constitutum meritò perpessi sunt, debuerunt dicere quod isti dicunt, se justos esse, quia ex lege regis persecutionem patiebantur: quod utique dicerent, si ita insanirent sicuti isti insaniunt, qui dividunt membra Christi, exufflant sacramenta Christi, & de persequutione gloriantur: quia prohibentur ista facere legibus Imperatorum, quas constituerunt pro unitate Christi, & jactant fallaciter innocentiam suam, & quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt martyrum gloriam. Quibus tum subjungit prolixum discursum, quo contendit, non omnes qui persecutionem patiuntur esse martyres, sed qui eam patiuntur propter justitiam: Nec omnes qui persequuntur falsam esse ecclesiam. *Nam & Agar passa est persequutionem à Sarâ, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur.* Et post quædam. *Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impii Ecclesiæ Christi, & est justa persecutio quam faciunt impiis Ecclesiæ Christi. Ista itaque beata est, quæ persequutionem patitur propter justitiam; illi vero miseri, qui persequutionem patiuntur propter injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæviendo. Ista ut corrigat, illi ut evertant. Ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem. Denique ista persequitur inimicos & comprehendit, donec deficiant in vanitate, ut in veritate proficiant: Illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salutem, etiam temporalem nobis conantur auferre.* Et mox. *Unde magna in eos fit misericordia, cum etiam per istas Imperatorum leges, ab illâ sectâ, ubi per doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum mala ista didicerunt, prius eripiuntur inviti, ut in Catholicâ posteà bonis præceptis & moribus sanentur assueti. Nam multi eorum, quorum jam in unitate Christi pium fidei fervorem charitatemque miramur, cum magnâ lætitiâ Deo gratias agunt, quod illo errore caruerunt, ubi mala ista bona putaverunt. Quas gratias modò volentes non agerent, nisi prius etiam nolentes ab illâ nefariâ societate discederent.* Ad objectionem verò, quod Apostoli à regibus terræ talia non postulaverint: respondet, tum nullos Imperatores in Christum credidisse, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo servirent. *Posteà verò quam cœpit impleri, quod scriptum est; Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi: quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quam fœminam viro? Aut si ea quæ non contemtu, sed* (NB.) *ignorantiâ religionis committuntur, mitius vindicanda, numquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem, quis dubitaverit, ad Deum colendum doctrinâ homines duci, quam pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut posteà possint doceri, aut quod jam verbis didicerant opere sectari.* Et mox. *Ubi est, quod isti clamare consueverunt, liberum est credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, & posteà docentem; prius ferientem, & posteà consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui pœnâ corporis ad Euangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt in Euangelio laboravit: Et quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergò non cogeret Ecclesia perditos filios ut redirent, si perditi filii coëgerunt alios ut perirent? Quamvis etiam illos, quos non coëgerunt, sed tantummodò seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges in ejus gremio revocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multò amplius quam de his quos nunquam perdiderat gratulatur. An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam oves, quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterque seductæ à grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile dominicum si resistere voluerint flagellorum terroribus, vel etiam doloribus, revocare?* Et post pauca quædam. *Quia ergo non possunt malum esse ostendere quo coguntur, nec ad bonum se cogi oportere contendunt: Sed à Christo coactum ostendimus Paulum: imitatur itaque Ecclesia in istis cogendis*

Do-

Dominum suum, quæ prius ut neminem cogeret exspectavit, ut de fide regum atque gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non absurdè intelligitur illa Apostolica sententia, ubi Paulus beatus dicit: Parati ulcisci omnem inobedientiam cum completa fuerit prior obedientia vestra. Unde & ipse Dominus ad magnam cœnam suam prius adduci jubet convivas, postea cogi: Nam cum ei servi sui respondissent: Domine, factum est quod jussisti, & adhuc est locus: Exite, inquit, in vias & sepes, & quoscumque inveneritis cogite intrare. In illis ergo qui leniter primò adducti sunt completa est prior obedientia: In istis autem qui coguntur inobedientia coërcetur. Nam quid est, Cogite intrare; cum primo dictum esset, Adducite: & responsum esset: Factum est quod jussisti, & adhuc est locus? Si miraculorum terroribus cogendos voluisset intelligi, magis ad eos qui prius vocati sunt divina miracula multa facta sunt, maximè ad eos de quibus dictum est, Judæi signa petunt. In ipsis quoque gentilibus talia temporibus Apostolorum miracula Euangelium commendaverunt, ut si talibus cogi juberentur, priores (ut dixi) convivæ coacti esse meritò crederentur. Quapropter si potestate, quam per religionem ac fidem regum tempore quo debuit divino munere accepit Ecclesia, hi qui inveniuntur in viis & sepibus, id est, in hæresibus & schismatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, sed quò cogantur attendant. Similia leguntur in Epist. CCIV. ad Donatum presbyterum Donatistam. Mox autem in hac eâdem Epistolâ addit: *Veruntamen antequam istæ leges, quibus ad convivium sanctum coguntur intrare, in Africam mitterentur, nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego eram, quamvis Donatistarum rabies usque quaque sæviret, non esse petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim juberent omnino non esse, pœnam constituendo eis qui in illâ esse voluissent: sed hoc potius constituerent, ut eorum furiosas violentias non paterentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent constituendo.* Narrat porro, legationem in Concilio ipsorum hunc in finem esse decretam, & legatos ad comitatum, ut id obtineant, esse missos. *Sed Dei major misericordia* (inquit) *qui sciret, harum legum terror & quædam medicinalis molestia quam multorum esset pravis vel frigidis animis necessaria, & illi duritiæ quæ verbis emendari non potest, sed tamen aliquantulâ severitate disciplinæ potest, id egit, ut legati nostri quod susceperant obtinere non possent. Jam enim nos prævenerant ex aliis locis quædam Episcoporum querelæ gravissimæ, qui mala fuerant ab ipsis multa perpessi.* Tum porro varias Donatistarum & Circumcellionum crudelitates narrat; *Hinc ergo* (addit) *factum est, ut Imperator religiosus & pius, perlatis in notitiam suam talibus causis, mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarent, ad unitatem Catholicam terrendo & coërcendo redigere, quam sæviendi tantummodò auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere.* Per leges autem contra eos constitutas multos ad Ecclesiæ unitatem scribit reductos. *Ex his quoque plurimi simulando communicaverunt, alii paucitate latuerunt. Sed illi qui simulabant paulatim assuescendo, & prædicationem veritatis audiendo, maximè post collationem & disputationem, quæ inter nos & Episcopos eorum apud Carthaginem fuit, ex magnâ parte correcti sunt.* Hæc ubi fusius prosecutus est, occurrit Donatistarum objectioni, quod res ipsorum Catholici concupiscant & auferant. Postquam autem illius falsitatem ostendisset, addit: *Si autem consideremus, quod dictum est in libro Sapientiæ, Ideo justi tulerunt spolia impiorum: Item quod legitur in Proverbiis, Thesaurizantur autem justis divitiæ impiorum; tunc videbimus non esse quærendum qui habeant res hæreticorum, sed qui sint in societate justorum.* Similia exstant Epist. CLXVI. ad Donatistas.

Ita videmus Augustinum fusè docuisse, & multis argumentis contendisse, hæreticos vi externâ & suppliciorum metu cogi posse ad Ecclesiam: solummodò interfici eos noluit. Quare non tantum Epist. LX. Dulcitio Tribuno scribit: *Non enim tu in eos jus gladii ullis legibus accepisti, aut imperialibus constitutis, quorum tibi injuncta est executio, hoc præceptum est ut necentur:* Sed & Epist. CLVIII. & CLIX. ad Marcellinum, & Epist. CLX. ad Apringium, multis intercedit, ne interficiantur, & *ut pœna illorum sit præter mortis supplicium.* Et Epist. CXXVII. ad Donatum Proconsulem Africæ ita scribit. *Ex occasione terribilium judicum ac legum, ne in æterni*

terni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec suppliciis quibus digni sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse. Et paulo post. *Illud quoque prudentia tua cogitet, quod causas ecclesiasticas insinuare vobis nemo prater ecclesiasticos curat. Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaveritis, deterrebitis nos, ne per operam nostram ad vestrum judicium aliquid tale perveniat, quo comperto illi in nostram perniciem licentiore audaciâ grassabuntur, necessitate nobis impactâ & indictâ, ut etiam occidi ab eis eligamus, quam eos occidendos vestris judiciis ingeramus.* Quibus verbis quidem intercedit, ne occidantur: interim tamen non tantum aliis eos pœnis affici probat, sed & se suosque collegas eos ad Proconsules deferre ait, ut puniantur. Additque: *Citò interim per edictum Excellentia tua noverint haretici Donatista, manere leges contra errorem suum latas, quas jam nihil valere arbitrantur & jactant.* Unicum ergo, quod hæreticis infligi non vult, est mortis supplicium; Hinc & ad Cresconium Grammaticum lib. III. cap. 50. ait. *Nullis bonis in Catholicâ Ecclesiâ hoc placet, si usque ad mortem in quenquam, licet hareticum, saviatur.* Alias autem persecutionum species tantum abest ut improbet Augustinus, ut eas commendet, tanquam erroribus exstirpandis aptum remedium. Hinc & contra Gaudentium Lib. I. cap. 5. ait: *Absit autem ut ista persecutio dicenda sit hominum, cum sit potius pro hominibus liberandis persecutio vitiorum, qualem facit agris etiam diligentia medicorum.* Et Lib. II. cap. 3. *Ille ad quem loqueris non tale praceptum accepit ut occidamini, sed ut corrigamini. Quod si nolueritis, ne correctionem impediatis aliorum, in exilium mittemini.*

Hæc est illa Augustini tantoperè deprædicata mansuetudo, quod apud Proconsules intercesserit, ne pœnâ mortis Donatistæ afficiantur: interim quæcunque alia supplicia, solâ morte exceptâ, exilium, ademtionem facultatis testamentum condendi, aut paternam adeundi hæreditatem, ex alterius donatione quicquam percipiendi, cum aliis contrahendi, seu emendi & vendendi, & quæ his sunt similia, non tantum approbavit eis infligi; sed & ipse eos ad Proconsules detulit, ut, si in opinionibus suis persistant, illis suppliciis puniantur. Quis non videt, his suppliciis vitam nonnunquam reddi ipsâ morte acerbiorem, ac, quod Arcadius, & Honorius ad legem Juliam Majestatis constituunt de filiis damnatorum læsæ majestatis, vitam esse supplicium, & mortem solatium? Paupertate, exilio, aliisque miseriis contabescere, lentâque morte perire, durius sæpe est, quam cruentâ ac sævâ, attamen brevi morte confici. Imo nonnunquam persecutorum crudelitas iis quos persequitur, mortem negat, ne martyrii gloriam illis concedere videatur: Interim quævis mala & quascunque afflictiones excogitat, ut ita suppliciorum gravitate ac diuturnitate eos ad fidei suæ abnegationem cogat. Non necesse est, multis id adstruere rationibus aut exemplis; neque exempla è primævâ petere antiquitate. Duo tantum adferam recentia, quorum unum hodie præ oculis habemus in vicinâ Galliâ. Miseris Reformatis non mortis supplicium vidimus irrogari, sed eos militum licentiosis vexationibus exponi, nec ullum illis vexationum concessum finem, nisi abjuratâ prius religione Reformatâ. Nullam tamen eâ sæviorem sibi unquam illatam persecutionem Reformati uno ore omnes clamant. Alterum nobis exhibet Bohemia, simili crudelitate ad defectionem coacta. Legimus in Historiâ Persecutionis Bohemicæ cap. XCIX. cum regni Succamerarius incolas civitatis Tustæ ad defectionem frustra sollicitaverat, illorumque duritiem Pragæ in collegio Jesuitarum deploraret, præsentem fuisse Martinum de Huerda Hispanum, qui id risu exceperit, & quingentorum aureorum sponsionem obtulerit, se id effecturum: Assumptis igitur militum manipulis urbem ingreditur, & in Vi-
„ros Senatorios denos vicenos milites immittendo, licentiaque quovis modo
„divexandi factâ, non multo tempore plerosque omnes ad apostasiam adigit,
„pignusque à Succamerario aufert. Idem Martinus de Huerda Kuttebergæ,
„cum alii frustra illius urbis reformationem (uti vocabant) tentassent, simi-
„li modo summum civibus terrorem incussit, donec tandem militum auxilio tam

„va-

„ variè pressi sunt, ut plerique malorum diuturnitate fracti, persequutoribus „ manus dederint, collaque Antichristiano submiserint jugo, aliis cum uxoribus „ & liberis (omnibus post tergum relictis) in exilium concedentibus. Cap. XCIII. Similem reformationem legere licet cap. XCVIII. in urbe Zatero factam. Capite verò CIII. plurima narrantur supplicia, quorum crudelitate multi ad defectionem fuere compulsi, nulli tamen morte irrogatâ: imo ibid. § 13. nar„ratur, rogantibus nonnullis, nece potius affici, quam ad apostasiam adigi, „ responsum fuisse: *Cæsarem non eorum sanguinem sitire, sed animarum salutem:* „ Aliorum tale postulatum risu fuisse exceptum: *Eho, martyrii affectas gloriam?* „ *Indigni estis nebulones, qui habeatis unde gloriemini.* Ex quibus exemplis luce meridianâ clarius liquet, persecutiones, quibus morte non afficiuntur homines, quandoque ipsâ morte esse crudeliores. Et licet forte quis hic aliqualem mansuetudinis speciem quærat, cogitet, quod Bellarminus, & forte non sine causâ, scribat *Lib. 3. de membris Ecclesiæ militantis*, qui est, *de Laicis*, *cap. XXI.* Augustinum semper excipere supplicium mortis, *non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum, quia hoc decere Ecclesiæ mansuetudinem existimabat, tum etiam, quia nondum ulla exstabat lex Imperatorum, quâ hæretici jubentur occidi: illa enim lex*, Quicunque. C. de hæreticis, *paulo post mortem Augustini lata est.* His verbis non obscure innuens, credere se, quod Augustinus, si ullâ lege imperatoriâ hæreticis constitutum fuisset mortis supplicium, id etiam approbaturus fuisset. Ita enim immediatè subjungit. *Quod autem Augustinus existimaverit, justum esse si hæretici occiderentur, perspicuum est: nam Lib. I. contra epistolam Parmeniani cap. 7. ostendit, quod si punirentur morte Donatistæ, justè punirentur. Et tract. II. in Joan.* Occidunt, *inquit*, animas, affliguntur in corpore, sempiternas mortes faciunt: & temporales se perpeti conqueruntur, &c. *Ubi dicit, falsò illos conqueri, quod occiderentur ab Imperatoribus: tamen si etiam verum esset, adhuc injustè conquererentur. Denique in Epist. L. ad Bonifacium dicit; Ecclesiam quidem nolle ullum hæreticum occidi, tamen sicut domus David non potuit habere pacem nisi Absolon extingueretur, & David pace regni mœrorem mortis filii consolatus est: sic cum ex legibus Imperatorum contra hæreticos sequitur aliquorum mors, Ecclesiam dolorem materni cordis lenire ac sanare tantorum liberatione populorum.*

Hæc omnia si quis cum priore Augustini sententiâ conferat, meritò exclamabit: O! quantum mutatus ab illo Augustino, qui ne in ipsos quidem Manichæos sævire voluit, memor pristini sui erroris, ex quo non nisi summâ proximorum suorum patientiâ revocari potuit: Nunc vero quævis, solâ morte exceptâ, probat contra Donatistas supplicia, ut per ea etiam nolentes, ad Ecclesiam Catholicam compellantur, ut ita tandem volentes in illius societate maneant: nunc elaboratos istiusmodi coactis attribuit sermones & prætextus, quibus reditum suum ad Ecclesiam, vi ipsis & metu suppliciorum expressum, tanquam voluntarium ac sibi salutarem palliare docentur. Sed supponamus, homines hosce credidisse, se ad doctrinæ suæ prædicationem præcepto divino obligatos, ac proinde ne Deo immorigeri sint, debuisse in patriam suam redire, ut doctrinam suam propagent: quid tandem in eos decernendum statuisset Augustinus? Omnia illius argumenta eò tendunt, ut, si talibus contra edictum imperatorium in patriam suam redeuntibus constitutum fuisset legibus Imperatorum supplicium capitis, minimè id improbaturus fuisse videatur.

Et sanè, qui post Augustini tempora hæreticos esse persequendos, quin & ultimo afficiendos supplicio docuerunt, non aliâ magis quam Augustini autoritate pugnarunt: & ut quanti sibi sit hac in re Augustini autoritas ostendant, etiam illius argumentis, quantumcunque insulsis, & manifestè à Scripturarum sensu recedentibus, tanquam validissimis, doctrinam adeo religionis Christianæ genio repugnantem, defendere solent. Imprimis autem Augustino duce distinctione hac uti didicerunt, quod hæreticis illicitum sit Ecclesiam, Ecclesiæ autem incumbat hæreticos persequi. Quæ nunc communis omnium hæreticidarum

rum exceptio est, & quâ unusquisque, qui potestate sæculari armatus est, specioso prætextu à se dissentientes persequi & opprimere solet. Non aliâ magis ratione se tuentur Pontificii, quando suarum in hæreticos persecutionum justitiam, omnium verò quæ contra se suosque instituuntur injustitiam adstruere solent: Et quod mireris: quod in aliis tanquam crudele & inhumanum reprehendunt, id quando à suâ Ecclesia in alios designatur, tanquam laudabile & heroicum deprædicare solent: Quasi ipsis à communi naturæ lege exemptis aliquid
L. 2. c. 8. § 3. liceat facere aliis, quod sibi ab aliis fieri nolunt. Conradus Brunus de hæreticis & schismaticis, conqueritur, Vandalos & Donatistas in Africâ omnes leges contra hæreticos latas invertisse, & contra Catholicos executos esse. *Hos*, inquit, *nostri quoque temporis hæretici imitantur: hoc etiam pejores illis, quod illi hujusmodi leges in se latas fuisse negarunt: nostri autem in Catholicos etiam latas esse & exequendas di-*
C. 9. § 1. *cant, ut ex multis eorum scriptis facilè cognosci potest.* Eodem libro conqueritur quod *hæretici nec ætati, nec sexui, nec generi, nec dignitati parcant. Etenim æquè in parvulos & adultos, fæminas & viros, virgines & conjugatos, senes & juvenes, sævire consueverunt.* Addit cap. XIII. *Crudele est & omnium immanissimum injuriam mortuis inferre. Quod tamen hæreticis & schismaticis inprimis est peculiare. Corpora Episcoporum, presbyterorum, mulierum, & virginum, quas crudeliter occiderunt, celarunt, illisque sepulturam denegarunt. Trip. lib. 2. cap. 3. Quorundam etiam corpora è terrâ levarunt, & foras projecerunt: alii concrematorum corporum cineres non veriti sunt in contumeliam aëris cælique dispergere, aliorum corpora in fluvios projecerunt. Leo Papa Epist.* 73. Si quis consideret Decretales Paparum, & Instructiones Inquisitionis, ac morem procedendi in Inquisitione usitatum, in quâ nulla personarum est distinctio, sed sine respectu ætatis, sexus, dignitatis, omnes perinde Inquisitioni subjiciuntur, mortui hæretici non tantum sepeliri prohibentur, sed & sepelientibus pœna constituitur, ut eorum cadavera propriis manibus extumulent, & sæpissimè sententiâ Inquisitorum cadavera eorum exhumata sunt, & aut in sterquilinium projecta, aut in cineres redacta, cineresque in aërem dispersi, ut in sequentibus fusius narrabitur; Si quis, inquam, hæc consideret, credere posset non seriò loqui Brunum; nisi cum Augustino senserit, licere Ecclesiæ in hæreticos, quod hæreticis in Ecclesiam non licet. Quâ doctrinâ semel admissa, unusquisque pro se decidens, suam esse veram Ecclesiam, etiam sibi jus arrogabit alios persequendi; & licet aliis hoc in se non concedat, nihil se injustè agere sibi persuadebit. Ita videmus Christianos vanâ hac doctrinâ à primævâ sua simplicitate ac mansuetudine deviasse, & in locum amoris mutui, quo omnium fidelium erat cor unum & anima una, successisse in Ecclesiâ Christi, non tantum discordias, lites, odia ac immicitias, sed & cædes & cruentissimam lanienam.

Interim considerare ipsos oportuisset, injustè in alios statui, quodcunque in se injustè statui credunt: ac quemadmodum sibi ab aliis persecutiones inferri nolunt, ita & sibi illicitum esse in alios], licet suo judicio hæreticos, persecutionibus sævire. Nam ut optimè olim scripsit Salvianus Massiliensis Presbyter, de Gubernatione Dei Lib. V. p. 150, 151. *Hæretici sunt, sed non scientes: Denique apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergò illi nobis sunt, & hoc nos illis. Nos eos injuriam divinæ generationi facere certi sumus, quod minorem Patre Filium dicant. Illi nos injuriosos Patri existimant, quia æquales esse credamus. Veritas apud nos est, sed illi apud se esse præsumunt. Honor Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse quod credunt. Inofficiosi sunt, sed illis hoc est summum religionis officium. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergò, sed bono animo errant: non odio, sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam æstimant Dei charitatem. Qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nullus potest scire nisi judex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, etsi non rectè credere, affectu tamen piæ opinionis errare.* &c. Verum nimia φιλαυτία Christianorum animos

ab

ab hac æquitate avertit, adeo ut quicunque sibi habuere obsequentia Imperatorum sceptra quosvis dissentientes hæreticos pronuntiarint, & in illos quovis suppliciorum genere sævierint.

CAPUT VII.

Persecutiones Papæ Romani in hæreticos.

HAc ratione res Ecclesiæ sub imperio Romano sequentibus sæculis administratæ sunt; & legum severitate ita homines cohibiti, ut vix quicquam contra recepta Ecclesiæ placita mutire ausi fuerint. Accessit, quod tanta ubique barbaries irrepserit, ut homines de nullâ re minus quam studiis solliciti, cœcâ quadam obedientiâ cuncta sibi ab Ecclesiasticis præscripta, quantumvis insulsa ac superstitiosa, sine ullo examine admiserint. Si quis vel minimum contradicere ausus fuerit, mox paratum erat supplicium. Atque ita quævis absurda dogmata Paparum violentiâ stabiliri potuerunt. Illo tempore dogma Transsubstantiationis potissimum in Ecclesiam, jam Paparum nutibus per omnia obsequentem, introductum est: Quam verò minimè tutum fuerit illud impugnare docet exemplum Berengarii Turonensis, Archidiaconi Andegavensis, qui cum docuisset, panem & vinum in cœnâ esse figuram corporis & sanguinis Domini, per Leonem IX. in Synodo Romanâ & Vercellensi, anno 1050. tanquam hæreticus est condemnatus, & quinquennio post, anno scilicet 1055. â Victore II. in Concilio Turonensi sententiam suam detestari, & Ecclesiæ Romanæ fidei propriâ manu subscribere, idque jurejurando confirmare coactus fuit. Cum vero invito Berengario hæc revocatio extorta fuisset, & sententiam, quam animo probabat, propugnasse compertus esset, Papa Nicolaus II. anno 1059. Romæ in Laterano Concilium convocat, in eo denuo Berengarium condemnat, & ad solemnem sententiæ suæ abjurationem compellit, quam Berengarius publicè recitavit, & suo chirographo confirmavit. Estque ea celebris illa abjuratio, quæ incipit, *Ego Berengarius.* Ita rursus violentiâ papali suppressa fuit veritas. In Oriente etiam anno 1118. Basilius quidam, autor sectæ Bongomilorum, jussu Alexii Comneni Imperatoris, publicè ob hæresin combustus est: ut refert Baronius Anno 1118. §. 27.

Interea immensum in modum crevit Romani Pontificis potentia, & ipsis Imperatoribus gravis esse cœpit, dum non contentus ecclesiasticâ potestate, etiam secularem sibi subjectam esse voluit. Verum ex densissimis illis tenebris immensâ Dei misericordiâ aliqua lux emersit.

Post annum enim Christi millesimum centesimum variæ fuere contentiones inter Cæsares & Papas de potestate Papæ in res sæculares: quæ cum utrinque magnis animis agitarentur, occasionem inde plures arripuerunt, illimitatam illam, quam sibi vindicare gestiebat, Papæ Romani potestatem exactius inquirendi. Imperatorum aliqui jus suum acriter contra Papas tuebantur, & à suâ parte habuerunt non tantum duces & principes, qui gladio & armatâ manu, sed & Episcopos & Theologos, qui calamo causam ipsorum animosè defendebant.

Illâ occasione plures alii fuere exorti, qui immensam illam Papæ Romani in rebus fidei autoritatem oppugnare cœperunt, illumque non tantum errandi periculo cum reliquis Episcopis obnoxium esse contenderunt; sed & varios illius errores, & illimitatæ potestatis abusus indicarunt & reprehenderunt: quos omnes infami hæreticorum nomine notatos, publici odii victimas esse voluit curia Romana.

Illi primò prodiere in quibusdam Italiæ partibus, maximè quidem in Insubriâ seu Lombardiâ: & quia in diversis civitatibus vivebant, & à suis quique doctoribus instituebantur, Pontificii, ut eos odiosos reddant, singulis diversas adscribunt opiniones & diversam sectam. Alii vero omnes easdem habuisse opiniones,

niones, & ejusdem fuisse sectæ contendunt. Si accuratius veterum monumenta, quæ nobis de hisce sæculis restant, pervolvamus, comperiemus aliquam quidem opinionum fuisse varietatem, etiam non omnes ejusdem fuisse sectæ, non tamen tantam fuisse sectarum multitudinem, neque tantam opinionum discrepantiam, quantam Pontificii ipsis objicere solent. Illorum præcipui fuerunt Tanchelinus, Petrus de Bruis, Petrus Abailardus, Arnaldus Brixianus, cujus doctrinam Baronius politicorum hæresin appellat, Hendricus, aliique, qui partim in Italiâ, partim in Galliâ prope ditionem Tholosanam docuerunt. Hi cum majore numero in ditione Albigensi doctrinas suas propagarent, & satis frequentes ac numerosas colligerent ecclesias, quæ doctrinam ipsorum apertè profitebantur, Albigenses appellati sunt.

CAPUT VIII.

De Albigensibus & Valdensibus.

EOdem circiter tempore Lugduni exorti fuere Valdenses, sive Pauperes de Lugduno, de quorum ortu nihil est, quod prolixè disseram, cum id abundè præstiterit doctissimus, & in antiquitate ecclesiastica versatissimus Jacobus Usserius Archiepiscopus Armachanus, in tractatu *de Successione Ecclesiarum in Occidente*, cap. VIII. Unum tantum inquiram, an Valdenses iidem fuerint cum Albigensibus, uti communis Protestantium fert opinio, an vero fuerint diversæ sectæ. Aliquot utrisque fuisse dogmata communia dubitari nequit: Verum & magnam doctrinarum fuisse diversitatem, & instituta ac ritus inter utrosque usurpatos admodum fuisse discrepantes, luce meridianâ clarius liquere videtur ex libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, quem nunc in lucem edimus, in quo plurimæ in Albigenses & Valdenses pronuntiatæ sententiæ leguntur, in quibus multa curiosa de ipsorum doctrinis & institutis, non ita passim obvia, occurrunt; sed quæ diversitatis non tantum in doctrinâ, sed & in ritibus & institutis indicia sunt adeo manifesta, ut quicunque aliquot in Albigenses & Valdenses pronuntiatas sententias legerit, statim atque in sententiam quandam inciderit, ex paucarum linearum lectione sit deprehensurus, an Valdensem, an vero Albigensem feriat. Quæ evidens adeo diversitas me, qui hactenus communem secutus opinionem eosdem esse Albigenses cum Valdensibus credidi, sententiam mutare persuasit, & duas distinctas in illis agnoscere sectas. Quod ut tanto manifestius pateat, ex eodem libro Sententiarum dogmata tam utrisque communia, quam singulis peculiaria, excerpam, ritusque, & instituta singulorum admodum discrepantia ostendam.

fol. 39. b. fol. 96. Communia Albigensibus & Valdensibus dogmata fuere: *Juramentum omne esse illicitum & peccatum*, ac proinde, quod in judicio constituti, & requisiti ut jurarent de veritate dicenda, jurare noluerint.

f. 40. De *Pœnitentiâ & Confessione peccatorum*, dicuntur Albigenses credere; *Confessionem quæ fit Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus nihil valere: nec Papam nec alium de Ecclesiâ Romanâ posse aliquem absolvere à peccatis: Quod ipsi vero habeant potestatem absolvendi à peccatis omnibus illos, qui ipsorum sectam volunt per impositionem manuum suscipere & tenere.*

f. 96. Valdensibus fermè eadem tribuuntur; quod doceant, *se potestatem habere à solo Deo, sicut Apostoli habent, audiendi confessiones de peccatis virorum & mulierum, qui credunt eisdem, sibi volentium confiteri, confessiones talium audiant, & injungant sibi confitentibus pœnitentias pro peccatis; quanquam tales, qui confessiones hujusmodi audiunt, non sint per Ecclesiam ordinati, nec sacerdotes, nec clerici, sed tantum laici, neque talem potestatem confiteantur se aliquo modo habere à Romanâ Ecclesiâ.* Quin & in plerisque Valdensium sententiis occurrit, *quod cuidam de Valdensibus confessi fuerint peccata sua, & receperint absolutionem & pœnitentiam ab eodem, & crediderint dictam confessionem & absolutionem & pœnitentiam sibi proficere ad salutem animæ, non aliter ac si fuissent confessi*

proprio sacerdoti. Optimè tamen illorum doctrina explicatur in sententiâ Huguetæ, uxoris Joannis de Vienna; *Quod solus Deus absolvat de peccatis; & ille, cui fit confessio peccatorum, solummodò det consilium quid debeat homo facere, & injungat pænitentiam, & quod hoc possit facere homo sapiens & discretus, sive sit sacerdos, sive non.* fol. 147.

De *Ecclesiâ Romanâ* dicuntur Albigenses credidisse, *duas esse Ecclesias, unam benignam, suam videlicet, & Ecclesiam Christi, eamque habere fidem, in quâ omnis, & sine quâ nullus perveniat ad salutem: Aliam vero malignam Romanam Ecclesiam, quæ est mater fornicationum, & basilica diaboli, & synagoga Satanæ; & quod nemo in fide illius Ecclesiæ possit salvari.* Alibi legitur, *quod non sit salus alicui, nisi receptus fuerit ab eisdem, & in sectâ eorum moriatur.* fol. 40. fol. 3.

Eadem ferme dicuntur docuisse Valdenses: *Se non esse subjectos Romano Pontifici, nec Prælatis Romanæ Ecclesiæ, nec se posse excommunicari à Romano Pontifice, nec aliis Ecclesiæ Prælatis; nec debere Papæ seu Romano Pontifici obedire præcipienti ipsis, quod sectam suam, tanquam damnatam per Ecclesiam, deserant & abjurent; quin imo Ecclesiam Romanam peccare, & contra ipsos agere indebitè & injustè, quia ipsos persequitur & condemnat.* Et quod doceant, *Ecclesiæ Romanæ Prælatos esse cæcos & duces cæcorum, & non servare Euangelii veritatem, nec sequi Apostolicam paupertatem: ipsamque Romanam Ecclesiam domum esse mendacii.* fol. 96. fol. 128. b.

Dogmata vero quæ passim Albigensibus attribuuntur, nunquam autem Valdensibus, sunt hæc.

Duos esse Deos ac Dominos, benignum videlicet, & malignum: creationem omnium rerum visibilium & corporalium non esse factam à Deo Patre cælesti & Domino Jesu Christo, sed à diabolo & sathana malo Deo, qui est Deus hujus seculi, artifex & princeps hujus mundi. Quod alibi ita exprimitur: *Quod Deus non faciebat florere nec germinare.* Alibi. *Quod Deus benignus fecit omnia invisibilia & incorruptibilia; & quod malus princeps, sc. Lucifer, fecit omnia visibilia & corruptibilia; ac etiam humana corpora.* Alio in loco. *Quod erant duo Dii, bonus & malignus, & malignus creaverat omnia visibilia.* fol. 40. fol. 68. fol. 120. b.

Quæ cum etiam in ipsius Petri Auterii, Doctoris inter ipsos eximii, sententiâ legantur, inde concludo, non tantum aliquos Manichæos, qui ex Asiâ profugi primò in Bulgariâ consederunt, & posteà in partes Tholosanas migrarunt, inter ipsos latuisse; sed & Manichæorum sententiam ab ipsis, aut saltem plurimis ipsorum, fuisse receptam. Et sanè non est quod manifestæ contradicamus veritati: licet enim laudemus, quod in Romanæ ecclesiæ doctrinâ varios detexerint errores, illiusque communionem fugerint: ingenui tamen candoris est, etiam aliquos ipsorum agnoscere nævos: Et sicuti in moribus ipsos cespitasse constat, *enduram*, uti vocant, hoc est ut inediâ mortem sibi accelerent, in suâ communione receptis commendando: ita etiam in dogmate quodam fidei errasse non est quod fateri erubescamus. Magis mirandum, quod sæculo adeo barbaro à variis se erroribus expediverint, quam quod quibusdam implicati fuerint.

Præter illud, & hæc eorum fuisse dogmata dicuntur.

Omnia Sacramenta Romanæ Ecclesiæ esse inania atque vana; videl: Eucharistiæ, ac Baptismi, nec non Confirmationis & Ordinis, & Extremæ Unctionis. fol. 40.

De Sacramento Eucharistiæ dicuntur credere, *ibi non esse corpus Christi*: Et: *quod non sit ibi nisi purus panis.* fol. 39. b. fol. 120. b.

De Baptismo: *Quod damnent Baptismum aquæ, dicentes, quod per impositionem manuum ab eis factam suis credentibus salvaretur homo, & remitterentur omnia peccata sine Confessione & Satisfactione. Quod nullus Baptismus valeret aliquid, nec ille quem ipsi dabant.* Quin & in sententiâ Petri Raymundi Dominici de Borno, legitur, quod audiverit Petrum Auterii docentem, inter alia, *quod baptismus aquæ factus per Ecclesiam pueris nihil valebat, quia pueri non consentiebant, imo flebant.* fol. 120. b. fol. 68. a. fol. 176.

De Extremâ Unctione: *Ordinem Sancti Jacobi seu Extremæ Unctionis pro infirmis in oleo materiali facto nihil valere, & eidem præferant impositionem manuum, quam Inquisitores execrabilem vocant.* fol. 3.

De

fol. 3. De Ordinibus: *Quod statum totius Romanæ Ecclesiæ vituperent & condemnent, & potestatem ligandi & solvendi denegent in omnibus Ecclesiæ Romanæ prælatis, dicendo, quod non possunt solvere nec ligare alios peccatores, cum ipsi sint magis peccatores: Sed quod ipsi possint dare ad salutem Spiritum Sanctum illis quos recipiunt.*

fol. 40. De Matrimonio: *Illud semper esse cum peccato, & nunquam sine peccato posse fieri,*
82 b. *ipsumque à Deo bono non esse institutum.* Item: *Matrimonium carnale inter virum & mulierem non esse verum matrimonium, nec bonum, nec licitum; nec à Deo institutum; sed aliud spirituale matrimonium.*

fol. 40. De Incarnatione Jesu Christi: *Dominum verum corpus humanum & veram carnem hominis ex nostrâ naturâ non assumpsisse; nec in eâ verè, sed solum in similitudine resurrexisse, & alia nostræ salutis opera peregisse, nec cum eâ ad Patris dextram adscendisse: Sanctam quoque Mariam matrem Domini nostri non esse nec fuisse mulierem carnalem; sed ipsorum Ecclesiam, quam dicunt esse veram pœnitentiam; & hanc esse Mariam Virginem.* Vel,
fol. 82. b. ut alio loco legitur: *Deum nunquam intrasse in uterum beatæ Mariæ Virginis, & quod ille tantum est mater, & frater, & soror Dei, qui servat mandata Dei Patris.* Item.
fol. 120. b. *Quod impossibile erat Deum fuisse incarnatum, quia nunquam tantum humiliavit se, quod poneret se in utero mulieris.*

fol. 120. b. De resurrectione mortuorum ipsis impingitur, *quod negent resurrectionem corpo-*
fol. 146. *rum*: Vel: *Resurrectionem corporum humanorum nullo modo futuram esse: Et licet animæ humanæ venirent ad judicium, quod tamen non venirent in corporibus suis.* Quod
fol. 40. alibi distinctius explicatur; *quod confingant quædam spiritualia corpora, & quendam interiorem hominem, in qualibus corporibus sint resurrecturi.* Uni ex Albigensibus at-
fol. 146. tribuitur, quod crediderit, *animas humanas malorum hominum egressas de corporibus ante & post judicium ire per los bausses & per los tertres, hoc est per rupes & per præcipitia, & quod dæmones de rupibus præcipitarent eas.* Item: *Quod animæ humanæ egressæ de corporibus habeant carnes & ossa, manus & pedes, & omnia membra, quæ licet præcipitentur per dæmones per rupes, & ex hoc doleant, tamen nunquam mori possint.*

fol. 68. De Adoratione crucis: *Quod homo non debeat adorare crucem*: Quod alio loco
fol. 3. odiosè admodum detorquetur, quod nempe *signum sanctæ crucis, quod tota veneratur Ecclesia tanquam signum salutis nostræ, repræsentationem Dominicæ passionis, sit signum*
fol. 176. *diaboli detestandum.* Alibi additur & ratio: *quod crux Christi non debebat adorari, quia nullus adoraret furcas in quibus pater suus fuisset suspensus.*

fol. 120. b. De animâ humanâ: *Quod animæ essent spiritus qui de cælo ciciderant propter peccata sua.*

Hæc dicuntur esse dogmata Albigensium: Nullum horum adscribitur Valdensibus, sed planè alia, quorum nulla in sententiis Albigensium mentio occurrit. Ea autem sunt hæc.

fol. 96. *Omne judicium à Deo esse prohibitum, & per consequens esse peccatum, & contra Dei prohibitionem existere, quod judex aliquis in quocunque casu & ex causâ quacunque hominem judicet ad supplicium, seu ad mortem: Et quod huc applicent verba Euangelii, Noli te judicare, & non judicabimini.*

fol. 96. *Indulgentias quæ fiunt per prælatos Romanæ Ecclesiæ non valere: post hanc vitam non esse purgatorium animarum, & per consequens orationes & suffragia, quæ fiunt à fidelibus pro*
fol. 92. *defunctis, ipsis non prodesse.* Alibi verò distinctius illud explicatur; *Quod in istâ præsenti vitâ solum sit pœnitentia & purgatorium pro peccatis; & quando anima recedit à corpore, quod vadat ad paradizum vel ad infernum; &* quod Valdenses *non faciant orationes, nec alia suffragia pro defunctis; quia dicunt, quod illi qui sunt in paradizo non indigent, & illis qui sunt in inferno non prodessent.*

fol. 146. b. *Quod in Ecclesiâ non sint nisi tres ordines, Episcopalis, Sacerdotalis, & Diaconalis.* Ipsis
fol. 128. b. etiam crimini datur, quod cum Laici sint, prædicent de Euangeliis, & Epistolis, aliisque Sacris Scripturis; cum prædicatio & Sacræ Scripturæ expositio sit penitus Laicis interdicta.

Ex hisce liquet, easdem non fuisse doctrinas Albigensium & Valdensium. Minimè quidem dubitandum est, quin aliquando doctrinæ eorum multum fuerint

sint depravatæ & odiosè propositæ; quod ex variorum locorum collatione facilè deprehenditur: nam eadem doctrina, quæ uno loco admodum est depravata, alio paulò plenius & minus malignè proponitur: Quod vel unicum de resurrectione mortuorum exemplum luculentissimè demonstrat: Alibi enim Albigenses accusantur, quod *negent resurrectionem corporum humanorum*; non aliter ac si mortuorum resurrectionem penitus negarent: quod tamen alio in loco distinctius explicatur; quod *mortui in corporibus spiritualibus sint resurrecturi.* Similes sententiarum depravationes aliis in locis occurrere nullum est dubium, & aliquando ex accuratâ variorum locorum inter se collatione satis manifestè deprehendi possunt. Interim negari nequit, diversas fuisse Albigensium & Valdensium doctrinas. Si enim easdem professi essent, nulla excogitari potest causa, cur utrisque diversas attribuissent; quin potius, cum causas eos condemnandi avidè conquirerent, omnium, quas tam Valdensibus quam Albigensibus attribuunt hæreticas opiniones, singulos reos arguissent, ut ita pluribus criminibus gravati justiore prætextu ab Inquisitoribus condemnati crederentur.

Hoc eodem argumento evidenter concludo, multa alia infanda dogmata, quæ passim apud Baronium, Bzovium, aliosque, Albigensibus & Valdensibus credita leguntur, ex mero odio esse conficta, ut plebi exosi redderentur: Præsertim infame illud dogma, quod Eymericus Direct. Inquisit. part. 2. Quæst. XIV. Valdensibus impingit: *Quod melius sit satisfieri libidini, quocunque actu turpi, quam carnis stimulis fatigari: sed sit (ut dicunt & ipsi faciunt) in tenebris licitum, quemlibet cum qualibet indistinctè carnaliter commisceri, quandocunque & quotiescunque carnalibus desideriis stimulentur.* Quid enim, si hoc eorum fuisset dogma, an nemo è tanto captivorum, qui hic ad varias damnati sunt pœnas, numero illo dogmate infectus fuit? Aut si eo infecti fuerunt, an ea Inquisitorum horum fuit æquitas, benignitas & clementia, ut crimen, quod communi omnium hominum judicio damnatur, ipsosque gravissimæ pœnæ ac supplicii reos reddidisset, dissimulare voluerint; atque ita speciem præbere, quod ob meras opiniones, ab Ecclesiæ Romanæ fide deviantes, quæ cum bonæ conscientiæ studio consistere possunt, homines illos persequerentur ac dirissimis suppliciis afficerent, quo in se facti adeo horrendi invidiam accersant: cum, si verè fuerint homines adeo scelerati, crimen hoc propalando omnem tam diræ Inquisitionis invidiam à se in homines adeo nefarios potuissent derivare, omniumque applausum mereri?

Inde colligere licet, quæ fides scriptoribus Pontificiis habenda sit, quando doctrinas ac mores hæreticorum (quos vocant) describunt. Familiare ipsis est, omnibus à suâ communione recedentibus, libidinis crimen impingere; quasi unica, quæ ipsos Romanæ Ecclesiæ communionem relinquere suadeat, causa sit spurcus ac inhonestus mulierum amor: eamque labem viris, castitate & continentiâ eximiis, impudentissimè aspergere non verentur. Interim certum est, Monachos ac Sacerdotes ipsorum, quoniam omne æstuantis libidinis remedium casti matrimonii usu ipsis interdictum est, in illicitam Venerem omni abjecto pudore licentiosè proruere, ac in voluptatibus carnalibus fœdè volutari. Erasmus ad Notata Beddæ, Tom. IX. pag. 401. ait: *Est apud Germanos Episcopus quidam, qui ipse dixit in convivio, uno anno ad se delata undecim millia sacerdotum palam concubinariorum. Nam tales singulis annis pendunt aliquid Episcopo.* Hoc nimirum est, quod Germanica natio in centum suis gravaminibus annis CIↃ IↃ XXII. & CIↃ IↃ XXIII. in comitiis Norimbergæ Oratori Pontificio proposuit, Gravamine XCI. *Item, in locis plerisque Episcopi, & eorum Officiales, non solum sacerdotum tolerant concubinatum, dummodo certa persolvatur pecunia; sed & sacerdotes continentes, & qui absque concubinis degunt, concubinatus censum persolvere cogunt, asserentes, Episcopum pecuniæ indigum esse, quâ solutâ licere sacerdotibus, ut vel cœlibes permaneant, vel concubinas alant. Quam res hæc sit nefanda, nemo non intelligit.* Idem Erasmus in Supputatione errorum Beddæ, eodem Tom. IX. p. 484. hæc habet. *Quid mirum, si ætate Augustini dictæ sunt aliquot virgines sanctimoniales nupsisse, cum hoc seculo tot di-*

 can-

cantur esse monasteria, quæ nihil aliud sunt quam publica lupanaria, plura privata; tum in his ipsis quæ maximè probatæ disciplinæ sunt multò plures sunt quæ velum habeant, quam quæ virginitatem. Quod equidem dolens repeto, atque utinam falsò. Et paulò post. *Novi quosdam, qui puellas, quibus fuerant abusi, quo res premeretur sepelierunt in monasteriis.* Ibid. pag. 569. *Magnificè Bedda clamat, absit, absit, ut quisquam admittatur ad sacerdotii dignitatem, qui carnis in totum non contemnit illecebras; quum hodie reperiantur, qui quinquaginta habent concubinas; ne quid addam sceleratius.* Et pag. 985. De interdicto carnium esu. *Inter sacerdotes quanta raritas eorum qui castè vivunt? De his loquor, qui domi palam alunt concubinas uxorum loco. Nec enim attingo nunc secretiorum libidinum mysteria. Tantum ea loquor, quæ vulgo quoque notissima sunt.* Sceleratius autem est exemplum quod narrat pag. 1380. respons. ad quendam febricitantem: quendam Theologiæ professorem Dominicanum, nomine Joannem, sibi Antverpiæ, in ædibus Nicolai Middelburgensis Medici, nominasse Theologum Lovaniensem, unde acceperat, quod quendam pastorem sacrarum virginum, qui confessus est, se cum ducentis habuisse stupri consuetudinem, inabsolutum dimiserit. Sed quid opus est testimonia ex autoribus singularibus proferre? Ipsæ leges Inquisitionis, quæ Sacerdotibus non tantum fœminas, sed, proh scelus! etiam pueros in Sacramentali confessione sollicitantibus, pœnas decernunt, indicium sunt irrefragabile, crimina hæc in impuro isto cœlibatu nimis esse vulgaria & frequentia. Cum itaque ipsi mentes habeant carnis illecebris irretitas, & oculos (uti Scriptura ait) adulterii plenos, communi hominum vitio aliorum animo ex suis æstimantes, unicam, vel præcipuam Romanam ecclesiam deserendi causam esse credunt, immodicum mulierum amorem: cum, si non bonæ conscientiæ ducerentur studio, sed concupiscentiæ carnalis agitarentur stimulis, multò tutius in Romanæ ecclesiæ communione manere possent, ubi luculentissimæ explendis desideriis inhonestis quotidie ipsis offeruntur occasiones, nec quicquam est, quod Inquisitorum crudelissima tribunalia ipsos metuere jubeat, modo cauti sint, ne in confessione Sacramentali fœminas sollicitent. Hæc semel hic dicta sunto ad Pontificiorum calumnias, identidem, quandocunque hæreticorum (qualescumque sint) exortum describunt, easdem repetentium, retundendum. Nunc inceptum prosequemur.

Præter diversitatem dogmatum etiam & Instituta & ritus Albigensium & Valdensium valdè fuere diversa. Primò enim Albigensium duo fuere genera: alii pro-
fol. 40. a. fitebantur fidem & ritus ipsorum, vocatique sunt *perfecti*, seu *consolati*: Alii hisce
fol. 15. b. 62. a. 70. a. perfectis fecerunt pactum, quod ipsi vocant *la convenensa*, convenientiam, quod in fine vitæ per eos recipi vellent ad sectam ipsorum. Receptio illa passim vo-
fol. 120. b. catur *hæreticatio*, factaque est in hunc modum Benedicto Molinerii in quadam infirmitate: *Bernardus de Goch Albigensis manus ipsius infirmi tenuit inter manus suas, & quendam librum tenuit super ipsum infirmum, in quo legebat Euangelium beati Joannis, in principio erat verbum; tradiditque eidem infirmo filum subtile, quo pro hæresi cingeretur.*
fol 86. a. Circa mulierem autem infirmam ritus aliquantulum diversi sunt adhibiti: *Petrus* nempe *Auterii coram dictâ infirmâ dixit benedicite, sive instruendo infirmam quod sic di-*
p. 43. a. *ceret, sive alias dicendo per seipsum: tum manum suam posuit super infirmam, tenendo quendam librum, & legendo aliqua verba, & prius posuerat quendam pannum lineum album super infirmam, & postquam in libro legisset, Petrus & Aurelius fecerunt multas genuflexiones juxta lectum infirmæ.* Per abstinentias quasdam ad receptionem istam præparabantur: quod colligere licet ex sententiâ Petri Raymundi Dominici de Borno, qui dicitur vidisse Petrum Auterii, cum Petro Sancii, *qui tunc faciebat abstinentias, quas faciunt illi qui debent recipi ad sectam hæreticorum.*

fol. 86. a. Receptio illa credebatur animam recepti salvare, vocataque fuit *baptismus spi-*
fol. 3. a. *ritualis*, seu *consolamentum*, vel *receptio* & *bonus finis*. Unde & per eam credeban-
fol. 49. tur sanctificari, ita ut nullum ita receptum fas esset à muliere tangi. Sic legitur in sententiâ mulieris cujus pater in ordinem Albigensium receptus erat, *sibi à patre interdictum, ne ipsum tangeret, quia postquam receptus esset nulla mulier eum tangere debuit;*

debuit; & ipsa proinde ex eo tempore eum non tetigit. Et in alterius mulieris sententiâ, *quod illicitum ipsi fuerit tangere Petrum Sancii; quodque audiverit, quod dicant, quod non tangant mulierem, nec se à muliere tangi permittant.* fol. 68. b.

Cum autem fieri posset ita receptum denuo ad pristina vitæ inquinamenta relabi, receptio illa dilata fuit ad extremam usque infirmitatem, quando jam nulla convalescendi spes superérat, ne bonum quod jam acceperant denuò amitterent. Quare & quidam, licet jam advenisset Albigensis, recepti non sunt, quoniam nondum mors instare credebatur. Sic legitur Petrus Sancii vocatus *ad hæreticandam quandam infirmam; quæ tamen tunc non fuit hæreticata, quia non visum ipsi fuit, quia dicta infirma adhuc erat fortis.* Postea ingravescente morbo iterum advocatus fuit Petrus Sancii, sed nec tunc fuit hæreticata, quia convaluit. fol. 68.

Qui verò recipiebantur in suâ infirmitate, iis præscriptum fuit, ut se ponerent in *endura*, id est, inediâ, quin & venæ sectione & balneatione sibi mortem accelerarent. Sic de muliere quadam dicitur, quod in abstinentiâ, quam ipsi vocant *enduram, multis diebus perduraverit mortemque corporalem sibi acceleraverit, sanguinem minuendo, balneum frequentando, potumque letiferum ex succo cucumerum sylvestrium immisso in eo vitro fracto quo frangerentur ejus viscera in fine ut finiret celerius petitum avidè assumendo.* De aliâ, quod *inhibita fuerit à socru, ne filiæ suæ parvulæ à Petro Sancii hæreticatæ, daret lac ad bibendum, atque ita filia illa mortua sit.* Alia confitetur, *quod non viderit patrem suum, ex quo fuit hæreticatus, comedentem neque bibentem, nisi aquam frigidam.* Hugo autem quidam aliquot diëbus in *endurâ* perseveravit, sed postmodum ad instantiam matris suæ comedit & convaluit. Eodem anno illum Petrus Sancii invitavit, *ut se poneret in endurâ, & faceret bonum finem: Verum tum non consensit, sed quando esset in ultimo vitæ suæ.* Idem ille vidit, *quod Sancius sibi procurabat & accelerabat mortem per minutionem, balneationem, & frigidationem.* Aliam mulierem legitur Petrus Auterii recepisse, *& postquam recepta esset inhibuisse, ne à modò aliquis cibus ministraretur dictæ infirmæ hæreticatæ; duæ autem fœminæ quæ illi ministrabant observarunt quod de totâ nocte nec de die sequente ullus cibus vel potus ei fuit ministratus, ne dicta infirma perderet bonum quod receperat, & ne faceret contra ordinationem Petri Auterii, quamvis dicta infirma requireret, quod darent sibi cibum.* Quæ tamen tertiâ tandem die comedit & convaluit. In sententiâ Petri Raimundi de Hugonibus hæc leguntur de *endurâ*. *Tu ipse vitam corporalem voluntariè tibi subtrahis, & mortem tibi infligis, quia posuisti te in illâ abstinentiâ, quam hæretici vocant enduram; in quâ endurâ jam per sex dies sine cibo & potu stetisti, nec voluisti comedere, nec adhuc vis, quamvis pluries fueris invitatus.* Non omnes tamen videntur duræ isti legi sese subjicere voluisse: Legitur quippe mulier quædam noluisse filiam suam infirmam, si appropinquaret ad finem, recipi; *quia oportuit, quod dicta filia sua poneretur in endurâ.* Quin & legitur exemplum mulieris quæ præ metu ne ab Inquisitoribus caperetur se in *endurâ* posuit, & adducto chirurgo venam sibi secari jussit in balneo; & post chirurgi abitum brachium deligavit in balneo, ut sanguine copiosius exeunte ipsa citius moreretur: dein emto toxico mortem sibi voluit consciscere: postea subulâ, quam juxta sæculi illius barbariem vocant alzenam sutoris, latus sibi voluit perfodere, sed disputarunt inter se mulieres utrum cor esset in dextrâ an sinistrâ parte: tandem exhausto toxico postridiè fuit mortua. fol. 14. b. fol. 46. fol. 49. fol. 63. fol. 65. b. fol. 82. b. fol. 71. fol. 30. b.

Peculiarem etiam habuere salutandi morem, amplexando, ponendo manus ad utrumque latus, & vertendo caput ter ad utrumque humerum, dicendo qualibet vice, benedicite. Quæ salutandi ratio familiaris ipsis fuisse videtur, quoniam in plurimorum sententiis occurrit, & facta fuit aliquando flexis genibus: aliquando manibus demissis ad terram usque. Aliquando etiam fuit requisita: Sic legitur de quodam, *requisitus per dictum hæreticum, quod genu flecteret coram eo, & diceret benedicite, tunc genu flexit, & dixit benedicite coram eo: & hæreticus respondit, Deus vos perducat ad bonum finem.* Et de muliere quadam, *quod viderit quandam personam genu flectentem coram Petro Auterii in domo suâ prædictâ, &* fol. 59. b. 176. b. fol 120 b. fol. 9. b. fol. 91. fol. 89.

tunc ipsa fuit requisita quod faceret Melioramentum suum coram dicto hæretico, sicut alia faciebat; & tunc ipsa cæpit genu flectere coram dicto hæretico, & nescivit facere Melioramentum prædictum; & tunc illi qui erant præsentes inceperunt ridere, & ipsa fuit verecundata, & recessit inde. De alio verò legitur, qui Petro Auterii fecerat convenientiam, *quod se illi commendare voluerit, ut Deum pro se oraret, inceperitque genua coram ipso flectere: & quod Petrus Auterii dixerit, non faciatis; quia non est hic locus; & sic dimisit eum quod non flecteret genua coram eo, quod volebat & inceperat facere.* Nec ab iis solum qui recipiebantur hanc salutationem requirebant, sed & qui inter ipsos *Perfecti* vocabantur aliosque recipiebant, in mutuo occursu hunc salutandi morem observabant. Sic legimus in sententiâ Amelii de Perlis, quod ipse & Petrus Auterii coram Inquisitoribus *mutuâ adoratione sese invicem salutarunt; ac ambo unus alium mutuo coram ipsis proni in terram more hæreticali adoraverunt, & ejusdem sectæ esse seipsos dixerunt, & se alias pluries adorasse more consimili ibidem recognoverunt.*

fol. 70.

fol. 16 b.

fol. 120. b. Jejunium observarunt tribus diebus in septimanâ, in pane, & aquâ.

fol. 49. Infirmo cuidam dicitur, quod *non debebat comedere, nisi posset dicere Pater noster.*

fol. 147. De Valdensibus legitur, quod quosdam sectæ suæ *Majores* habuerint. Sic Joannes Lotharingus sectæ illius *Majoralis* nominatur: Christinus & Joannes de Chalo, seu de Chabilone, *Majores.*

Ante & post prandium dicuntur *orare flexis genibus, & inclinati super bancam;* quod in omnibus fermè Valdensium sententiis occurrit. Quin & usitatum ipsis fuisse videtur mensæ benedicere, quia Perrino Fabri crimini datur *quod comederit & biberit cum Valdensibus in eadem mensâ benedictâ per eos.*

fol. 109. b.

fol. 128. b. Dicuntur *seipsos vitæ & perfectionis Apostolicæ comparantes & meritis coæquantes, jactare se tenere & servare Euangelicam & Apostolicam paupertatem.* Quæ professio ipsis *Pauperum de Lugduno* cognomen conciliavit.

fol. 128. b. Tum & mores alios à communi vivendi genere diversos habuisse videntur. Sic legitur, *dicta secta Valdensium in nonnullis aliis à communi conversatione fidelium vitâ & moribus dissidet & discordat.*

fol. 123. Tandem in sententiâ Joannis Philiberti Presbyteri legitur, *quod Valdenses prædicant credentibus suis aliquando post cœnam de nocte de Euangeliis & de Epistolis in vulgari.*

Cum itaque tanta sit inter Albigensium & Valdensium non doctrinas tantum, sed & instituta diversitas, manifestum est, duas fuisse diversas sectas, utrasque quidem Romanæ Ecclesiæ communionem horrentes, verum in multis à se mutuo dissidentes. Estque id discrimen in hisce actis evidentissimum. Cum enim omnes qui leguntur judicati usque ad fol. 92. sint Albigenses, primi Valdensis Stephani Poncherii mentio fit isto folio. & folio 96. sequitur sententia contra Johannem Brayssan Valdensem. Exinde promiscuè condemnantur Albigenses & Valdenses, ita tamen, ut primo statim intuitu Valdenses ab Albigensibus discerni queant. Albigensium præcipui qui alios receperunt sparsim in variorum sententiis nominantur, Petrus Auterii, & Jacobus filius ejus. Guilielmus Auterii, Petri frater. Petrus Raimundi de Sancto Papulo. Aimericus Barroti. Amelius de Perlis, Andreas de Padris. Octavius. Petrus Sancii de Garda. Bernardus Audoyni de monte acuto. Poncius de Axs. Poncius de Rica de Avinione. Quin & fol. 119. b. inter alios nominatur, Aymericus de Colleto Episcopus hæreticorum Albiensium. Valdensium vero præcipui nominantur, Christinus & Johannes de Chalo, seu de Chabilone, Majores illius sectæ. Johannes Moran. Petrus & Rotbertus Fochardi. Gerardus Provincialis. Gerardus Burgundus seu Viennensis. Perrinus Belys. Stephanus Poncherius. Johannes Breyssan, aliique: qui omnes magno numero nominantur fol. 93. 101. 106. 123. 146. b. Ex quibus evidenter colligo, non tantum in initio duas fuisse distinctas sectas, sed nec postea, saltem ad annum CIↃ CCCXX. hoc est, sesqui sæculo post ipsarum exortum, nondum in unam coaluisse Ecclesiam.

fol. 1. b. 2. 3. 5. 6. b. 15. b.

Pegna in direct. part. 2. comm. 25. Illud tamen hic dissimulare minimè possum, Ivonetum, qui circa illa tempora

pora vixit, Valdensibus varia attribuere, quæ in hoc volumine de Albigensibus leguntur: Nimirum quod duo sectæ ipsorum sint genera: *Quidam* (sunt verba Ivoneti) *dicuntur Perfecti eorum, & hi propriè vocantur Povres de Lion: nec omnes ad hanc formam assumunt, sed prius diu informantur, ut & alios sciant docere. Hi nihil proprium dicunt se habere, nec domos, nec possessiones, nec certas mansiones: conjuges, si quas ante habuerunt, relinquunt. Hi dicunt se Apostolorum successores, & sunt magistri aliorum & confessores; & circuunt per terras visitando, & confirmando discipulos in errore. His ministrant discipuli necessaria. In quocunque loco veniunt, insinuant sibi mutuo adventum illorum; conveniunt ad eos plures in tuto loco in latibulis audire eos & videre; & mittunt eis illuc optima quæque cibi & potus; & indicunt collectas nummorum discipulis pro sustentatione eorundem Pauperum & Magistrorum suorum, & studentium, qui per se sumtus non habent: vel etiam ad alliciendum aliquos, quos cupiditas nummi trahit ad sectam horum.* Pleraque enim hæc in hoc volumine Albigensibus attribuuntur; ita ut nonnunquam inter se commisceri videantur.

Pegna verò & Eymericus aliquod inter utrosque discrimen agnoscere videntur: Pegna enim in Eymerici directorium Inquisitorum, part. 2. comment. 38. *Consolamentum* vocat *Albigensium sacramentum*, additque, alterum eorum sacramentum esse panis benedictionem: *Hæc*, inquit, *est quædam fractio panis, quam ipsi quotidie faciunt tam in prandio quam in cœnâ. Fit autem hoc modo. Cum ingressi sunt ad mensam Cathari sive Catharæ* (ita vocat Albigenses) *omnes dicunt orationem dominicam; interim qui prior est apud eos possessione vel ordine, tenet panem unum vel plures si necesse foret ad præsentem multitudinem saturandam; & dicendo:* Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper cum omnibus nobis, *frangit panem seu panes, & distribuit omnibus discumbentibus, non solum Catharis, sed etiam credentibus suis. Atque in hoc differunt à Pauperibus de Lugduno; nam illi solum semel in anno conficiunt seu benedicunt.*

De Valdensibus autem Eymericus part. 3. num. 112. ita scribit. *Quoddam scutum in sotularis seu zabbatæ parte superiori, hi qui Perfecti inter eos sunt, in signum deferunt, à quo & Inzabbatati etiam dicti sunt.* &c. *Unum sibi præferunt quem Majoralem vocant, cui soli, & non alteri, obedientiam præstant. Quando ponunt se ad mensam, per hunc modum benedicunt;* Qui benedixit quinque panes hordeaceos & duos pisces in deserto discipulis suis, benedicat hanc mensam nobis. *Et quando surgunt dicunt illud Apocalypsis:* Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen: *semper tenendo manus & oculos ad cælum elevatos.* Quæ congruunt illis, quæ in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ de Valdensibus leguntur, quæque ibi brevius & quasi uno verbo attinguntur, explicatius ac distinctius tradunt.

Ibidem num. 88. & seqq. Eymericus hisce sui temporis hæreticis varias attribuit æquivocationes & fraudes, quibus Inquisitores, quando de fide interrogantur, eludere conentur: Videlicet: *Si rogentur, credis tu baptismum esse Sacramentum necessarium ad salutem? respondent, Credo; intelligendo, quod ipsi habeant fidem, non vero, quod credant de quo rogantur. Vel, si Deo placet, ego bene credo; subintelligendo, Deo non placere ut istud credant. Vel retorquendo interrogationem, Domine quomodo vos creditis? & quando Inquisitor fidem Ecclesiæ Romanæ explicat, dicunt; Ego ita credo, intelligendo, ergo credo vos ita credere, non vero quod ipsi id credant.* Et similes, quas se in officii sui administratione observasse affirmat.

Hæc de Albigensibus & Valdensibus prolixius paulò disserui, ut ex hisce quilibet judicet, an una eademque, an verò duæ distinctæ sectæ olim fuerint. Ut mentem meam ingenuè dicam, videntur duæ fuisse diversæ sectæ, multaque, quæ hodie ipsis attribuuntur, dogmata penitus ignorasse. Speciatim Valdenses videntur homines fuisse simplicioris vitæ ac judicii, rudes & inexercitati; & si dogmata & instituta ipsorum benè & sine præjudicio examinentur, dicendum videtur, inter omnes quæ hodie sunt Christianorum sectas nullam majorem cum ipsis habere convenientiam, quam illam quæ Mennonitarum vocatur.

CAPUT IX.

De Persecutionibus contra Albigenses & Valdenses institutis.

OMne Paparum studium fuit, doctrinam, immensæ ipsorum potestati adeo inimicam, in herbâ, quod ajunt, opprimere. Anno CIↃCLXIII. in Synodo Turonensi mandatum est Episcopis & sacerdotibus omnibus in partibus Tholosæ commorantibus, *vigilare, & sub interminatione anathematis prohibere, ut ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores,* (quæ dudum in partibus Tholosæ emersisse dicitur) *ne receptaculum quisquam eis in terrâ suâ præbere, aut præsidium impertire præsumat. Sed nec in venditione aut emtione aliquod cum eis omninò commercium habeatur; ut solatio saltem humanitatis amisso, ab errore viæ suæ resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum, anathemate feriatur. Illi verò si deprehensi fuerint, per Catholicos principes custodiæ mancipati omnium bonorum amissione mulctentur.*

Baron. § 18, n. 4.

Cum in vicinam Arragoniam pervenissent Valdensium aliqui, Ildephonsus Rex Aragonum anno CIↃCXCIV. decretum contra eos edidit, atrox admodum ac crudele, quo ipsos *ab omni regno suo & potestativo, tanquam inimicos crucis Christi, Christianæque religionis violatores, suosque & regni publicos hostes, exire ac fugere* præcipit. Addit: *Si quis igitur ab hoc die & deinceps prædictos Valdenses & Inzabbatatos aliosve hæreticos, cujuscunque fuerint professionis, in domibus suis recipere, vel horum funestam prædicationem aliquo loco audire, vel his cibum, vel aliquid aliud beneficium largiri præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & nostram se noverit incurrisse, bonisque suis absque appellationis remedio confiscandis, se tanquam reum criminis læsæ Majestatis puniendum.* &c. *Notandum etiam, quia si qua persona nobilis, aut ignobilis, aliquos sæpe dictorum nefandorum, quibus jam per triduum edictum nostrum innotescere constiterit, alicubi regionum nostrarum invenerit, non prorsus, aut citò tamen exeuntes, sed potius contumaciter commorantes, aut deambulantes, omne malum, dedecus & gravamen, quod his præter solummodo læsionem mortis, aut detruncationem membrorum, intulerit, gratum & acceptum erit in oculis nostris, & nullam inpœnam pertimescat quoquo modo incurrere: sed potius gratiam nostram noverit se promereri. Damus autem illis nefandis inducias (quamvis quoddammodo præter debitum & contra rationem fieri videatur) usque in crastinum Sanctorum omnium, quo vel egressi fuerint de terrâ nostrâ, vel egredi inceperint: deinde spoliandis, cædendis ac fustigandis, & turpiter ac malè tractandis.*

Pegna in Eymeric. part. 2. com. 39. Bzovius a. 1199. § 38.

Non mitius Urbe veteri in hæreticos sævitum est: Petrus Parentius præfectus plurimorum habito consilio in publicâ statuit concione, ut si quis infra diem statutum ad Ecclesiam, quæ gremium suum non claudit redeuntibus, remearet, & Episcopi obediret mandatis, veniam & gratiam mereretur: qui autem redire ante præfixum diem contemneret, pœnam exciperet legibus & canonibus constitutam. Qualis autem fuit ea gratia? Illa in publicis Ecclesiæ illius tabulis describitur hisce verbis: *Episcopus verò exardescens contra Manichæorum perfidiam, vehementer testimonia hæreticorum ab hæresi ad Catholicam redeuntium unitatem recepit sollicitudine pastorali, & Petro Parentii præsentavit: hic alios alligavit ferreis nexibus compeditos, alios censuit publicè verberibus flagellandos, alios extra civitatem coëgit miserabiliter exulare, alios pœnâ mulctavit pecuniæ, quæ amissa veris lachrymis ab avaris possessoribus deploratur; ab aliis accepit pignora copiosè, domos etiam fecit dirui plurimorum. Rector itaque nostræ civitatis viâ regiâ incedendo, nec ad sinistram, nec ad dextram declinabat.* Hisce porrò subjungit Raynaldus: *Hæc sacro ardore Catholicæ fidei æstuans novus Phinees hoc ipso anno quadragesimali tempore peregit.* Ille vero non ita multò post ab hæreticis interfectus est.

Raynald. a. 1199. § 23, 24. — § 25.

Circa annum millesimum ducentesimum Papa Innocentius III. variis Archiepiscopis & Episcopis in Aquitaniâ aliisque Galliæ provinciis scripsit, ut Valdenses, Catharos, & Paterinos è ditionibus suis ejiciant; mittitque eò Fratres Rayne-

Bzovius a. 1198. § 6. Raynaldus § 37.

nerium, & Guidonem Ordinis Hospitaliorum conditorem, ut per eos hæretici convertantur; mandatque Episcopis, ut, qui converti non poterunt, de finibus suis ejiciant; & quæcunque Frater Raynerius contra hæreticos, fautores & defensores eorum duxerit statuenda, recipiant humiliter & inviolabiliter observent. Præcipit porrò Principibus, Comitibus, &c. ut postquam hæretici impœnitentes per Fratrem Raynerium sunt excommunicati, eorum bona fisco addicant, & de terrâ suâ proscribant: si verò illi post interdictum ejusmodi in terris ipsorum morentur, gravius in eos animadvertant, sicut decet principes Christianos. Fratri Raynerio porro liberam confert potestatem principes ad id per excommunicationis sententiam, & interdictum terræ, appellatione remotâ, compellendi; mandatque eidem, ut in receptatores hæreticorum ab ipso excommunicatorum sententiam excommunicationis promulgare non differat. Tandem hortatur populum, ut à Fratribus Raynerio & Guidone requisiti, contra hæreticos accingantur; omnibus, quicunque ipsis adstiterint fideliter & devotè, eam peccatorum indulgentiam concedit, quæ limina B. Petri vel Jacobi visitantibus concedi solet. Anno proxime sequente mandavit Archiepiscopis Auxitano, Metensi, aliisque, nec non Abbatibus aliquot, ut Pauperes de Lugduno aliosque inquirant de fide orthodoxâ, & quod invenerint per nuntium & literas plenius intiment; ut per ipsos certior effectus, prout procedendum fuerit, procedat. Ad evertendam hæresin acerbissimas porrò leges tulit, quæ in literis ad Viterbienses datis, quorum urbem ea invaserat, continentur.

Bzovius a. 1199. §. 21.

Raynald. a. 1199. § 27.

CAPUT X.

De Dominico, & primâ Inquisitionis origine Tholosæ.

HActenus vidimus censuram in hæreticos demandatam Episcopis, quibus Ecclesiarum regimen & cura, juxta recepta in Ecclesiâ Romanâ decreta, concredita fuit: Verum cum illi curiæ Romanæ viderentur aut isti numeri non satis idonei, aut negligentiores, nec eodem quo Papa contra hæreticos fervore grassarentur; Papa, ut multiplicantem hæresium cursum sisteret, hæresesque commodius exstingueret, circa annum Domini CIↃCC instituit Ordines Dominicanorum & Franciscanorum, qui contra hæreses prædicarent. Dominicus cum suis sequacibus missus est in partes Tholosanas, ubi maximâ cum vehementiâ contra enatas ibi hæreses prædicavit: unde & illius Ordini *Prædicatorum* nomen adhæsit. Franciscus autem cum suis in Italiâ hæreticos oppugnavit. Mandatum porrò eis dedit Papa, ut principes & populos Catholicos ad hæreticos exterminandum excitarent, in omnibus locis numerum & qualitatem hæreticorum, nec non Catholicorum zelum & Episcoporum in exstirpandis hæreticis diligentiam inquirerent, & Romæ fideliter renuntiarent. Inde *Inquisitores* sunt appellati.

Primos Inquisitores ex Fratribus Dominicanis, seu Ordinis Prædicatorum, esse delegatos, satis constat: Non verò perinde exploratum est, quo anno primum introducta sit Inquisitio. Dominicus, uti diximus, missus est in partes Tholosanas, seu Galliam Narbonensem: Ipse, ut refert Bertrandius in gestis Tholosanorum, citante Usserio de *Success. Eccles. in Occidente*, cap. IX. § 9. primo hospitatus est in domo cujusdam nobilis viri, cujus erat domus Inquisitionis Tholosæ prope castrum Narbonense; quem hæresi vulneratum inveniens ipse Pater Dominicus fidei Inquisitor, ad viam veritatis reduxit; & se totum B. Dominico & Ordini cum suâ domo dedit: quæ exinde pertinet Inquisitioni & Ordini B. Dominici. Exinde colligas, Dominicum primum fuisse Inquisitorem, & Inquisitionem Tholosæ primò introductam. De anno, quo primum Inquisitio introducta fuit, non consentiunt scriptores, aliis eam ad annum Christi 1212. aliis ad 1208. aliis ad 1215. referentibus. Illud certum est, & inter omnes constat,

ſtat, eam initium ſumpſiſſe temporibus Innocentii III. et primum Inquiſitorem fuiſſe in Galliâ Narbonenſi inſtitutum Dominicum. An autem munus Inquiſitionis ipſi ab Arnaldo Abbate Ciſtercienſi, Sedis Apoſtolicæ in Galliâ Legato, injunctum fuerit, an verò immediatè id à Papâ acceperit, inter Pontificios ſcriptores controverti ſolet. Qui diſcrepantes opiniones conciliare ſtudent, ita rem expedire ſolent; quod Dominicus à Legato quidem Sedis Apoſtolicæ fuerit inſtitutus, ſed poſtea ab ipſo Papâ confirmatus. Ludovicus à Paramo videtur illis conſentire: dicit enim Dominicum Ciſtercienſi Abbati, tunc in Galliarum regno legatione Apoſtolicâ fungenti, cogitationes ſuas de introducendâ Inquiſitione aperuiſſe, ipſumque, dum de re ad Papam referri jubet, Dominico Inquiſitionis munus injunxiſſe. Exinde idem præſtitiſſe Cardinalem, qui in eodem regno Legati munus obibat: ſed tandem poſt finitum Concilium Lateranenſe anno CIƆCCXVI. autoritate literarum Papæ, quarum exemplar quidam autores ſe vidiſſe teſtantur, Inquiſitorem creatum.

lib. 2. tit. 1. cap. 1. n. 13.

c. 2. n. 4.

Acceptis illis litteris Dominicus quodam die in æde ſacromonialium Prulliani, cum ad eum magna hominum multitudo, ut fieri ſolebat, concurriſſet, publicè pro concione aperuit ſibi novum officium à ſummo Pontifice fuiſſe injunctum: addens, ſibi in animo eſſe res fidei pro virili parte defendere: quod ſi ad hoc arma ſpiritualia & eccleſiaſtica non ſufficerent, ſibi conſtitutum & deliberatum eſſe auxilium brachii ſæcularis invocare, excitando & impellendo principes Catholicos ad arma contra hæreticos capienda, ut eorum memoria funditus deleretur. Quicquid ſit, conſtat Dominicum fuiſſe hominem crudelem & ſanguinarium. Quod etiam non obſcurè colligere licet ex Camillo Campegio Dominicano, & in univerſo Dominio Ferrarienſi Inquiſitore Generali, qui poſtquam in cap. xx. Zanchini, literas Dominici, quibus narrat quas pœnitentias Pontio Rogerii impoſuiſſet, exhibuit, hæc addit: *Has literas B. Dominici patris noſtri, qui primus Inquiſitionis officium exercuit, eò libentius huic tractationi de pœnis addendas eſſe putavi, quo vetuſtam in coërcendis criminibus ſeveritatem cnm modernâ ſacri hujus tribunalis benignitate omnes per quam facilè conferre valeant.* Literas autem illas exaravit (uti obſervat Ludov. à Paramo lib. 2. tit. 1. c. 2. num. 5.) cum adhuc Abbatis Ciſtercienſis autoritate munus Inquiſitoris obiret; eaſque literas Paramus adducit, ut probet, Dominicum, cum inquirendi officium aſſumſit, *hoc ſibi propoſitum habuiſſe, tam ſeverè hæreticos punire, ut alii metu pœnæ à ſimili ſcelere deterrerentur.* Ortus fuit ex Hiſpaniæ villâ Calarogâ Oxomenſis dioeceſis: Mater ejus antequam ipſum conciperet dicitur in ſomnis vidiſſe: ſe geſtare catulum, accenſam ore faculam bajulantem, qui egreſſus ex utero totum mundum magnis latratibus commoveret, & admotâ faculâ quam ore præferebat, videbatur accendere. Quod ſomnium ſequaces ipſius interpretantur de luce doctrinæ, quâ totum mundum illuminavit: Alii verò, ſi quod in tali ſomnio præſagium agnoſcendum ſit, faculâ illâ ignem & rogos, quibus infinita hominum multitudo in cineres eſt redacta, adumbrari volunt.

In initio nullum Inquiſitoribus conceſſum erat tribunal, ſolummodò hæreticos, eorumque multitudinem, vires ac facultates inquirebant: poſtquam eos detexiſſent, indicabant Epiſcopis, penes quos ſolos tum poteſtas de rebus eccleſiaſticis judicandi erat, eoſque nonnunquam incitabant, ut hæreticos à ſe indicatos anathemate ferirent, aliâque pœnâ afficerent. Nonnunquam principes ad arma contra hæreticos capienda commovebant: Quandoque populum concitabant, ſibique devotos cruce ſignabant, & ad expeditiones contra hæreticos animabant. Dominicus porrò, ut omnem hæreſin fœlicius exſtirparet, ut erat homo crudelis & ferox, rationem excogitavit, quâ, ſub gratiæ ac benignitatis ſpecie, maximè immanem crudelitatem tegeret; nimirum, ut ad Romanæ Eccleſiæ fidem converſis pœnæ quædam per modum ſalutarium pœnitentiarum imponerentur, converſique ab excommunicatione liberarentur. Maxima enim gratia videbatur, hæreticos ad Eccleſiam redeuntes, & ultrò pœniten-

tentiæ salutari sese subjicientes, ab excommunicatione absolvere, & in communionem recipere. Verùm si rem rectè consideremus, summa hic latebat crudelitas. Non enim sponte pœnitentias has suscipiebant, sed metu gravioris supplicii: non conversis enim rogus & ignis, aliaque supplicia parata erant: & quicunque pœnitentias illas subire recusabant, excommunicati, non conversi, & in hæresi pertinaces pronuntiabantur, & ut tales puniendi relinquebantur curiæ sæculari: Ita ut, quod voluntariæ pœnitentiæ speciem habebat, nihil minus fuerit quam voluntarium, sed pœna invitis imposita, & gravioris supplicii vitandi causâ tolerata. Tum pœnitentiæ illæ salutares maximâ cum pœnitentium miseriâ conjunctæ erant: aut enim detrudebantur in carcerem perpetuum, ut in pane doloris & aquâ tribulationis miseram traherent vitam; aut signabantur tam in tergo quam pectore crucibus, quibus tanquam infamiæ notâ insigniti, omnium contumeliis & injuriis exponebantur; simulque flagellabantur publicè coram toto populo, vel in plateâ, vel in ecclesiâ; aliaque strictim observare jubebantur, pœnitentiæ nomine ipsis imposita. Ut ita hac severitate, cui conversi ultrò se submittere cogebantur ut gratiæ speciem haberet, omnes ab hæresi deterrerentur.

CAPUT XI.

De bellis contra Raymundum, patrem & filium, Comites Tholosanos.

INterim Papa exstirpandis hæreticis intentus principes omnes excitabat, ne ullum in ditione suâ ipsis domicilium concederent, sed quantâ possent vi eos opprimerent. Præcipua ipsi cura fuit, ut ditione Tholosanâ, in quâ plurima Albigensium multitudo commorabatur, expellerentur. Raymundum Comitem Tholosanum urgere non destitit, ut eos ditione suâ ejiceret; cum verò ille tantam hominum multitudinem expellere gravaretur, neque eos persequeretur, ipsum tanquam hæreticorum fautorem, anathemate feriri præcipit: Quin & misso Legato, & ad plures prælatos literis, in Albienses hæreticos inquiri præcepit in Galliâ, & eos tolli, & fautores eorum emendari. Philippo regi Galliarum scripsit, ut adversus eosdem hæreticos sui regni arma susciperet, atque ad eos debellandos sese accingeret, ne videretur eorum errori participare, si illorum manifesto errori desineret obviare. Quin & duodecim Abbates Cistercienses cum Legato Papæ iverunt, qui crucem contra Albienses prædicarent, & plenariam omnium peccatorum remissionem Crucesignatis autoritate Innocentii indulgerent. His se comitem adjunxit Dominicus, & in illâ expeditione Inquisitionis institutionem, prout retulimus, excogitavit. Romani Pontifices ejusmodi militiam, quam sacram nominabant, contra infideles & Saracenos ad recuperandam terram Sanctam instituerant; omnes autem, qui militiæ isti nomen dabant, crucem vestibus suis prope humeros imposuerunt; unde *Cruciati* dicti. Fecerunt porrò denuntiari, ut quicunque in sacram illam pro religione militiam nomen daret, vel in militum stipendia pecuniam aliquam pro pietate conferret, plenam peccatorum omnium indulgentiam & remissionem, confessi & pœnitentes, ad eam normam & rationem, quam Theologi explicant, consequerentur: & ab interdicti, suspensionis & excommunicationis sententiis absolverentur, & præsertim ab illis, quas pro incendiis & effractionibus Ecclesiarum, seu injectione manuum violentâ in personas ecclesiasticas incurrerunt: & ab aliis quoque sententiis, nisi adeò gravis & enormis excessus fuerit, quod ab iis oporteat absolutionis beneficium per sedem Apostolicam obtineri: Etiam tempore generalis interdicti possint interesse divinis officiis, & ecclesiastica sacramenta recipere, in locis in quibus eadem ex indulto sedis Apostolicæ celebrantur, dummodò à sententiis quibus erant ligati prius absolutionis beneficium consequantur. Uti hæc omnia habentur in Bullâ Innocentii IV. quæ incipit, *Malitia hujus temporis.* Ut hac immunitatis spe homines ad expeditiones illas excitarentur. Et maxima nonnunquam multitu-

Bzovius a. 1204. § 22.

titudo convenit, quæ peccata sua tam facilè expiari posse credens, alacri animo expeditiones istiusmodi suscepit. Nunc verò Papa cruciatas ejusmodi expeditiones contra Christianos, sedis ac immensæ potestatis suæ adversarios, quos infami hæreticorum nomine nuncupabat, convertit. Horum ordinem in partibus Tholosanis adversus Albienses à Dominico institutum memorant, qui hæreticos gladio materiali expugnarent, quos ipse gladio verbi Dei amputare non posset. Verum cum crucigeri hi, neque perpetuò, neque eo, quo Papa & Dominicus æquum putarent, ardore contra hæreticos pugnabant, subinde à Dominicanis excitati sunt, aliique plures spe plenæ indulgentiæ allecti, ut militiæ huic nomen darent. Solebant autem Prædicatores concionibus suis eligere thema ex *Psal.* XCIV. 16. *Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* Conciones autem suas, quas scopo suo accommodare optimè noverant, hujusmodi solebant claudere epilogo: *Ecce videtis, charissimi, quanta est malitia hæreticorum, videtis etiam quantum nocent in mundo: videtis iterum quam piè & multis modis piis laborat Ecclesia eos revocare: sed apud tales nihil ista poterunt proficere, imò per potentiam sæcularem se defendunt: Et ideò sancta mater Ecclesia, licet invita, & cum dolore, contra eos convocat exercitum Christianum. Quicunque igitur habet zelum fidei, quicunque est quem tangit honor divinus, quicunque est qui vult habere istam magnam indulgentiam, veniat & accipiat signum crucis, adjungat se militiæ crucifixi.* Hoc autem discriminis erat inter eos qui contra Saracenos, & eos qui contra hæreticos in expeditionem cruciatam prodibant, quod illi in tergo, hi vero in pectore crucem gestarent. Et ne ullo modo zelus ille in Cruciatis refrigesceret, autoritate Papæ Statuta Synodalia condita sunt, quibus presbyteris præcipitur, ut continuò istum in illis zelum excitent: *Moneant presbyteri sollicitè & assiduè parochianos suos, ut in Albigenses hæreticos se accingant; & iterum eandem habebunt indulgentiam, quam alias habuerunt. Item, moneant presbyteri sub pœnâ excommunicationis omnes illos qui crucem habuerunt, & votum suum non sunt prosecuti, quod crucem suam & proponant resumere, & portent.*

Usserius de Successſ. cap. 9. § 5. — Usserius de Successſ. cap. 10. § 23.

Raymundus Comes Tholosanus cum sententiâ Legati Apostolici, qui, cum Dominico communicato consilio, ipsum tanquam hæreticorum fautorem à sacrorum & fidelium communione separavit, nullo modo à sententiâ suâ dimoveretur, per Bullam ipsius Innocentii tanquam hæreticorum defensor excommunicatus fuit, omnes ejus subditi à juramento fidelitatis denuntiantur interim absoluti, & cuilibet Catholico viro potestas data est, salvo jure domini principalis, non solum persequi personam ejusdm, verum etiam occupare & detinere terram ipsius, illius præsertim obtentu, quod ab hæresi per suam prudentiam fortiter expietur, quæ per illius nequitiam fuit hactenus turpiter sauciata & maculata.

Raynaldus a. 1208. § 15. & seqq. Bzovius a. 1208. § 3, 4.

95. Hac sententiâ, & præsertim terribili illâ Cruciatorum contra se expeditione territus Comes Tholosanus, obedientiam promisit, & Ecclesiæ reconciliari petiit: Non tamen reconciliationem obtinere potuit, nisi pro securitate promissorum septem arces quas in Provinciâ habebat Legato traderet, atque Magistratus urbium Avenionis, Nemausi, & Villæ Sancti Ægidii juramento intercederent, si Comes præcepta Legati transgrederetur, se non amplius vinculo fidelitatis eidem fore adstrictos:
§ 6. Insuper additum, ut comitatus Vinisensis ad dominium Ecclesiæ Romanæ recideret. Modus reconciliationis Comitis Tholosani, referente Bzovio, fuit hujusmodi. *Comes ductus fuit ante portas Ecclesiæ S. Ægidii in villâ Sancti Ægidii. Aderant præsentes plus quam viginti Archiepiscopi & Episcopi, qui in hunc finem convenerant. Comes juravit super sacrum corpus Domini nostri Jesu Christi, & super reliquias sanctorum, quæ cum magnâ veneratione expositæ fuerant ante portam Ecclesiæ, & à pluribus Prælatis tenebantur, se mandatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ pariturum. Cum autem juramento se adstrinxisset, tunc Legatus injici jussit super collum Comitis sacrum orarium, seu stolam, & trahens per ipsam introduxit illum in Ecclesiam, ubi ad ictus flagelli absolvit eundem. Nec est silentio prætereundum, quod cum dictus Comes intromissus in Ecclesiam S. Ægidii ad ictus flagelli fuerit*

rit absolutus, adeò ex verberibus graviter afflictus fuit, quod non potuerit regredi per eundem locum per quem intraverat, sed oportuerit ipsum nudum totum ut erat transire per portam inferiorem Ecclesiæ. Eodem modo factum est illi ante sepulchrum beati Petri Martyris de Castro novo, quem Comes interfici curaverat.

Verum reconciliato Comite Tholosano non quievit ingens ille Cruciatorum exercitus, sed hæreticos passim invasit, urbes expugnavit, omnia cædibus ac sanguine replevit, pluresque in potestatem redactos ignis supplicio interfecit. Anno namque CIƆCCIX. Biterræ armis Crucesignatorum sunt expugnatæ, nulloque ætatis discrimine ferro in omnes sævitum, flammisque injectis civitas miserè deleta est. Refert Cæsarius, captâ urbe agnovisse Crucesignatos, Catholicos hæreticis esse permixtos, atque ambigentibus quid agerent, ne Catholici trucidarentur, vel hæretici se Catholicos fingerent, respondisse Arnoldum Abbatem Cisterciensem, *Cædite, novit Dominus, qui sunt ejus*; atque ita militem passim in omnes grassatum. Bzovius a. 1209. § 1. Raynaldus a. 1209. § 22.

Deleta etiam est Carcassona: & communi Prælatorum ac Baronum consilio urbi & toti regioni, acquisitæ pariter ac porrò acquirendæ, præficitur Simon Comes Montfortius, ex notho Roberti regis Francorum oriundus. Hic porrò plures urbes eodem anno cepit, ac in potestatem suam redegit. Interim crudelissimè in captos hæreticos sævitum est, multique horrendis suppliciis interfecti. *In urbe Castro duo ad rogum sunt damnati: unus abjurare voluit hæresin: Inde orta altercatio inter Crucesignatos. Quidam contendebant, eum non debere morte affici: alii dicebant, manifestum esse, eum fuisse hæreticum: putari autem eum non ex animo, sed metu imminentis mortis abjurare velle. Comes Montfortius acquievit, quod combureretur, hac intentione, quod si nunc convertatur, ignis esset ei pro expiatione peccatorum; si verò fictè loqueretur, reciperet pro perfidiâ talionem.* Simili modo & alibi sævitum fuit. Robertus quidam, qui ex Albigensium sectâ ad Dominicanam familiam se transtulit, principum & Magistratuum autoritate armatus, eos qui in hæresi perstabant flammis absumebat, adeò ut intra duos vel tres menses quinquaginta, nullo sexus discrimine, aut terræ vivos infodi, aut rogis injici jusserit: Unde *hæreticorum mallei* nomen reportavit; quod munus illi ab Innocentio fuisse injunctum in dubium revocari non vult Raynaldus. Lutetiæ Parisiorum Bernardus quidam cum aliis novem, quorum quatuor Sacerdotes erant, sequaces Almerici, comprehensus fuit: ducti omnes sunt in campum, & coram universo clero ac populo degradati, & in adventu regis exusti. § 23, 24. § 25. a. 1207. § 3. a. 1210. § 10. Bzovius a. 1209. § 11.

Anno sequente nova rursus Cruciatorum expeditio contra Albigenses suscepta est. Cruciati Albium occupavere, & multos capitis supplicio affecerunt. Vaurum & ipsum vi captum: ibi quoque innumeri Albigenses exusti. Præfectus præsidii Aymericus magnæ nobilitatis vir resti suspensus: octoginta prætereà minoris nobilitatis securi percussi, ne à mulieribus quidem temperatum. Girarda, soror Aymerici, ejus populi princeps fœmina, in patentem puteum projecta, & saxis insuper obruta. Carcum inde expugnatum: de sexaginta hominibus supplicium sumtum. Civitas magna juxta Tholosam, Pulchra Vallis vocata, à Crucesignatis occupata fuit: in eâ quadringenti Albigenses igne sunt combusti, & quinquaginta patibulis appensi. Expugnatum etiam fuit Castrum de Termis, in eoque captus Raymundus de Termis, & carceri inclusus, in quo & mortuus fuit: Capta etiam illic fuit ejus uxor, soror, & filia adhuc virgo, aliæque nobiles: quæ cum nec blanditiis nec minis persuaderi possent, ut ad Ecclesiæ Romanæ fidem redirent, instructo ingenti rogo omnes crematæ sunt. a. 1211. § 9.

Raymundus Comes Tholosanus his Simonis Montfortii successibus territus, sibique ac suæ ditioni metuens, magnum conscripsit exercitum: Auxiliares ipsi miserunt copias reges Angliæ & Aragoniæ, quibus affinitate junctus erat: Johannam siquidem regis Angliæ sororem, quondam Siciliæ reginam, uxorem duxerat, ex eâque filium Raymundum susceperat: eâ defunctâ Eleonoram sororem Petri regis Aragonum secundis nuptiis uxorem habuit. Verum exercitus

hic ingenti ſtrage à Cruceſignatis duce Comite Montfortio fuſus eſt, & Comes Tholoſanus ditione ſuâ pulſus. Sub initium anni CIƆCCXV. in Concilio aliquot Archiepiſcoporum & Epiſcoporum prope Montem Peſſulanum operâ Legati Pontificii, Simon Montfortius ditionum omnium quæ bello partæ fuerant dominus declaratus eſt: miſſuſque ad Pontificem Ebredunenſis præſul, ut Concilii ſententiam ipſi probaret. Intereà Ludovicus, Philippi Francorum regis filius primogenitus, poſſeſſionem ipſi confirmavit.

Dum hæc ita gerebantur, convocavit Papa Innocentius III. anno Domini CIƆCCXV. celebre illud Concilium Lateranenſe, cui & Dominicus interfuit, in quo multa fuerunt decreta contra hæreticos, quæ poſtea Decretalibus Gregorii, tit. *de hæreticis*, *cap.* XIII. inſerta ſunt. Comes Raymundus è poſſeſſionibus ſuis à Comite Montfortio exturbatus, cum filio Raymundo ad Concilium hoc confugit: contra ipſum Guido Comitis Montfortii frater comparuit. Poſt longam diſceptationem Comes Raymundus declaratus eſt *à dominio quod pravè geſſit perpetuò excluſus, extra terram ipſam in loco idoneo moraturus, ubi dignam agat pœnitentiam: Verum de proventibus terræ CCCC marchæ argenti annuatim* ipſi aſſignantur, *quamdiu curaverit humiliter obedire.* Uxori autem ejus, *quæ ab omnibus teſtimonium habet quod ſit catholica mulier & honeſta*, relinquuntur *terræ ad ſuum dotalitium pertinentes, ut eas integrè habeat & quietè; ita tamen ut ſic mandatum Eccleſiæ faciat cuſtodiri, quod per ipſos negotium pacis & fidei non valeat perturbari.* Tota autem terra à Cruceſignatis occupata adjudicata eſt Simoni Comiti Montfortio. *Reſidua vero terra, quæ non fuit à Cruceſignatis obtenta*, cuſtodiri præcepta eſt *ad mandatum Eccleſiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & fidei manu teneant & defendant; ut provideri poſſit unico filio Comitis prædicti Tholoſani; & poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit, ſi talem ſe ſtuduerit exhibere, quod in toto vel in parte ipſi meritò debeat provideri, prout magis videbitur expedire.*

Hac Synodi ſententiâ pronuntiatâ Comes Raymundus ceſſit in Hiſpaniam, & filius ejus Raymundus venit in Provinciam; ibi multorum copiis auxiliaribus adjutus Comitem Montfortium bello petit: ditiones aliquot, quin & ipſam urbem Tholoſam recuperat: quam dum Comes Montfortius validis inſtructus copiis Raymundo eripere ſtudet, in ipſâ urbis oppugnatione lapidis ictu obtruncatus eſt, ac morte illius obſidio ſoluta. Ita Raymundus paternum comitatum armis recuperavit. Anno CIƆCCXXI. Comes Raymundus ſenior mortuus eſt: Filius ejus & ſucceſſor Raymundus, licet quam maximè anniteretur, impetrare neutiquam potuit, ut aliorum piorum hominum more ſepeliretur.

Rebus per varias viciſſitudines ita nunc ex voto nunc contra votum Papæ fluentibus, Inquiſitionem, tanquam efficaciſſimum exſtirpandis hæreticis remedium, urgere non deſtitit. Refert Bzovius multos illis temporibus hæreticos in Alemanniâ, Franciâ, & Italiâ, flammis exuſtos; ipſoque illo anno in civitate Argentinenſi plus quam octoginta numero unâ vice fuiſſe comprehenſos, quorum pauci innocentes comperti ſint. *Hos Frater Conradus Marpurgenſis, Ordinis Prædicatorum Apoſtolicus Inquiſitor, judicio ferri candentis, ſi negaſſent hæreſin, probare conſueverat, & quos ferrum exuſſiſſet velut hæreticos ſæculari judicio tradebat comburendos: Unde, paucis exceptis, omnes qui ſemel accuſati eſſent, & ad ejus examen perducti, ad incendium damnabantur.*

A. 1215. § 7.

Bzovius A. 1218. § 11.

Per id temporis Honorius Pontifex, Epiſcopo Bononienſi miſſo reſcripto, omnes hæreticos, & quoſcunque violatores Eccleſiaſticæ libertatis anathemate damnavit, his verbis: *Excommunicamus omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, & fautores, & receptatores, & defenſores eorum. Nec non & qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis intra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus ſtatutarios & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, nec non Poteſtates, Conſules, Rectores & Conſiliarios locorum, ubi de cætero hujuſmodi ſtatuta & conſuetudines editæ fuerint vel ſervatæ; nec non & illos, qui ſecundum ea præſumſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata,*

In

In ditione interim Tholosanâ munus Inquisitorum, postquam Raymundus ditiones paternas recuperavit, abrogatum est. Honorius III. omnem movit lapidem, ut Raymundum sibi obnoxium haberet: Per Legatum suum illi denuntiari curat, ni ad officium redeat, ditione suâ exutum iri, perinde atque patrem: Quin & ipse literis datis VIII. Cal. Novemb. sententiam legati, quâ ipsi abdicavit omne jus, quod in terrâ quæ patris sui fuerat, vel erat, habebat, confirmat. Et ne brutum illud fulmen crederetur, religiosis Sancti Dominici injunxit, potestatemque plenariam dedit, ut sacram militiam, quæ de pœnitentiâ diceretur, adversus hæreticos instituerent. Ingens convenit multitudo ad tam horrendum classicum, & huic sanctæ, uti credebatur, sodalitati nomen dedit, sumto pullo pallio super albâ veste, & præstito Sacramento, in tutelam fidei Orthodoxæ.

Raynaldus a. 1221. § 41.

Bzovius a. 1221. § 8.

Utque validius Comitem Tholosanum opprimeret Papa, ad regem Ludovicum, qui patri Philippo defuncto successerat, literas dat, quibus eum ut arma contra Albigenses capiat hortatur hunc in modum: *Præceptum à Domino legitur*: Si audieris in unâ ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare, illic dicentes; Eamus, & serviamus Diis alienis, quos non nostis, pones illos in ore gladii, & igni civitatem incendes. *Nimirum, etsi pro immensis susceptis in hoc seculo beneficiis Deo, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, tenearis in multis, ad hoc tamen illi reputare te debes fortius obligatum, ut pro ipso in fidei subversores, à quibus blasphematur, animosus insurgas, & pro Catholicâ puritate, quam de partibus illis appendentes dæmoniorum doctrinis ejecisse noscuntur, viriliter te opponas.* &c.

Raynald. a. 1223. § 41.

Interim Parisiis ex mandato Papæ pro negotio Albigensi congregata est Synodus, cui interfuit Legatus Pontificius, cum duobus Archiepiscopis & viginti Episcopis. Coram eâ Amalricus, Simonis Montfortii filius, petiit sibi restitui terram Raymundi Comitis Tholosani, sibi ac patri suo à Papâ ac Francorum rege adjudicatam. Raymundus se coram Legato defendit, terram suam ab hæresi immunem affirmat: orat Legatum, ut ad singulas terræ suæ civitates veniat, singulorum fidem inquirat; & si quempiam contra fidem invenerit sentientem Catholicam, ipse secundum judicium Sanctæ Ecclesiæ (verba sunt Matthæi Paris) justitiæ ex eis plenitudinem exhiberet. Et si civitatem aliquam inveniret rebellem, ipse pro posse suo eam cum habitatoribus suis ad satisfactionem compelleret. Pro seipso autem obtulit, si in aliquo deliquit, quod se fecisse non recoluit, plenam Deo & Sanctæ Ecclesiæ satisfactionem, ut fidelis Christianus, &, si Legatus vellet, etiam fidei examen subire. Hæc quoque omnia Legatus contempsit, nec potuit Comes Catholicus gratiam invenire, nisi pro se & hæredibus suis, hæreditatem suam deserens, abjuraret. Quare rursus cruciata expeditio contra Comitem Raymundum decreta est, cui ipse Galliæ rex Ludovicus hortatu Honorii III. nomen dedit: plurésque Comites & Prælati, illius metu, se illi adjunxerunt, qui abesse maluissent, quoniam indignum ipsis videbatur hominem fidelem & Christianum infestare. Raymundus autem varias terras fiduciarias ab Anglorum rege obtinebat: Ne ergo illarum tuendarum causâ Angliæ rex Francorum regem bello lacesseret, aut Raymundo auxilia submitteret, literas ad eum inhibitorias Honorius dedit his verbis.

Usserius de Successf. cap. X. § 46. & seqq.

Nec per te, vel fratrem tuum, aut alios guerram moveas dicto regi, quamdiu institerit negotio fidei, & servitio Jesu Christi, ne te, quod absit, impediente negotium hujusmodi Rex ipse cum Prælatis & Baronibus Franciæ secum accinctis ab hæreticorum exterminio ad aliud se convertat; & nos, dum super hoc excusari non posses, & notam exinde indevotionis incurreres, paternum tibi favorem, qui alias devotioni tuæ tempore opportuno non deërit, impendere nequeamus. Ceterum nos, qui non solum parati sumus tuam conservare justitiam, sed gratiam tibi, quantum cum Deo possumus, exhibere, sic duximus providendum, ut quicquid contingat de hæreticis & terrâ ipsorum fieri, salvum sit jus tuum, & aliorum Catholicorum, secundum statuta Concilii supradicti.

Raynaldus a. 1226. § 24.

Expeditio itaque à Galliarum rege suscepta est, ac primò quidem validâ manu obsessa est urbs Avenio: sed cum fortiter defenderetur, comesque Raymundus obsidentibus multa inferret damna, plurimi fuere interemti; quin & dysenteriâ aliisque morbis magna exercitus pars, quin & ipse Rex Ludovicus interiit. Ejus tamen mortem aliquamdiu celavit Legatus Pontificius, ne tantus exercitus cum ignominiâ re infectâ ab unius urbis obsidione recedere cogeretur. Tandem cum vi expugnari non potuit civitas, ad fraudem se convertit Legatus, instituto de pace colloquio, & datis de securitate obsidibus. Hic cum frustrà Legatus civium deputatos sollicitasset ut se dederent, petiit, ut cum Prælatis qui aderant in civitatem admitteretur, simulans se incolarum fidem probare velle, & cum juramento affirmans, se non ob aliud obsidionem protraxisse, nisi ut salutem quæreret animarum. Addidit; clamorem infidelitatis, quæ in urbe invaluerat, ad Papam adscendisse: velle se inquirere, utrum clamorem opere complevissent. Cives dictis Legati fidem habentes, nihilque sinistri de fraude suspicantes, sub conditione prædictâ, præstito utrinque juramento, concessere Legato & Prælatis, ut cum suo famulitio urbem ingrediantur: quos dolosè, ut prælocutum fuerat, Francigenæ apertis januis violenter subsequentes, spreto turpiter juramento, cives ceperunt, & eos vinculis constrinxerunt, urbem spoliaverunt, multos occiderunt, & dolosam sic adepti victoriam nobilissimæ civitatis turres & mœnia confregerunt. Uti hæc fusius narrat Matthæus Paris.

Post Avenionem dolo ac fraude captam, in Tholosam omnes vires sunt conversæ. Sustinuit ea civitas aliquamdiu magnam illam belli molem, Comite Raymundo nullum strenui ducis officium omittente. Tandem tamen ad deditionem coacta est. Cum Raymundo de pace actum fuit: post aliquot colloquia coactus fuit Parisios se conferre, ubi hisce conditionibus cum ipso transactum est: Ut Tholosam & Episcopatum Tholosanum, sibi in vitâ concessum tantum, nulli posset hæredi suo relinquere, nullusque ejus hæres, vel filiæ, ullum posset sibi jus reclamare, nisi sola ex ipsâ filia unica, nomine Joanna, & fratre ejusdem Ludovici regis Domini Alfonsi tantummodò descendentes: Ut hæresin ejuraret, & promitteret se in posterum in potestate Romanæ sedis fore, hæreticos ejecturum, nec eos ullo modo defensurum: & ut cruce assumtâ totis quinque annis contra Saracenos & alios fidei & Ecclesiæ hostes propriis expensis militaret: ut viginti millia marcharum argenti solveret: & omnem terram ultra Episcopatum Tholosanum versus Orientem intra Rhodanum & ultra regi cederet ac Ecclesiæ. Sponte deinde in Luparâ regiis satellitibus se custodiendum dedit, donec filiam Joannam apud Carcassonem nuntiis regis, & quinque munitissimas arces traditas, & muros Tholosæ dirutos constitisset. Quibus peractis præsentibus duobus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, quorum unus Legatus in regno Franciæ, alter in regno Angliæ Episcopus Portuensis, ad altare maximum in lineâ tunicâ & pedibus nudis ab excommunicationis sententiâ absolutus est. Bernardus in Chronico Romanorum Pontificum hanc historiam narrans, ait, referente Bzovio; *Erat pietas videre tantum virum, qui tanto tempore tot & tantis nationibus potuerat restitisse, duci nudum in camisiâ & braccis & nudis pedibus ad altare.*

Raynaldus a. 1228. § 3. Bzovius § 26.

Usserius de Success∫. cap. 10. § 58.

CAPUT XII.

Celebratio quorundam Conciliorum, & Leges Imperatoris Friderici II. quibus Inquisitionis Officium valdè promotum fuit.

Bzovius a. 1228. § 6.

ITa subacto Comite Tholosano leges acriores contra hæreticos latæ sunt. Ipse Raymundus varias contra hæreticos leges condidit, hæreticos omnes in comitatu suo capi præcepit; & ut incolæ civitatis seu castri, in quo hæreticus captus fue-

fuerit, pro unoquoque hæretico solvant marcham illi qui eum ceperit. Ludovicus quoque Galliæ rex constitutionem adversus hæreticos edit, in qua mandat, ut, postquam ab Episcopo, vel ab aliquâ aliâ personâ ecclesiasticâ fuerint hæretici judicati, confestim & sine morâ pœnis debitis puniantur. Fautores eorum legum beneficiis privat, jubet eorum bona fisco addici, neque unquam illis aut posteris ipsorum restitui. Quicunque aliquem hæreticorum ceperit, à Ballivo duas marchas argenti accipiat.

Summis jam viribus enitebatur Papa, ut Inquisitoribus major quædam potestas conferretur, ipsique tribunal haberent, in quo tanquam judices à Papâ delegati, ipsiusque personam repræsentantes, sederent, & de hæresi ac hæreticis sententiam pronuntiarent. Verum magna in initio obstacula fuerunt, populis ægrè novum illud tribunal admittentibus. Videbant Inquisitorum delationibus multis creari exitium: Graves itaque jam omnibus erant Inquisitores, nondum judicandi potestatem adepti: Magistratus ergò & nasutiores è populo facilè quid eventurum esset, si judicandi potestate armarentur, prævidebant; minimeque tutum credebant, fortunas vitamque suam civiumque suorum exponere arbitrio emissariorum Papæ, seque totos illius tyrannidi reddere obnoxios.

Sed jam devictis Albigensibus, regionibus ac urbibus eorum expugnatis, Papa feliciore successu negotium Inquisitionis promovit. In Galliâ etenim, (ut observat Pegna ad Joannis Calderini tractatum de formâ procedendi contra hæreticos) *diversis temporibus & locis, coactis Galliæ Archiepiscopis, varia Concilia celebrata sunt, tum de ordine procedendi contra hæreticos, tum de eorumdem punitione. Nam anno Domini* CIↃCCXXIX. *Tholosæ habitum est unum Concilium, ubi multa statuta condita sunt; quæ per Dominum Romanum S. Angeli Diaconum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, apud Tholosam promulgata fuerunt. Inde paucis post annis* (scil. anno CIↃCCXXXV.) *alterum Concilium habitum est, coactis quoque Galliæ Prælatis, apud Narbonam: in hoc multa tractata sunt copiosius quam in Tholosano. Tum postea* (anno scil. CIↃCCXLVI.) *habitum est & aliud Concilium Provinciale apud Biterras; in quo plurima fuerunt latius tradita quam in duobus prioribus. Hæc Concilia temporum injuriâ diu latuerunt; & superioribus annis invenimus in Bibliothecâ Vaticanâ; item in Libro quodam vetusto membranaceo manuscripto, qui ex Inquisitione Florentinâ Romam fuerat delatus.* Addit, se hæc Concilia intra paucos dies cum suis Commentariis in lucem daturum, dicitque ea valdè esse utilia, & Inquisitorum hæreticæ pravitatis muneri magnoperè accommodata. An verò unquam in lucem prodierint, nondum ego investigare potui.

Hæc in Galliâ. Romæ autem circa annum CIↃCCXXX. Raymundus de Pegnaforte ex ordine Dominicanorum, jussu Gregorii IX. libros Decretales compilavit, in quos omnes Conciliorum & Paparum leges hactenus contra hæreticos editas, quasi in fasciculum congessit. Posteà Bonifacius VIII. Sextum Decretalium conscribi jussit. Additæ posteà sunt Clementinæ, & Extravagantes, è variis occasionibus enatæ, ut Inquisitoribus nihil ad plenam officii ipsis delegati administrationem deesset. Cum ex vicinâ Occitaniâ in Arragoniam, & Navarram potissimum irrepsissent Valdenses, Tarraconæ circa annum CIↃCCXL. Synodus habita fuit, quâ varia circa hæreticos, eorumque pœnas, definita sunt.

Quin & ipse Imperator Fridericus II. Patavii leges aliquot contra hæreticos eorumque complices ac fautores edidit, quibus Inquisitionis negotium quammaximè promovit. Primâ siquidem lege quæ incipit, *Commissi nobis*, præcipit; ut hæretici ab Ecclesiâ curiæ sæculari traditi damnabili morte interficiantur: Conversi, metu mortis territi, carceri mancipentur: Hæretici ubique reperti custodiantur, donec ab Ecclesiâ damnati pœnas luant: & pariter eorum fautores: ut de hæresi convicti ad alia loca se transferentes capiantur: Relapsi morte plectantur: hæretici eorumque fautores appellatione careant: hæredes eorum usque ad secundam progeniem beneficiis & officiis priventur: hæredes si parentum perfidiam revelaverint indemnes serventur: Tandem Fratres Prædicatores

pro fidei negotio in partibus imperii sui contra hæreticos deputatos, cæteros quoque, qui ad hæreticos judicandos accesserint & venerint, sub suâ & imperiali defensione speciali recipit: Magistratibusque mandat, ut hæreticos, quos ipsis ostenderint, post ecclesiasticæ damnationis judicium severè puniant. Secundâ, cujus initium est, *Inconsutilem tunicam*, hæresis crimen detestatur: hæreticos impœnitentes igne cremari jubet, & Patarenorum fautores relegari. Tertiâ, quæ incipit, *Patarenorum receptatores*, hæreticorum filios honoribus privat, nisi aliquis eorum aliquem Patarenum detexerit: Hæreticis bannum & confiscationem infligit. Tandem quartâ, cujus initium, *Catharos*, suspectos, si per annum se non purgaverint, sicut hæreticos damnat: Mandat, ut Officiales curent exterminare hæreticos de locis ipsis subjectis: Baronum terræ, si eas hæreticis non purgaverint, intra annum à tempore monitionis, Catholicis occupandæ exponuntur: Hæreticorum fautoribus pœnæ quamplures, & apostatantibus à fide pœnæ severissimæ constituuntur. Verum quoniam per leges illas Inquisitionis officium maximè promotum fuit eas integras hic exhibere operæ pretium duxi. Prima itaque Constitutio ita sonat.

Fridericus Dei Gratiâ Romanorum Imperator & semper Augustus, Hierusalem & Siciliæ Rex, dilectis Principibus suis, venerabilibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis Ecclesiarum: Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Potestatibus, Scultetis, Burgraviis, Advocatis, Judicibus, Ministerialibus, Officialibus, & omnibus per totum Imperium constitutis, præsentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam & omne bonum.

Commissi nobis cœlitus cura regiminis imperialis, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim à sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei, & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt, ut vipereos perfidiæ filios contra Dominum & Ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores in judicio & justitiâ persequamur: maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seductricem mundus inficitur, & gregi fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela. Statuimus itaque sancientes, ut hæretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab Ecclesiâ, & seculari judicio assignati, animadversione debitâ puniantur. Si qui verò de prædictis postquam fuerunt deprehensi, territi metu mortis redire voluerint ad fidei unitatem, juxta Canonicas sanctiones, ad agendum pœnitentiam, in perpetuum carcerem detrudantur. Præterea, quicumque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis Imperii, per Inquisitores ab Apostolicâ sede datos, & alios Orthodoxos fidei zelatores: si qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum & aliorum Catholicorum virorum insinuationem, eos capere teneantur, & eos captos arctius custodire, donec per censuram Ecclesiasticam condemnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant. Simili quoque pœnâ plecti censemus omnes, quos ad fovendum hæreticorum errorem, callidi hostis astutia suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores: maximè cum facinus quos inquinat, æquat, nisi monitione præmissâ destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum. Eos prætereà, qui convicti in uno loco fuerint de hæresi, & ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere virus hæreticæ pravitatis, debitam censemus subire vindictam: nisi super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæresi convicerint (quod & in hoc casu concedimus licitè faciendum) eorundem testimonium habeatur. Item mortis sententiæ ducimus adjiciendos si quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremo vitæ periculo hæresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit, & fide mentitâ convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam, ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, ut pœnam debitam mendacium non evadat. Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorundem penitus amovemus: volentes ut de finibus nostri Imperii, in quibus semper existere debet vera fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur. Cæterum quia quantò majora divinæ nutu miserationis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tantò debemus devotiora obsequia gratitudini conferen-

feren-

ferentis: si quando igitur in nostri nominis contemptores excandescit auctoritas: si reos læsæ majestatis, in personis eorum, & suorum liberorum exhæredatione damnamus; multò fortius justiusque contra Dei blasphematores nominis, & Catholicæ detractores fidei, provocamur: eorundem hæreticorum, receptatorum, fautorum & advocatorum suorum hæredes & posteros, usque ad secundam generationem, beneficiis cunctis temporalibus, publicis officiis & honoribus, Imperiali auctoritate privantes: ut in paterni memoriam criminis continuo mærore tabescant: verè scientes, quod Deus est zelotes, peccata patrum in filios potenter ulciscens. Nec quidem à misericordiæ finibus duximus excludendum, ut si qui paternæ hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint, quacumque reatus illorum animadversione plectantur, prædictæ punitioni non subjaceat innocentia filiorum. Ad hoc notum fieri volumus, fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus Imperii nostri contra hæreticos deputatos: ceteros quoque qui ad hæreticos judicandos accesserint & venerint, nisi aliquo eorum ab Imperio sint proscripti, eundo, morando & redeundo, sub nostrâ & Imperiali defensione speciali recipimus: & quod apud omnes, sub ope, & recommendatione fidelium Imperii esse volumus inoffensos: universitati vestræ mandantes, quatenus quocunque, & apud quemcumque vestrum pervenerint, benignè recipiatis eosdem: & personas eorum ab incursu hæreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis. Hæreticos vero, quos ostenderint ipsi vobis, in jurisdictione vestrâ singuli capientes, diligenti custodiâ detinendos, donec post Ecclesiasticæ damnationis judicium, pœnam subeant quam merentur: scituri, quod in executione ipsius negotii, gratum Deo & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri Imperii novam & insolitam hæreticæ pravitatis infamiam, opem & operam, una cum eisdem fratribus præstiteritis efficacem. Et si quis foret exinde negligens & remissus, inutilis coram Domino, & in conspectu nostro poterit meritò culpabilis apparere. Datis Paduæ XXII. Februarii.

Secunda Friderici Imperatoris Constitutio.

Fridericus Dei gratia, &c: Inconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio sævientes, quod significationem divisionis enuntiat, & in ipsius indivisibilis fidei unitatem nituntur inducere sectionem, & oves à Petri custodiâ, cui pascendæ à Pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eousque mansuetudinem ovium prætendentes, quousque ovile possint Dominicum subintrare. Hi sunt Angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, à patre nequitiæ, & fraudis auctore, ad decipiendas simplices animas destinati. Hi sunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi sunt serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus evomunt: ut dum vitæ cibum ministrare se simulant, à caudâ feriunt, & mortis poculum velut quoddum dirissimum aconitum immiscent. Horum sectæ veteribus non sunt notatæ nominibus, vel ne in publicum prodeant, vel (quod est forte nefandius) non contentæ, ut velut ab Arrio Arriani, vel à Nestorio Nestoriani, aut à similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide Catholicâ martyrium subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Hujusmodi miseri Patareni, à quibus abest sancta credulitas Trinitatis æternæ, sub uno contextu nequitiæ in simul tres offendunt: Deum videlicet, proximos, & se ipsos. Deum, dum Dei filium & fidem non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub specie spiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamenta ministrant. Crudelius etiam sæviunt in se ipsos, dum præter animarum dispendium, corpora denique sævæ mortis illecebris, quam per agnitionem veræ fidei possent evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi sectatores involvunt: & (quod est ipsô dicto durissimum) superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales igitur, Deo & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ in eos ultionis gladium exeramus, & tantò ipsos persequamur instantius, quantò in evidentiorem injuriam fidei Christianæ, prope Romanam Ecclesiam, quæ caput omnium aliarum Ecclesiarum judicatur, superstitionis suæ scelera latius exercere noscuntur. Adeo quod ab Italiæ finibus, & præsertim à partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam amplius abundare, jamque usque ad Regnum nostrum Siciliæ, suæ

perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen hæreseos, & damnatæ sectæ cujuslibet, quocumque nomine censeantur sectatores (prout veteribus legibus est indictum) inter publica crimina numerentur: imo crimine læsæ majestatis injuriam noscitur attentatum, quamvis judicii potestate, alterum alteri non excedat. Nam sicut perduellionis crimen personas adimit damnatorum, & bona: & damnat post obitum etiam memoriam defunctorum, sic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus observari. Et ut ipsorum nequitia, qui (quia Deum non sequuntur) in tenebris ambulant, detegatur: etiam nemine deferente, investigari volumus diligenter hujusmodi scelerum patratores, & per officiales nostros, sicut & alios malefactores inquiri: ac inquisitione notatos, etiamsi levis suspicionis argumento tangantur, à viris Ecclesiasticis & Prælatis examinari jubemus. Per quos si inventi fuerint à fide Catholicâ saltem in aliquo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosis Diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepti constantiâ perseverent, præsentis nostræ legis edicto damnatos, mortem pati Patarenos, aliosque hæreticos quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant, ut vivi in conspectu hominum comburantur, flammarum commissi judicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pœnam solummodo, nec fructum aliquem alium consequuntur erroris. Apud nos pro talibus nemo intercedere præsumat. Quod si qui fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immeritò convertemus. Datum Paduæ XXII. Febr.

Tertia Lex hæc est.

Patarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui ut à pœnâ possint alios eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos esse in perpetuum censemus. Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur, sed infamiæ perpetuæ notâ laborent: ut nec in testes, nec in causis quibus repelluntur infames aliquatenus admittantur. Si tamen aliquis de filiis fautorum hujusmodi detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidiâ manifestè probatur, in fidei præmium quam agnovit, famæ pristinæ de Imperiali clementiâ, restitutionis beneficium in integrum consequatur.

Quarta Friderici Imperatoris Constitutio.

Catharos, Patarenos, Speromistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Josepinos, Garatenses, Albanenses, Franciscos, Begardos, Commissos, Valdenses, Romanolos, Communellos, Varinos, Ortulenos, cum illis de Aquâ nigrâ, & omnes hæreticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur perpetuâ damnamus infamiâ, diffidamus atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad eorum successionem pervenire non possint, cum longè sit gravius æternam, quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ, juxta considerationem suspicionis qualitatemque personæ, propriam innocentiam congruâ purgatione monstraverint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur; itâ quod si sic per annum permanserint, extunc eos sicut hæreticos condemnamus. Statuimus etiam hoc edicto perpetuum valituro, ut Potestates, & Consules, seu Rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publicè juramentum, quod de terris jurisdictioni suæ subjectis, universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos, bonâ fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod à modò quandocumque quis fuerit in perpetuam potestatem seu temporalem assumptus, hoc teneatur Capitulum juramento firmare: alioquin neque pro Potestatibus, neque pro Consulibus, seu consimilibus habeantur: eorumque sententias extunc irritas decernimus & inanes. Si verò Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesiâ, terram suam purgare neglexerit ab hæreticâ pravitate, post annum à tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponemus Catholicis occupandam: qui eam, exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure Domini principalis: dummodò super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eâdem nihilominus lege servatâ, contra eos qui non habent Domi-

minos principales. Credentes prætereà, receptatores, defensores & fautores hæreticorum bannimus: statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, sat facere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consimilia, vel ad aliquos eligendos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus ei prætereà super quocumque negotio respondeat, sed ipse aliis respondere teneatur. Quod si judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat roboris firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus instrumenta confecta per manum ejus nullius penitus sint momenti. Adjicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum convinci possit, & quod domus Patarenorum, defensorum & fautorum, seu ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restaurandæ. Dat: Paduæ XXII. Feb.

Hasce leges Paulus Servita in historiâ Inquisitionis Venetæ latas dicit anno Domini CIↃCCXLIV. Bzovius tamen ac Raynaldus eas referunt ad annum CIↃCCXXV. Verum quicquid sit de anno promulgationis legum harum, constat per eas Inquisitionis negotium valdè fuisse promotum, ipsasque per aliquot Paparum bullas, quibus insertæ sunt, fuisse approbatas & confirmatas.

CAPUT XIII.

Inquisitio introducta in Arragoniam, Galliam, Tholosam, & Italiam.

ANno CIↃCCXXXI. mense Februario nonnulli Patarenorum in urbe Româ inventi sunt: quorum alii sunt igne cremati, cum inconvertibiles essent; alii, donec pœniteant, sunt ad Cassinensem Ecclesiam & apud Cavas directi. Severæ porro leges à Papâ & Senatu Romano contra hæreticos sunt latæ. Quoniam vero in Insubriâ maximè vigebat hæresis, Fridericus imperatorio edicto *omnes criminis illius convictos flammis tradi, vel si ad aliorum terrorem vita reservandi viderentur, linguis, quibus blasphema evomuissent, amputari, jussit.* Quod edictum *acerbum quidem sed tamen justissimum* vocat Raynaldus. Raynaldus a. 1231. § 13. § 14, 15, 16.

Hoc eodem anno illustre tyrannidis ac injustitiæ specimen edidit Papa Gregorius IX. Ezelinus Patavii Dominus Friderici Imperatoris Vasallus Domino suo constanter adhæsit, & partes Imperatoris contra factionem Papæ fideliter tutatus est: Eum crimine hæresis infamatum reddere voluit Papa, ut hoc specioso prætextu ditione suâ expelleretur: id cum hactenus frustrà fuerat, tandem hoc anno Gregorius filios Ezelini contra patrem concitare veritus non est, ut per eos in potestatem suam traditus ex arbitrio Papæ puniri possit. Datis quippe ad Ezelinum literis, spiritum consilii sanioris precatus, ut errores abjiceret monuit. § 20. &c. Earum exemplum misit ad Ezelini filios, Ezelinum juniorem & Altericum, qui à paterno scelere abhorrere præ se ferebant, ac ne avitis opibus exciderent, ultrò (ut refert Raynaldus) Gregorio miserum parentem in Censorum fidei manus se udituros erant polliciti, si obfirmatus in flagitio perstaret: Quibus Pontifex significavit, illorum causâ, quos putaret vero Dei cultui addictos, quid gratius se in ipsorum patrem statuere distulisse, ne paternâ calamitate involverentur; cum hæreseos crimen, ut ait, instar criminis læsæ majestatis filios exhæredet: adjecitque preces & imperia, ut summâ diligentiâ parentem ab hæresi atque Hæreticorum studio deterrerent, ac, si monita respueret, ut suæ consulerent saluti, illum, uti spoponderant, ad Pontificium tribunal rapiendum traderent. *Nec mirum cuiquam videri potest datum hoc filiis adversus parentem consilium* (addit Raynaldus) *cum divini numinis, à quo nominatur omnis paternitas, causa humanis affectibus debeat anteferri.*

Bzovius Anno sequenti CIↃCCXXXII. Inquisitio in Arragoniam introducta est. Episa 1232. copus Vicensis apud Arrogonios malè de fide sentire dicebatur : Gregorius ita§ 8. que Fratri Petro Caderitæ Ordinis Prædicatorum officium inquirendi contra eum commisit, & Jacobo regi Arragonum injunxit, ne quovis modo illum, vel eos, quorum consilio aut auxilio usus fuisset, injuriâ affici permitteret. Et ut hære§ 9. sin in Tarraconensi provinciâ penitus exstingueret, potestatem fecit Archiepiscopo Tarraconensi & Suffraganeis ipsius, Inquisitores ex ordine Prædicatorum contra hæreticam pravitatem instituendi, dato diplomate in hæc verba. *Declinante jam mundi vespere.* &c. *Fraternitatem vestram monemus & hortamur attentè per apostolica verba scripta sub divini attestatione judicii districtè præcipiendo mandantes, quatenus per vos & Fratres Prædicatores, ac alios quos ad hoc idoneos esse noveritis, diligenti sollicitudine percipiatis, & etiam infamatis. Et si quos culpabiles vel infamatos inveneritis, nisi ex animo velint absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, procedatis contra eos juxta statuta nostra contra hæreticos noviter promulgata; quæ verba sub bullâ nostrâ transmittimus inclusa, in receptores, defensores, & fautores hæreticorum secundum eadem statuta nihilominus processuri. Si vero aliqui hæreticâ labe penitus abjuratâ ad ecclesiasticam voluerint redire unitatem, ipsis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eis quod talibus consuevit injungi.* &c. Inter Inquisitores ab ipsis institutos enituit Frater Raymundus Peniafortius Barcinonensis, qui etiam formulam conscripsit; juxta quam contra hæreticos procedendum sit; cujus initium est, *Credo quod deprehensi de hæresi.* Quæ tantæ autoritatis fuit, ut Gregorius Guilielmo electo Tarraconensium Archiepiscopo eam per omnia sequendam præscripserit. Formulam integram exhibet Bzovius in Annalibus ad annum CIↃCCXXXV. § 5.

a. 1234. In Galliis non deërant, qui reliquias Albigensium excitarent : quamobrem, § 8. ut ait Bzovius, & Inquisitores cæterasque personas ad directionem seu defensionem fidei catholicæ à sede Apostolicâ destinatas intolerandis malis opprimebant. (fortè obstiterunt, ne jugum adeò intolerandum cervicibus suis imponeretur.) Contra illos Ludovicum regem Gregorius IX. incitat; & ut aliquem prudentiæ & justitiæ laude insignem virum Archiepiscopo Viennensi adjungeret, qui cognoscerent, quid ecclesiastici, quid regii, quid reliquorum juris esset. Blancham quoque reginam hortatus est; ut filio persuaderet, ad tam justum opus per-
a. 1234. ficiendum. Idem narrat, eodem anno Inquisitionem post longos conatus Tho§ 24. losam introductam, in primo festo Dominici, verum non sine tumultu populari, quem indiscretus quidam Monachus concione seditiosâ concitavit, occasione obitus alicujus matronæ Tholosanæ prope domum Prædicatorum, & ante „mortem hæreticatæ : Quare cum rumor ille percrebuisset Frater Guilielmus „Arnaldi Inquisitor eam hæreticam condemnavit, & curiæ sæculari reliquit. „Mox prior F F. Prædicatorum, Fu Pontius de S. Ægidio cum post nonam „infinitus quasi populus convenisset, & explicans verba Ecclesiast. XLVIII. „*Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbum ejus quasi facula ardebat*, & festo ac „præsenti negotio verba sua adaptans, convertit se nutu ac gestu ad orientem „& occidentem, ad aquilonem & meridiem, quantâ voce poterat contra „quamlibet partem clamans, & sæpius iterans : *Ex parte Dei & B. Dominici servi „sui, diffido ab hac horâ hæreticos, & fautores, & credentes eorum.* Iterumque „clamabat, *Adjuro ex parte Dei Catholicos, ut deposito timore testimonium perhi„beant veritati*; & tacuit. Post hanc concionem infra septem dies multi ve„nerunt, quibus mediantibus, aperta est via Inquisitoribus ad abscondita tene„brarum : quorum alii hæresin abjurabant, alii alios detegebant, & se detecturos
Bzovius „tempore oportuno promittebant. Verum Inquisitores anno sequente rursus Thoa. 1235. losâ ejecti sunt. At eosdem mox restitutos fuisse colligimus ex Lucâ Waddingo, § 4. qui in historiâ Fratrum minorum refert, anno CIↃCCXXXVIII. Tholosæ fuisse Inquisitores hæreticorum Fr. Wilhelmum Arnaldi ex Ordine Prædicatorum, & Seraphinum de S. Tiberio ex ordine Minorum. Ibidem Papæ Gregorii IX. epistolam

stolam exhibet ad Ministrum Ordinis Fratrum Minorum in Navarrâ, & Magistrum Petrum de Leedegariâ de Ordine Fratrum Prædicatorum Pampilonæ commorantem, cujus initium est, *Rumor*, &c. Quæ inter alia ita sonat: *Cum igitur ex injuncto nobis officio de regno Dei colligere scandala teneamur, & quantum in nobis est hujusmodi bestias oppugnare: Nos ponentes in manu vestrâ gladium verbi Dei, quem juxta Prophetæ sententiam non debetis à sanguine prohibere, sed tanquam Phinees Catholicæ fidei zelo succensi, de pestilentibus ipsis & credentibus ac receptatoribus & defensoribus eorumdem pollicitè inquirentes contra illos, quos per inquisitionem super præmissis constiterit esse reos, tam juxta sanctiones Canonicas, quam statuta nostra, quæ ad confundendam hæreticorum pravitatem edidimus, procedatis, convocato contra eos ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.* Datum Laterani VIII. cal. Maji, anno XII. Hier. XLVIII. 10. Exod. XXXII. 33.

In Italiâ per hæc tempora officium delegatæ Inquisitionis introductum esse, dubitari nequit; quia Placentini anno CIƆCCXXXIV Fratrem Rolandum Inquisitorem urbe suâ pepulerunt. Anno certè sequente Papa Priori sanctæ Mariæ ad gradus, & Fratri Radulpho Ordinis Prædicatorum Viterbii, officium Inquisitionis commisit; scilicet, ut ex aliis civitatibus venientes hæreticos inquirerent, & hæresin ejurantes à censuris exsolverent, atque Ecclesiæ reconciliarent: Eâque de re utrique dedit literas Perusii, secundo Idûs Augusti, Pontificatus anno IX. Biennio vero post, XIII. cal. Junii, Pontificatus anno XI. Viterbii ad Provincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum literas dedit, per quas ei potestatem Inquisitores instituendi concedit: quarum initium est, *Ille humani generis pervicax inimicus.* Has, quia officium Inquisitoribus demandatum distinctius repræsentant, integras exhibere operæ pretium duxi. Præmissa itaque solitâ de exortu hæresium querelâ, Inquisitoribus officium mandat his verbis: *Volentes tot animarum periculis obviare, discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attentè, per Apostolica tibi scripta sub divini obtestatione judicii districtè præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc esse noveris idoneos, ad partes tibi secundum tuum Ordinem limitatas transmittas, qui clero & populo convocatis generalem prædicationem faciant, ubi commodius viderint expedire: & adjunctis sibi discretis aliquibus ad hæc sollicitius exequenda, diligenti perquirant sollicitudine de hæreticis, & etiam infamatis: & si quos culpabiles vel infamatos repererint, nisi examinati velint absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, procedant contra eos juxta statuta nostra, contra hæreticos noviter promulgata: in receptores, defensores, & fautores hæreticorum secundum eadem statuta nihilominus processuri. Si verò aliqui hæreticâ labe penitus abjuratâ ad ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis juxta formam ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & injungant eis, quod talibus consuevit injungi. Attentius provisuri, ne, qui videntur reverti, sub palliatâ specie pietatis impietatem committant, & angelus Satanæ in Angelum lucis se transformet. Propter quod statuta, quæ super hoc duximus promulganda, inspicere poterunt, & ab eorum insidiis secundum discretionem eis traditam à Domino præcavere. Ad hæc ut super præmissis omnibus officium sibi commissum liberius possint & efficacius exercere, omnibus qui ad prædicationem eorum accesserint in singulis stationibus viginti dies; illis verò, qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, in munitionibus & castellis, vel alias contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum autoritate confisi, tres annos de injunctâ sibi pænitentiâ relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione hujusmodi negotii fortè decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti ac ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus. Ne vero aliquid fratribus ipsis desit ad prædictum negotium prosequendum, in contradictores ac rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore præsentium, liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoque quæstuarios, quorum interest charitativa tantum subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam si quam forsan habent exponere, à prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censurâ simili, eisdem nihilominus licentiam indulgemus.*

Bzovius a. 1234. § 25. a. 1235. § 2.

Bzovius a. 1235. § 3.

Eodem anno CIƆCCXXXV. XVII. cal. Junii Gregorius Pontifex Episcopo Vicensi, § 7.

censi, Priori Barcinonensi, & Fratri Guilielmo de Barbarano, Ordinis Prædicatorum, ne ullo modo officium hoc languesceret, ut contra hæreticos in provinciâ Tarraconensi inquirerent, & juxta præscriptum canonem procederent, injunxit: & in universo regno Galliarum Fratrem Robertum ejusdem Ordinis Prædicatorum contra hæreticos Generalem Inquisitorem constituit, jussitque ut ad eum modum in causis sibi commissis procederet, ne innocentia periret, & iniquitas ne remaneret impunita. Exstat ejus commissionis diploma, datum Perusii 10. Cal. Septemb. Pontif. anno nono. Quo etiam modum pœnitentiæ ejurantibus hæresin imponendæ præscripsit, & plurima alia contra hæreticos sanxit, & Provinciali Teutoniæ Ord. Prædicatorum autor fuit, ut viros idoneos ex universâ Alemaniâ eligeret, qui ubique locorum verbum Crucis contra hæreticos & Saracenos prædicarent.

CAPUT XIV.

De obstaculis quæ in initio experta est Inquisitio.

INterim licet Papa Inquisitionem urgere nunquam desierit, ægrè tamen admissa est. Novitas tribunalis, quo sæculares ab omni planè in hæreticos judicio excludebantur, admodum homines offendit. Relinquebant quidem Ecclesiasticis judicium de doctrinâ, ut definirent, quid Orthodoxum, quid hæreticum esset: Verum sibi judicium de personis deberi contendebant, utrum nimirum quispiam dogma, communi ecclesiasticorum judicio condemnatum, profiteretur, atque ita hæreticus esset; & maximè quidem sententiæ in reum pronuntiationem sui tori esse credebant. Nunc autem per novam, quod Papa passim erigere meditabatur, tribunal se à judicio penitus exclusos videbant; solummodò hæretici, ab Ecclesiasticis condemnati, potestati Magistratus sæcularis relinquebantur extremo supplicio puniendi, magistratusque sine ullâ criminis cognitione Inquisitorum minister constituebatur, qui cæcâ obedientiâ sententiam ab Inquisitoribus latam executioni mandabat. Ostendit hoc etiam illos, qui aliàs Papalis autoritatis devotissimi erant propugnatores. Inter alios Galliæ Rex Ludovicus legem tulit, quâ præcepit, ne subditi sui ad ecclesiasticorum tribunalia ad dicendam causam accersiti comparerent, & si ob contumaciam censurarum pœnis afficerentur, eorum bona, qui eas infligendas curassent, forensi satellitio, donec revocatæ essent, occuparentur. Legem hanc iniquam, & Præsulum autoritati injuriam credidit Papa: quare ne illa lege hac depressa obsolesceret, literis datis Ludovico regi, Caroli Magni, Theodosii, ac Valentini Imperatorum, qui adeò Episcoporum autoritatem extulerant, nec suæ tamen Majestatis obscurarant splendorem, sed auxerant, exempla proposuit; monuitque, ut editas eas leges cum libertate Ecclesiasticâ pugnantes rescinderet: Denique latam ab Honorio sententiam objecit, quâ hujusmodi legum conditores anathematis laqueis se irretiebant, nisi infra duos menses statuta ipsa revocent. Rex, qui obedientis Ecclesiæ filii titulum ambiebat, cessit severitati Pontificiæ; quem porro precibus ursit Gregorius, ut captum exscindendarum hæreseos reliquiarum in Tholosanâ provinciâ opus perficeret, ac Raymundum comitem Tholosanum ad promissa complenda compelleret.

Raynaldus a. 1236. § 31. &c.

§ 39. &c. Adstrinxerat is se jurejurando, dum Parisiis pacem cum Francorum rege atque Ecclesiâ pepigit, ad exscindendam hæresim, ducendumque exercitum in terram sanctam: Verum commotâ Tholosæ in fidei censores seditione ab iis qui hæresi infecti dicebantur, nec exorienti malo congruis adhibitis remediis, idem comes ob non coërcitum illorum furorem à promissis deficere atque hæreticos fovere visus est: Quare Pontifex gravibus monitis illum increpuit, inter alia, *quod formas iniquas statutis ipsius Papæ & juri contrarias circa hæreticorum inquisitio-*

tionem ad eorum favorem postulans observari, inquisitionem hæreticorum multipliciter impediat, & plures in terrâ suâ hæreticos condemnatos publicè habitare permittat, & eis aliunde ad terram ipsam confugientibus secum refugium exhibeat, suspectos & diffamatos de hæresi consiliarios & familiares secum habeat, &c. *atque ita hæreticorum fautorem, receptatorem, defensorem, & eorum fautoribus non veritus se favorabilem exhibere, ac super his sæpe monitus corrigere non curaverit*, &c. De eâ re Legatum Pontifex admonuit, injunxitque ei, ut Tholosana studia instauraret, edicta ac leges, quæ libertatem ecclesiasticam infringerent, rescinderet; suspectos vel infamiæ hæreseos notâ inustos, à publicis consiliis removeret: ac data aliis literis provincia est, ut Tholosanorum hæreticorum domos everti juberet.

Francorum porrò regem enixius oravit, ut traditâ sibi à Deo potentiâ, ad Comitem consulesque Tholosanos compellendos ad præmissa scelera emendanda uteretur, & ad hæresim profligandam strenuè operam conferret. Tum admonuit, ut Comitem ipsum ad trajiciendum proximo mense Martio in Jerosolymitana loca cogeret; fratremque Alfonsum, cui Raymundi filia desponsa fuerat, ad Tholosani comitatus administrationem suscipiendam mitteret. Raynaldus a. 1236. § 45.

Non tantum autem novitate sua tribunal Inquisitionis populis ingratum fuit; sed & Inquisitores nimia suâ crudelitate Inquisitionem odiosam reddiderunt. Horum non minimus fuit Frater Robertus, cognomento Bulgarus, quod Waldenses, tunc vocatos Bulgaros, atrocius divexaret, & promiscue ad ignem damnaret: vel ut alii, quia ipse fuerat Bulgarus, seu Valdensis, & eorum sectâ relictâ in Ordinem Dominicanorum transierat: Hic in Belgio ac Francorum regno fidei Inquisitor erat, vir austeri spiritus, quem Ludovicus regiâ autoritate fulciebat, multosque hæresi inquinatos cremari jussit. Sed cum postea Robertus, ut ait Matthæus Paris ad annum CIƆCCXXXVI. abuteretur potestate sibi concessâ, & fines modestiæ transgrediens & justitiæ, elatus, potens, & formidabilis, insontes pariter ac sontes eâdem pœnâ percelleret, autoritate Papali, munere suo fuit deturbatus, & tandem perpetuo carceri mancipatus. Posteà eandem severitatem exercuit Fulco in Occitaniâ; ob cujus nimiam severitatem rex Philippus Pulcher aliquos misit anno CIƆCCCI. qui de Fulconis excessibus inquirerent; & statuit, ut posthac de hæresi suspecti regiis carceribus includerentur Tholosæ, nec regis subditi Inquisitoris decreto possent detineri, nisi sumto prius Episcopi consilio, & Senescalli regii auxilio implorato. Utinam verò illi soli modum in judicando excessissent! Verum familiare hoc fuit plerorumque vitium. Quare ne nimium hominum animi alienarentur, Prædicatoribus mox Collegæ additi sunt ex ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum rigorem mansuetudine suâ temperarent. Quales ex Lucæ Waddingi loco mox citato liquet jam anno CIƆCCXXXVIII. Prædicatoribus fuisse adjunctos. Du Cange in voce Inquisitio. Raynaldus a. 1238. § 60. Du Cange ibid.

Et reverâ tribunal hoc Inquisitionis opportunum admodum fuit medium omnibus inimicis prætextu hæreseos, quâ infecti dicebantur, opprimendis, quo nonnunquam Politici, perinde atque Ecclesiastici, abutebantur, si verum est quod Raynaldus de Friderico Imperatore scribit, eum ultionis avidum fuisse, variisque prætextibus, & criminibus subornatis in eos desævire solitum, in quos odium animo conceperat. Itaque cum ad exscindendos hæreticos ingenti ardere studio præ se tulisset*, constituissetque, ut in singulis provinciis ac locis insignibus judex unà cum antistite exercendæ in eos quæstioni præesset, atque ob susceptum pium, ut videbatur, consilium à Gregorio collaudatus esset, vindictæ occasionem aucupatus, plerosque insontes Catholicos, qui in ipsius iras incurrerant, crimine hæreseos accusatos, flammis magno omnium dolore & offensione tradi jussit: quare illum Gregorius gravissimè monuit*, ut delendis hæreticis, non perdendis Catholicis studeret. a. 1233. § 33, 34. * apud Gregor. Ep. 243. * Ep. 244.

Verum multò impotentius Romani Pontifices autoritate suâ abutebantur. Reges quippe ac principes, quin & Imperatorem ipsum, si immensam Papæ potestatem non agnoscerent, omniaque ex ipsius arbitrio facerent, hæreseos notâ in-

infamare veritus non est, & contra eos tanquam hæreticos procedere. Exemplum habemus illustre in Imperatore Friderico. Condiderat ille acerbas contra hæreticos leges: Inquisitorum autoritatem maximè promoverat; quin & nuper, Raynaldus a. 1236. § 60. anno videlicet CIƆCCXXXVI. cum aliquos Palentiæ hæreticâ lue infectos deprehendisset, candenti ferro æternis infamiæ notis in vultu inuri jussit: Non tamen fulmen Pontificis evitare potuit: Anno siquidem CIƆCCXXXIX. Gregoa. 1239. § 2. &c. rius Pontifex anathematis sententiam in ipsum pronuntiavit, omnesque ejus subditos officii ac sacramenti, quo illi devincti erant, religione absolvit. Illi sententiæ, quâ multa Imperatori crimina objiciebantur, nullâ hæreseos mentione factâ, cum fuse respondisset Fridericus, criminaque objecta diluisset; Pontifex missis ad omnes præsules, reges ac principes Christianos literis, varias illi hæreses impegit: inter alias hanc: Quod *constanter proposuerit, quod per ipsum tanquam Christi Vicarium vinculo excommunicationis adstringi non potuit: Sicque affirmans non esse apud Ecclesiam à Domino B. Petro & ejus successoribus ligandi atque solvendi traditam potestatem, dum hæresin asserit, proprio sibi argumento concludat, consequenter ostendens, quod malè sentiat de cæteris fidei Orthodoxæ articulis; dum Ecclesiæ, super quam fides fundata consistit, auferre nititur concessum verbo Dei privilegium potestatis.*

Nec quievit Papa, donec quam pronuntiaverat in Fridericum Imperatorem a. 1245. § 1. &c. § 45. sententiam executioni mandaverit: Anno siquidem CIƆCCXLV. Innocentius in Galliis Concilium convocat, in eo Fridericum damnat, excommunicat, imperio privat, subditos à juramento fidelitatis absolvit; auctoritate Apostolicâ firmiter & strictè inhibet, ne quisquam de cætero ipsi tanquam Imperatori vel regi pareat; decernitque quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori vel regi consilium vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere: illi autem, ad quos in eodem imperio Imperatoris spectat electio, eligant liberè alium in ejus locum successorem.

a. 1246. § 3. § 17. Procurante Innocentio IV. Henricus Thuringiæ Lantgravius Rex Romanorum fuit creatus, ut ita illius operâ Fridericus imperio pelleretur. Fridericus ad eluendam hæreseos labem plures ad Christianos principes literas misit, quibus hæreseos crimen diluit: Præterea Archiepiscopum Panormitanum, Episcopum Papiensem, Cassimensem, Cavensem, Casanovæ Abbates, ac Rolandum, & Nicolaum prædicatorum Ordinis, quid ipse de Christianæ fidei symbolo aliisque articulis ac mysteriis religionis sentiret, à se quærere diligentius & excutere jussit. Quo peracto, atque instrumento confecto, procuratores ipsos instituit, ut coram Romano Pontifice jurejurando se devincirent, vocatum ad examen Fridericum rectè circa omnia fidei capita cum omnibus Christianis consentire, ac longè ab hæresi abhorrere. Ingratè illi admodum excepti, quod depulsi è fidelium cœtu hominis procuratores agerent; ob quod facinus non tam audiendi quam afficiendi pœnis videbantur; sed cum purè Christiani hominis nuntios se dicerent, data est provincia expendendæ rei tribus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui eam purgationem futilem & inanem pronuntiarunt: cum nulla ipsis instituendi illius examinis autoritas esset demandata: Quare repudiatâ hujusmodi purgatione indixit Friderico, ut si ritè purgare se & committere examini vellet, adiret sedem Apostolicam sine armorum strepitu ac terrore, modico comitatu stipatus: tum ipsi, tum suis, cautionem idoneam se concessurum; nullam injuriam molestiamque irrogatum iri.

Ita conculcatâ Imperatoriæ potestatis autoritate, nemo mirabitur, quod adversus Ezelinum de Romano, Patavii Dominum, & Imperatoriarum partium quam a. 1248. § 25, 26. maximè studiosum, similis processus institutus fuerit. Anno namque CIƆCCXLVIII. idem Papa Innocentius, prout literæ ipsius ad Præsules Insubriæ, Marchiæ Tarvisinæ, atque Æmiliæ docent, diè cœnæ Dominicæ adversus Ezelinum censuras ecclesiasticas exeruit: Constituerat anteà in eum fidei Inquisitores, quoniam hæreseos famâ aspersus erat: Ipse verò ad eam à se depellendam nuntios Romam

mam miserat, qui sacramento solemni Cæsareo nomine se obstringerent, rectè illum de fide Catholicâ sentire: sed cum nec ab Episcopo Sabinensi, qui auditor nuntiis datus fuerat, neque à Pontifice ea purgatio esset admissa, cum rei gravitatem præsentem reum desiderare prætenderet, illi Innocentius diem Cal. Augusti ad purgandum se præfixit; cavitque, more Pontificio, illius securitati. Hoc ipso demonstrans, nullam reconciliationis spem superesse, nisi per omnia se nutui ac beneplacito Pontificis subjiciat, ipsumque supremum omnium causarum judicem agnoscat.

Cum non compareret Ezelinus, Pontifex anno CIƆCCLI. Tarvisino Episcopo & Priori Prædicatorum Mantuanorum munus injunxit, ut denuntiarent ipsum omnibus pœnis in hæreticos latis subjectum iri, nisi intra proximas Calendas Augusti sanctæ Sedi se sisteret, atque excipiendis illius imperiis se submitteret: Si verò parere recusaret, promulgarent ab omnibus ut hæresi inquinatum declinandum, expositum invasuris illius corpus, & bona direptioni patere, atque Cruce signatorum copias in eum ac sectatores immittendas. Duravit aliquamdiu hic processus, antequam Papa sententiam dudum intentatam pronuntiaverit. Tandem anno CIƆCCLIV. die cœnæ Domini Ezelinus hæresis crimine damnatus, & omnibus hæreticorum pœnis Pontificiâ sententiâ irretitus est. Edidit acerbam admodum in eum sententiam Innocentius quâ horrenda ipsi scelera impingit. Præceptum etiam est omnibus Præsulibus, ut Ezelinum hæreseos crimine damnatum divulgarent, omnesque illius studiosos propositis hæreticorum sectatoribus pœnis percellerent. Exstant quoque Papæ ad Albericum ipsius fratrem eo argumento literæ, quibus bona Ezelini, quem pœnis hæreticorum subjecerat, in eum transfudit; Willelmique regis Romanorum sententiam, quâ ipsum perduellionis damnarat, omnibusque vectigalibus imperii terris exuerat, confirmavit.

Raynaldus a. 1251. § 36, 37.

a. 1254. § 35, 36.

Quare etiam Raymundus Comes Tholosanus, tot adversis, quæ anteà commemoravimus, fractus, collum jugo Pontificio submisit. Significavit namque Papæ, exoptare se hæreticam nequitiam in sua ditione funditus deleri ac radicitus evelli: Papa ob tam pium (scilicet) ardorem summis illum laudibus commendavit: atque ut illi (prout ait) morem gerat, Agennensem Episcopum in Tholosanos hæreticos inquirere atque animadvertere jussit. Refert Guilielmus de Podio Laurentii, (citante Raynaldo) Raymundum octoginta circiter credentium hæreticorum in judicio coram se confessos de hæresi, aut convictos, apud Agennum, in loco qui dicitur Berlaigas, fecisse incendio concremari. Verum non diu supervixit: Mortuus quippe est anno CIƆCCXLIX. fuitque ultimus Tholosatium ex illâ stirpe Comes: Illo defuncto Comitatus Tholosanus ad generum ipsius Alfonsum, Comitem Pictaviæ, pervenit: eoque sine liberis decedente ad Galliarum reges est devolutus.

§ 27.

a. 1249. § 8, 9.

Officium Inquisitionis jam ante decennium in Lombardiam introductum, Innocentius IV. anno CIƆCCXLVII. confirmare volens, Fratri Joanni Vicentino Ordinis Prædicatorum præcepit, ut in Lombardiâ hæreticis sese constanter opponeret; eidemque facultatem concessit, eos, qui errore ejurato ad Ecclesiam redire voluerint, absolvendi, & indulgentias his qui concionibus illius interessent conferendi: neve quispiam ejusdem Ordinis Superiorum, Provincialis, vel Magister Generalis, eum in officio Inquisitionis impedire, aut ab eo amovere posset, prohibuit.

Bzovius a. 1247. § 4. & 6.

Ex vicino Comitatu Tholosano in Narbonensem Provinciam & Aragoniam doctrina purior irrepserat: Quamobrem Innocentius IV. Raymundo Penniafortio Ordinis Prædicatorum Magistro, & Provinciali Hispaniæ missâ epistolâ mandat, ut aliquos Fratres Ordinis sui de regno Aragoniæ Inquisitores hæreticæ pravitatis in provinciâ Narbonensi per districtum tantum Jacobi Aragonum Regis autoritate ipsius Papæ deputare curent, ipsisque injungant, ut secundum formam à Gregorio editam, & ab ipso innovatam, tam contra hæreticos, quam

Bzovius a. 1248. § 3.

fautores, &c. eorum, neminem præter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant.

Lucas autem Waddingus refert, jam anno CIↃCCXXXII. jussu Papæ Gregorii IX. in Aragoniâ institutos fuisse Inquisitores, regem, ut eos à Papâ peteret, instigante Raymundo Penniafortio ejus confessario. Non multò post Synodus Tarraconam est convocata, quæ varia in hæreticos decreta condidit: & Inquisitio ad instar Tholosanæ instituta, quæ summo cum rigore contra exortas illo tempore hæreses exercita fuit, & plus integro sæculo duravit. In vitâ enim Nicolai Eymerici, Monachi Ordinis Prædicatorum, & Directorii Inquisitorum autoris, narratur, Eymericum floruisse temporibus Urbani V. & Gregorii XI. P P. & Petri IV. Aragonum regis: Creatum Generalem Inquisitorem circa annum Domini CIↃCCCLVIII. & successisse Nicolao Rosell, anno CIↃCCCLVI. in Cardinalium numerum allecto: Mortuum vero esse IV. Januar. anno CIↃCCCXCIII. cum per quadraginta quatuor annos continuos officium S S. Inquisitionis contra hæreticos fortiter exercuisset. Illo itaque moriente Inquisitionis officium in regno isto adhuc viguit; quod tamen sensim, exstinctis omnibus Valdensibus, evanuit.

CAPUT XV.

Fælicior & minus impeditus Inquisitionis progressus.

HActenus Papa in negotio Inquisitionis promovendo desudavit; verum quoniam perpetuæ erant inter Papas & Cæsarem contentiones, successum Papæ votis respondentem habere non potuit, quoniam magis bello promovendo, quam hæresibus inquirendis & judicandis intentus erat. Mortuo demum Imperatore Friderico, rebus Germaniæ maximè perturbatis, Italiaque principe destitutâ, Papa Innocentius IV. in Insubriâ aliisque Italiæ partibus videns omnia suæ dominationi subjecta, statuit omnes hæreses, quæ præcedentibus bellis magnum ceperant augmentum, exstirpare: & quoniam Fratres Dominicani & Franciscani egregiam contrà hæreticos Papæ navaverant operam, zelumque igneum contrà eos ostenderant, illos præ omnibus elegit quibus negotium hoc committeret. Erexit itaque tribunal, quod unicè negotium fidei tractaret, Inquisitoribusque perpetuam dedit potestatem, judicium suo nomine in causâ fidei administrandi.

Prima ac præcipua ipsi cura fuit Italiam, ut maximè vicinam, sibique maximè subjectam, hæresi purgare: Quare in eâ passim Inquisitionis tribunalia erexit. Anno CIↃCCLI in Insubriâ Vivianum Bergomensem & Petrum Veronensem ex Ordine Prædicatorum Inquisitores fidei creavit, datis hisce literis, in quibus & Fredericum Imperatorem, tanquam hæreseos fautorem, perstringit. *Innocentius*, &c. *Olim dum viveret perfidus ille tyrannus, non potuit liberè contra hujusmodi pestem, præcipuè in ipsâ Italiâ, eo impediente, procedi, cum non impugnaret, sed foveret potius pestem ipsam: de quâ cum evidenter haberetur suspectus, exigentibus nihilominus aliis multis & enormibus suis excessibus, fuit à nobis in Lugdunensi Concilio condemnatus. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta districtè præcipiendo mandamus, in remissionem peccatorum vestrorum injungentes, quatenus hujusmodi fidei negotium, quod principaliter residet cordi nostro, totis assumentes affectibus, & ferventibus animis prosequentes, Cremonam personaliter accedatis; cum & per alias civitates, & alia loca Lombardiæ, discretos alios ad exequendum idem negotium duxerimus deputandos: & ad exstirpandam de civitate ipsâ & ejus districtu hæreticam pravitatem sollicitè ac efficaciter præhabito diœcesano concilio, laborantes, si quos ibidem pravitate ipsâ culpabiles inveneritis, vel infectos, seu etiam infamatos, nisi examinati velint absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, contra ipsos, & receptatores, defensores, ac fautores eorum, humano timore postposito, juxta*

Raynaldus a. 1251. § 34, 35.

ta sanctiones canonicas auctoritate Apostolicâ procedatis, invocato ad hoc contra eos, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. &c. *Dat. Januæ id. Jun. anno VIII.*

Hic Petrus Veronensis ordinavit, ut inter cætera statuta Reip. Mediolanensis multa quoque ponerentur & observarentur contra hæreticam pravitatem. Cum verò anno CIↃCCLII. relictâ Como Mediolanum pergeret ad exstirpandam hæreticam pravitatem, quidam de hæreticorum credentibus in itinere eum invadens multis impressis vulneribus interfecit. Est hic post mortem à Papâ Alexandro IV. in sanctorum numerum relatus; eundemque tanquam martyrem colunt Dominicani, & post Dominicum S. Officii Inquisitionis patronum ac principem appellant, cum ipse primus suo sanguine id consecraverit: quin & ministros Inquisitionis, quos in Italiâ Crucesignatos vocant, ab eo Confratres S. Petri martyris denominant. Imo & in insignibus hujus Officii depingitur S. Petrus martyr, tanquam protector hujus sacri Tribunalis, cum cruce coloris rubri sericâ auro contextâ, ut sit insigne martyrii.

Pegna in Eymer. part. 2. Comm. 38.

Ne vero videretur Papa judicium fidei, quod hactenus penes episcopos fuerat, illis adimere, constituit, ut Episcopus unà cum Inquisitore in hoc tribunali judices essent: Verum episcopus dicis tantum causâ admittebatur, omnis judicandi potestas penes unicum Inquisitorem residebat. Et ut Magistratibus sæcularibus penes quos hactenus, etiam per ultimas Friderici leges, sententias in hæreticos pronuntiandi potestas fuerat, aliqua autoritatis species relinqui videretur, ipsis concessit ministros Inquisitionis, sed ab Inquisitoribus nominatos, constituere, quin & è suis aliquem, qui unà cum Inquisitore ditionem ipsi commissam visitet, similiter ab Inquisitore nominatum, deputandi; & tertiam bonorum fisco adjudicatorum partem sibi vindicandi: aliaque similia, quibus Magistratus sæcularis admitti videbatur in socium, reverâ autem servus ac minister reddebatur Inquisitorum. Obligatus enim fuit, ad denuntiationem Inquisitorum capere quoslibet, ducere in carcerem, & quocunque Inquisitori libitum fuit: juramento Inquisitoribus obligatus fuit, eos expellendi è suis familiis, nec ad ullius muneris functionem admittendi, quotquot Inquisitorum sententiâ hæretici essent judicati: & quicunque è suis Inquisitoribus assistebant, ad silentium juramento præstito se obligabant. Ex quibus omnibus liquet, Magistratus non fuisse in tribunali illo Inquisitorum socios, sed solummodo ministros ac servos. Constituit porrò Papa, ut sumtus carcerum custodiæ & captivorum alimentis impendendos singuli populi subministrarent.

Et hac quidem ratione munus in hæreticos inquirendi in diversis Italiæ locis tam Minoribus, quam Prædicatoribus demandatum est: Sed ne promiscua potestas & vicina locorum jurisdictio confusionem pareret, aut ipsi quæstiones excitarent circa constitutos sibi terminos, revocavit Papa omnes à se datas in negotio fidei commissiones, atque utrique Ordini Italiæ fines divisit in funiculo distributionis: Fratres minores instituit in ipsâ urbe Româ, in universâ Tusciâ, in patrimonio B. Petri, in Ducatu Spoletano, in Campaniâ, in Maritimâ & Romaniâ: Prædicatores verò in Lombardiâ, Romaniolâ, Marchiâ Tarvisinâ & Januensi. Bulla, quâ Prædicatoribus inquirendi munus committit, exstat apud Bzovium anno CIↃCCLIV. § IV. quâ vero idem munus demandat Minoribus, apud Lucam Waddingum, anno CIↃCCLIV. § VII. Mox Papâ Magistratibus, Judicibus & populo trium, quos Prædicatorum jurisdictioni subjecerat, regionum triginta & unum capita præscripsit, quæ exactè observari voluit, & publicis Archivis inscribi. Inquisitoribusque potestatem dedit eas observare recusantes excommunicatione & interdicto feriendi. Hi potestate hac armati impotenter satis illâ nonnunquam abusi sunt, & quod Papa in ditionibus sibi subjectis constituerat, in alias etiam introducere voluerunt. Eâ de causâ anno CIↃCCLV. magna fuit contentio inter Fratrem Anselmum Ordinis Prædicatorum Inquisitorem Liguriæ, & Magistratum Genuensem: Conabatur ille, ut nonnullæ Constitutiones, tum ab Apostolicâ sede, tum ab imperatoriâ potestate editæ contra

Wadding. a. 1254. § 7.

Bzovius a. 1256. § 7.

hæreticos, evulgarentur, & inter leges civitatis reponerentur. Veruntamen Philippus Turrianus civitatis præfectus, sive quod hæreticis faveret, sive quod mandata Inquisitoris flocci penderet, recusavit. Inquisitor porrò autoritate Apostolicâ fretus contra Philippum eo nomine de hæresi suspectum judicium instituit, atque obtemperare & comparere recusantem, tum illum, tum reliquos in administrandâ Rep. socios, criminis conscios, anathemate damnavit, & sacris urbi interdixit. Philippus eâ censura notatus, appellationem ad sedem Apostolicam interposuit, legatosque ad summum Pontificem misit, qui suspensionem à censuris impetrarent, & de totâ re judicium exspectarent. Et quidem summus Pontifex ad præstitutam diem, eas quas Anselmus protulerat diras suspendit; Philippus verò antequam eadem dies adveniret, dictis Anselmi obsequens, omnes Constitutiones eas, quas voluerat Inquisitor, tabulis legum urbanarum inscripsit, & juxta earumdem præscriptum in contraventores animadvertit.

Ita coacti nonnunquam fuere Magistratus autoritati Papali cedere; Et hæc procul dubio fuit causa, quod leges Friderici contra hæreticos (ut refert Frater Bernardus Comensis in Lucernâ Inquisitorum, impressâ Romæ anno CIↃIↃLXXXIV. in voce *Executio contra damnatos*) sint registratæ in capitularibus civitatis Comi, & acceptatæ per universum Consilium illius civitatis, anno Domini CIↃCCLV. die X. Septemb. nihilominus tamen ob nimiam Inquisitorum sævitiam, & impensarum molestias, acerrimè huic tribunali reluctarunt populi, & aliquot Papæ ægrè ex hisce difficultatibus eluctari potuerunt; donec tandem populo à gravi impensarum in usum officii Inquisitionis ferendarum onere liberato, Episcopisque majore in tribunali Inquisitionis autoritate concessâ, facilius admissum sit.

Nonnunquam res in apertam erupit seditionem, quæ ægrè admodum sedari potuit. Qualis illa, quæ in ditione Parmensi contigit, prout eam refert Honorius IV. in Epistolâ ad Episcopum Parmensem, quæ exstat apud Bzovium; a. 1285. § 12.
quæque à nobis referetur lib. III. cap. X. ubi de Impedientibus officium Inquisitionis dicetur. Fuere quidem autoritate Papæ, & pœnarum rigore hæ difficultates superatæ; sed tamen invitis ac reluctantibus populis, qui Inquisitorum sævitiam execrabantur. Quin & è regionibus quibusdam, in quas jam introducta erat, denuò eliminata est Inquisitio, quia etiam ea, quæ sui fori non sunt, ad se rapiebat, adeò ut populi jugum illius ulterius ferre non potuerint. Et posterioribus hisce sæculis, anno videlicet CIↃ IↃXVIII. in Brescià seditiones gravissimæ contra Inquisitores, qui immanem in modum in aliquos magiæ insimulatos sæviebant, concitatæ fuerunt; quæ ægrè tandem, & non nisi ecclesiasticorum tribunali ac processibus abrogatis, aliisque judicibus in eorum locum surrogatis, quieverunt. Romæ mortuo Paulo IV. carceres Inquisitionis à plebe sunt effracti, ipsumque ædificium cum omnibus scriptis flammis absumtum. Mantua anno CIↃIↃLXVIII. eandem ob causam gravem experta est seditionem, adeò ut summum in periculum adducta fuerit.

(Margin: Hisp Inq. Venet. c. 18. ibid.)

Cùm verò novis hisce judicibus plures casus occurrerent, legibus non definiti, & proinde quandoque hærerent incerti, Papæ, à quo deputati erant, sententiam exquisiverunt; qui per rescripta dubia illa solvere, & quid simili in casu pronuntiandum esset, declarare solitus erat. Multa ejusmodi responsa ad Inquisitores, quibus in negotio officii sui contra hæreticos instructi sunt, exstant Innocentii IV. Alexandri IV. Urbani IV. & Clementis IV. Et licet ad Italos solummodo Inquisitores hæc rescripta missa sint, non tamen putandum, uti observat Pegna in Eymerici Direct. Inquisit. part. 3. Comment. 158. ea capita „& decreta in solâ Italiâ observanda. Propterea enim Romani tunc Pontifices „ad Inquisitores Italiæ rescripta illa transmiserunt, quoniam eo tempore in Ita„liâ frequentes erant Inquisitores contra instantes hæreses Patarenorum, Catharo„rum, Leonistarum, & aliorum hæreticorum, qui maximè Italiæ partes infesta-

„ stabant, sopitis jam & exstinctis aliquantulum hæresibus Valdensium, sive Pauperum de Lugduno, quas paulo anteà sedes Apostolica per multorum insignium „ virorum, & præsertim B. Dominici prædicationem, in Galliâ Narbonensi re„ presserat. Quamobrem quæ tunc ad eos Inquisitores rescribentes statuebant, ab „ aliis quoque aliarum Provinciarum Inquisitoribus, si affuissent, observari vo„ lebant: ad Italiæ autem Inquisitores ideo tunc ea relata fuerunt, quia illi eâ „ provisione & constitutionibus maxime indigebant. Legere etiam est in Bullariis easdem leges à diversis sæpe Pontificibus sine ullâ mutatione repetitas. Nam, „ ut rectè observat idem Pegna in Direct. Inquis. part. 2. comment. 22. vide„ tur fuisse mos vetustis temporibus, cum ita res postulabat, ut in principio „ Pontificatus quilibet Romanus Pontifex contra hæreticos & Ecclesiæ rebelles „ leges promulgaret, ut eos suppliciorum & pœnarum acerbitate à tanto crimine „ amoveret, & ad Ecclesiæ gremium reduceret. Has autem leges interdum à „ prædecessoribus acceptas, nullis mutatis verbis (nisi occasio suaderet) ede„ bant.

Tribunal hoc merè fuit Ecclesiasticum, neque in eo ullæ judicandi partes erant penes Magistratum sæcularem; verum Inquisitor cum Episcopo sententiam hæreseos in captivum pronuntiabant; pœnitenti imponebant pœnitentias salutares; impœnitentem vero ac pertinacem curiæ sæculari tradebant, qui sine ulteriore deliberatione eos ignis supplicio adjudicabat.

CAPUT XVI.

Variis in locis Inquisitio introducta.

AD istum modum etiam aliis in locis extra Italiam Inquisitionis tribunalia erecta fuerunt. Ac primo quidem in Comitatu Tholosano: Siquidem Innocentius IV. Provincial. Ordinis Prædicatorum in Provinciâ, ut ad hæreticos de Comitatu Tholosano & de terris Pictaviensibus eliminandos totis viribus incumberet injunxit, atque potestatem plenariam excommunicandi, absolvendi & reconciliandi concessit. Bzovius a. 1251. § 8. n. 9.

Anno CIↃCCLV. Alexander IV. rogatu Ludovici regis in Galliâ Inquisitores fidei instituit; ac Priorem Parisiensem Ordinis Prædicatorum Inquisitorem in universo regno Franciæ & Comitatu Tholosano cum amplissimis facultatibus esse voluit; utque in ferendis sententiis maturos & prudentes viros consuleret, hortatus est. Hæc Ludovici regis rogatu acta dicuntur. Addit Raynaldus: *Instituisse sanctissimi regis vestigiis in tuendis fidei censoribus in universo Francorum regno excurrente multo tempore posteros reges; donec aliqui ab illius pietate degeneres, sublatis sacris tribunalibus, quæ sancti regis studio fuerant constituta, impietati liberas habenas infeliciter laxavere: ex quo quantum incendium, paucorum cruore facile restinguendum, excitatum sit, tam diu hæreticorum ferro laniata Francia testatur, alterumque supparem religione S. Ludovico, qui sacra fidei tribunalia in Galliis restituat, piorum vota exspectant.* Quibus verbis, ut hoc obiter moneam, docemur, non tantum quid spectent Papæ Romani, omnesque illis devoti, nimirum, Inquisitionis tribunal ubicunque collapsum est reducere: sed & quinam ac quales ipsorum sint Sancti, qui tam præclaris encomiis in scriptis ipsorum celebrantur: non homines vitæ sanctitate conspicui, moribusque ad doctrinæ Christianæ norma m expressis ornati; sed qui Papalis potestatis fuere propugnatores acerrimi, qui Ecclesiæ jura in immensum auxerunt, & ecclesiasticos amplis possessionibus & divitiis locupletarunt. Id lepidè ostendit Philippus Cominæus, Comment. de bello Neapolitano lib. I. *Joannes Galeacius, ejus nominis primus Mediolani dux, crudeliter & superbè imperaverat, sed largitionibus plurimum poterat. Vidi sepulchrum ejus in Carthusianorum templo Papiæ, cumque ex iis quidam inter spectandum mihi virtutem ejus prædicaret, ac sancti-*

Raynaldus a. 1255. § 33, 34. Bzovius a. 1255. § 8. n. 15.

moniam tribueret: Cur, inquam ego, sanctum appellas? Vides ibi multorum populorum insignia depicta, quos ille sibi nullo jure subegit: Tum iste: Nos, inquit, consuetudine quadam sanctos vocamus eos, qui nobis benefecerint. Inde jam facilè colligas, quinam ipsis sint homines scelerati ac impii: Non quorum mores præceptis Jesu Christi adversantur, sed qui immensam Papæ potestatem & Ecclesiasticorum intolerandum dominatum oppugnant, qui justæ hominum libertatis vindices sunt, nec illiberalia Papæ mancipia esse cupiunt. Hos ut sceleratos nobis depingunt, & quævis crimina ac horrenda facinora de illis narrant. Unde quantum fidei illorum historiis, quæ solummodò à Monachis, juratis Papæ mancipiis scriptæ sunt, tribuendum sit, per se patet. Verum ad rem.

Inquisitionem in Gallias semel introductam Papa sollicitè conservare studuit,
Raynaldus a. 1281. § 18. illiusque tribunalis jurisdictionem omnibus modis fovere & ampliare. Qui hæreseos notâ infamati ad Inquisitionis tribunal perduci metuebant, confugiebant ad Ecclesias, ut immunitate Ecclesiasticâ fruerentur, neque exinde vi ad Inquisitionis tribunal abripi possent. Papa videns hac ratione multos Inquisitionis judicium evasuros, decrevit, privilegium hoc illis non esse concedendum.
a. 1288. § 23, 28. Porrò, ne fidei Romano-Catholicæ cultus in nonnullis Galliarum provinciis, in quibus multi vivebant Waldenses, obsolesceret, illorum Magistratibus præfectisque constitutas à Friderico Imperatore leges in hæreticos transmisit, ut in notatos eâ infamiâ animadverterent. Circa hæc tempora etiam in Castellæ & Legionis regna Inquisitionis Officium fuisse introductum, licet vix uspiam Inquisitionis Castellanæ in temporum illorum actis mentio fiat, probat Ludov. à Paramo ex literis Clementis Papæ IV. datis Viterbii calend. Febr. anni CIↃCCLXVII. quibus Provinciali Ordinis Prædicatorum in Hispaniâ (quâ provinciâ tunc temporis Castella, Bætica, Lusitania atque Navarra continebantur) potestas facta est, duos ex Ordine Prædicto nominandi Fratres, qui adversus hæreticam inquirerent pravitatem: Quæ literæ Barcinone in archivo S. Catharinæ martyris asservantur. Alia insuper ibi custoditur Bulla Clementis Papæ VI. expedita quarto Idus Aprilis, anno CIↃCCCL. ad Patrem Nicolaum Rossellis Aragoniæ Provincialem directa, quâ constituit, Inquisitores, quos in suâ Provinciâ creasset, illis, qui à Provinciali Castellæ eligebantur, nullatenus esse subjectos. Ex quo colligit Paramus, & rectè quidem, inter Castellæ & Aragoniæ Inquisitores subortam fuisse de jurisdictione controversiam, eamque Pontificis autoritate sopitam.

Wadding. a. 1285. § 9. Hoc circiter tempore plurimi hæretici fugientes ex partibus Italiæ, ut manus Inquisitorum ibidem deputatorum evaderent, tansfretabant in insulam Sar-
Raynaldus a. 1285. § 75. diniam: Quarè ne ibidem immunes essent à supplicio, & ne Sardos inficerent, anno CIↃCCLXXXV. Inquisitoribus Tusciæ Minoritis commisit Honorius Papa, ut
Wadding. a. 1288. § 14. in illâ insulâ Inquisitionis munus exercerent. Similiter anno CIↃCCLXXXVIII. jussit Papa ut minister Provinciæ in comitatu Venaysino, in Delphinatu, & vicinis locis, autoritate Apostolicâ ex suis Fratribus unum prudentem & doctum instituat Inquisitorem, qui secundum leges olim à Clemente IV. præscriptas officium hoc exerceat. Utque sine ullo impedimento id administrare possit,
a. 1290. § 6. biennio post, anno videlicet CIↃCCXC. Rectori Venaysino datis literis, mandat, ut ministrentur Inquisitoribus expensæ. *Ad requisitionem eorum, vel alterius ipsorum, moderatas expensas factas & faciendas per eos, ipsius Inquisitionis officio opportunas semoto cujuslibet dilationis obstaculo, usque ad beneplacitum sedis Apostolicæ exhibere, ac bona singula mobilia, & immobilia, quæ per eorumdem Inquisitorum sententias fuerant confiscata, proventibus ejusdem comitatus ad opus curiæ applicare procuret:* Additque: *Intendimus enim quod ex eisdem bonis expensæ hujusmodi deducantur, & scias, quod nostris affectibus ingratum accideret, si propter expensas dictum officium detrimenta sentiret.*

a. 1290. § 2. Eodem anno CIↃCCXC. Inquisitionis officium in Syriâ & Palæstinâ institutum est, grassantibus illic hæreticis & Judæis, quibus bellorum tumultus impunitatem promittere videbantur. Amplo dato diplomate ad Nicolaum Patriarcham

cham Hieroſolymitanum, Apoſtolicæ ſedis Legatum, juſſit Papa ut in terris ſuæ legationis Inquiſitores hæreticæ pravitatis de conſilio Provincialium Prædicatorum earundem partium, vel eorum vices gerentium, deputaret. Duravit aliquot annis in hac regione Inquiſitionis officium, & ſtrenuos habuit Minoritas operarios.

Anno CIↃCCXCI. Inquiſitio introducta fuit in Serviâ, & Pontifex literas de- Wadding.
dit ad Stephanum Serviæ regem. Hoc eodem anno in Italiâ inter Inquiſitores a. 1291.
ex Ordine Minoritarum, & alios ex ordine Prædicatorum, non levis conten- § 11.
tio fuit. Frater namque Paganus Ordinis Prædicatorum, tunc in partibus Lom- § 14.
bardiæ Inquiſitor, & Frater Vivianus ejuſdem Ordinis, & Inquiſitoris Vicarius, acriter ſe oppoſuerunt Inquiſitori in Marchiâ Treviſanâ; & eo uſque proceſſum eſt, ut multæ turbæ excitarentur in urbe Veronenſi, opuſque habuerit Pontifex contradictores hos ad ſuum convocare conſpectum. Auditis quæ allegare poterant pro ſuâ defenſione, valdè exceſſiſſe judicavit: quare ab Inquiſitionis officio eos in perpetuum abſoluit, aliaſque addidit pœnas, quas Epiſcopo, Poteſtati, & civibus ſcripſit Veronenſibus.

Anno ſequente CIↃCCXCII. inſtituitur in civitatibus Viennenſi & Albonenſi In- a. 1292.
quiſitio, eodem plane modo, uti in Arelatenſi, Aquenſi & Ebrodunenſi inſti- § 3.
tuta fuit. Hoc eodem anno Jacobus Arragoniæ rex Inquiſitionem in omnibus Bzovius
ſuis regnis multum promovit. Lege enim latâ 10. Cal. Maji omnibus Officia- a. 1292.
libus omnium regnorum ſuorum, tam inſtitutis, quam in poſterum inſtituen- § 5.
„dis, mandat, quod ad notificationem ſeu denuntiationem Fratrum Ord. Præ-
„dic. qui nunc ſunt, vel erunt in poſterum hæreticæ pravitatis Inquiſitores, fa-
„ciant, compleant, & executioni mandent, ſive in capiendo homines, & in-
„carcerando eoſdem, ſive in aliis quæ ad ipſius Inquiſitionis negotium pertine-
„re videbuntur, quicquid per ſe, vel alios nuntios ſuos ex parte Papæ & ipſius
„regis ipſis mandaverint exſequendum. Et vult ut hoc faciant, quotieſcunque
„& ubicunque ab eis, vel ab altero eorum fuerint requiſiti.

Et ne ullus hæreticis refugii locus eſſet, paſſim in diverſis regionibus Inquiſitionis tribunalia erecta fuerunt, in Germaniâ, Auſtriâ, Hungariâ, Poloniâ, Dalmatiâ, Boſniâ, Raguſiâ, Croatiâ, Iſtriâ, Walachiâ, in Germaniâ inferiore, aliiſque locis; ad quæ imperium Papa extendere potuit. Sæva imprimis fuit Inquiſitio Auſtriaca, refert enim Paramus, lib. 2. tit. 3. cap. 4. n. 17. ex Trithemio in civitate Cremenſi multa hæreticorum millia ab Inquiſitoribus fuiſſe comprehenſa & concremata.

CAPUT XVII.

De Inquiſitione Venetâ.

VEnetiis verò Inquiſitionis ratio alia fuit. Cum per acres inter Papam & Imperatorem Fridericum contentiones magna Chriſtiani orbis pars in armis eſſet, tota Lombardia diſſenſionibus diſtraheretur, & Marca Treviſana & Romaniola in ſequaces Papæ & Imperatoris diviſa eſſet, varia inter eos à Romanâ fide diſcrepantia dogmata exorta fuere; & quoniam multi Venetias confugerunt ut ſecurè ac quietè illic viverent, Magiſtratus Venetus, ne civitas alienis doctrinis, perinde uti multæ Italiæ regiones, pollueretur, aliquos viros honeſtos, diſcretos, & Catholicæ fidei zelatores elegit, qui hæreticos obſervarent & inquirerent: porrò Patriarchæ Gradenſi, aliiſque Epiſcopis Venetis poteſtas data de eorum opinionibus judicandi, decretumque, ut quicunque ab aliquo Epiſcoporum hæreticus eſſet pronuntiatus, à Duce & Senatoribus, vel ſaltem maximâ eorum parte, ad ignis ſupplicium condemnaretur. Ne verò per unius Epiſcopi mortem negotium hoc ſiſteretur, poſteà decretum fuit,

ut etiam ad rogum damnarentur, quicunque ab Episcoporum Vicariis Episcopo vitâ functo, hæretici essent pronuntiati. In hoc processu judices sæculares à Republicâ constituti inquirebant in hæreticos : de illorum fide judicabat Episcopus, an consentanea esset fidei Romanæ, an verò hæretica : tandem Dux & Senatores sententiam pronuntiabant, non ut executores sententiæ episcopi, sed ut judices propriè dicti. Sed Nicolaus IV. ex ordine Minorum, ad Pontificatum evectus, ut propositum suorum antecessorum exequeretur, fratresque Ordinis sui exaltaret, urgere non destitit, donec officium Inquisitionis publico decreto etiam Venetiis admissum sit; hac tamen limitatione, ne scandalum præberet, & ut dux solus potestatem haberet Inquisitoribus in executione muneris sui auxilium præstandi, utque fiscus constitueretur, eique administrator præficeretur, qui sumtus ad officium istud requisitos expenderet, omniaque emolumenta ex eo ad fiscum redundantia acciperet, & asservaret. Factum id est anno CIↃCCLXXXIX. Viso hoc decreto Papa acquievit, atque ita officium Inquisitionis ex sæcularibus & ecclesiasticis personis Venetiis erectum est, & ita etiam hodie exercetur, ut nimirum tres Inquisitores nomine principis officio ipsi assistant. Conati quidem fuere ecclesiastici totam officii illius administrationem reddere juris ecclesiastici; nunquam tamen eò permoveri potuit Senatus Venetus. Anno CIↃCCCI. Frater Antonius Inquisitor voluit ut Dux Petrus Gradenigius juramento se obstringeret ad observationem Pontificalium & Imperatoriarum legum contra hæreticos : Verum Dux publico rescripto respondit, se neutiquam ad novum juramentum præstandum obligatum; quoniam cum ad eximium illud Ducis munus eligererur juramento confirmaverat Concordata cum Nicolao IV. seque nullo modo ullis Pontificalibus aut Imperialibus legibus, huic Concordato non consentientibus, adistrictum contendit. Hoc responso accepto Inquisitor inceptum suum urgere destitit.

Ex hisce liquet, aliam longè Inquisitionis, prout Venetiis exercetur, esse rationem, quam aliis in regionibus, ubi ea penes solos est Ecclesiasticos, Papæ Romano unicè obnoxios. Nam cum aliis in regionibus illius criminis cognitio tota sit penes Ecclesiasticos, ac proinde, quicunque in judicio isto adhibentur, sive tanquam assistentes seu consultores, sive tanquam Notarii, sive tanquam testes, Inquisitoribus juramentum præstent silentii; & Magistratus cæci sint sententiæ Inquisitorum executores; Senatus Venetus prudenti adhibitâ distinctione tria in hoc negotio separatim consideranda agnovit : judicium de doctrinâ propter quam quis hæreticus sit pronuntiandus : judicium de facto; quis nempe doctrinam istam foveat ac profiteatur : ac tandem pronuntiationem sententiæ. Primum agnoscit esse fori merè ecclesiastici : duo posteriora contendit esse fori sæcularis, semperque antehac durante imperio Romano a sæcularibus esse administrata : & licet per indulgentiam principum duo hæc posteriora etiam Ecclesiasticis sint concessa; Senatus tamen Venetus nunquam eam autoritatem abdicavit, sed semper deputatos suos, in aliis vero urbibus ditioni suæ subjectis magistratum omnibus Inquisitorum actionibus interesse voluit; & tantâ quidem cum cautione, ut si quis aliquod in curiâ Romanâ commercium habeat, processuum formationi assistere nequeat. Munus autem horum Assistentium est, solummodo ut præsentes adsint, & si qua dubia occurrant, renuncient principi : ideoque nullum silentii promissum Inquisitoribus præstant; sed obligati sunt principi continuò renuntiare, quid in Inquisitione geratur. Quin & licet clericus, etiam ejusdem cum Inquisitore ordinis, reus ageretur coram Inquisitione, magistratus sæcularis adesse debet; nec permittere, ut post denuntiationem factam Inquisitor procedat, nisi ipso præsente; & licet Inquisitor totum processum illi communicare velit, nihilominus interesse debet : quod si Ecclesiastici processum formaverint absente magistratu sæculari, jubebit ille, eum coram se resumi; etiamsi processus extra ditionem Venetam sit missus. Præsertim autem cavit Senatus Venetus, ne processus aut captivi extra suum Dominium mittantur, nisi monito

nito & consentiente principe. Hocque esse institutum in Inquisitione Venetâ observandum luculento exemplo probat Paulus Servita in historiâ Inquisitionis Venetæ, cap. XVI. Anno CIↃIↃXCVI. Patavii in carcerem fuit conjectus Ludovicus Petruccius Senensis: cùm autem ab Inquisitore Romano, juxta morem in Inquisitione receptum, acta & probata quæ contra illum haberet, Patavium mitti deberent, ipse captivum ad se mitti postulavit, idque urgere non destitit Romæ apud Legatum Venetum, & Nuntius Papæ Venetiis: Verum Senatus Venetus respondit, conveniens non esse, laudabile Dominii institutum, quo captivi jubentur judicio sisti illis in locis ubi carceri mancipati sunt, mutari; sed æquum esse, & consuetudini receptæ consentaneum, ut ad Inquisitorem Patavinum omnia, quorum captivus insimulatur, transmittantur, ut ita debitas delicti sui pœnas luat: Idque adeò evidentis ac manifesti juris credebat, ut nemo quicquam opponere posset. Ab utraque parte integro quinquennio variis scriptis certatum est, Petruccio interim in carcere detento. Tandem Romani, videntes se captivo non posse potiri, anno CIↃ IↃCI. scripserunt Inquisitori Patavino, ut captivum Petruccium dimitteret. Quo facto suspicio non levis hominibus creata est, quale hoc esset crimen quod impunitum dimitti mallent, quam Inquisitori Patavino indicare.

Præsertim verò cavit Senatus Venetus, ne facultas prohibendi libros sit penes Inquisitores: quoniam eâ potestate Inquisitores in Reipublicæ perniciem facilè abutuntur: quia sæpe vetant, aut adulterant libros bonos, & Reipublicæ maximè utiles: aliquando libros vetant ad ipsorum forum minimè spectantes: ac tandem, quoniam sibi solis censuram in libros arrogant, impediunt, quo minus Magistratus sæcularis libros regimini suo maximè noxios prohibere ac proscribere possit.

Ex quibus omnibus, aliisque, quæ ex Paulo Veneto hauriri possunt, & à me brevitatis studio omittuntur, facilè liquet, Inquisitionem Venetam non perinde esse obnoxiam Papæ, atque aliorum Dominiorum Inquisitiones in Italiâ; nec eam solis commissam ecclesiasticis; sed & Magistratus sæcularis præcipuas in eâ esse partes.

CAPUT XVIII.

Inquisitio contra Apostolicos, Templarios, aliosque.

CIrca annum Domini 1300. in Italiâ acriter sævitum est contra aliquos, qui vocati fuere Apostolici.

Apostolici videntur Albigensium propago. Eorum ortum ita describit Eymericus, Direct. Inquis. part. 2. quæst. XII. Temporibus Honorii IV. Bonifacii VIII. Nicolai IV. & Clementis V. circa annum Domini 1260. in partibus Lombardiæ, Episcopatu videlicet Parmensi & Novariensi, exorti sunt Geraldus Sagarelli Parmensis, & Dulcinus Novariensis. Hi congregationem quandam fecerunt, quam Apostolos vocaverunt, qui sub nullius obedientiâ vivebant, & vitam sequi Apostolorum singulariter asserebant: & habitum quendam novum religionis assumserunt. Anno 1285. V. idus Martii ab Honorio IV. per patentes literas, quarum initium est, *Olim felicis recordationis.* condemnati sunt; & posteà à Nicolao IV. anno 1290.

Tandem, cum jam fermè quadraginta annos eorum doctrina in Lombardiâ invaluisset, Gerardus Sagarelli per Episcopum Parmensem & Inquisitorem Fratrem Manfredum Ordinis Prædicatorum tempore Bonifacii VIII. fuit ut hæresiarcha publicè condemnatus, & concrematus XVIII. die mensis Julii anno Domini 1300. Dulcinus cum sex millibus suorum sequacium utriusque sexus Alpes incoluit, qui in omnem luxuriam prolabebantur (ut ait Pegna) & duorum Direct. 2 part. Comm. 37.

aut trium annorum spacio multos ad se attraxit; tantâ quidem vi, ut Clemens V. ad tantum malum sedandum Inquisitores Ordinis Prædicatorum eò destinare decreverit, qui Dulcinum & suos complices ab errore suo aut revocarent, aut diligenti & accuratâ disquisitione factâ ad eum referrent, num ita se res haberet, sicut à multis fide dignis nuntiis audierat: qui cum reversi essent, ac Pontifici summo retulissent quæ viderant & audierant; cognitis nefandis sceleribus & impuritatibus contra tantam impietatem Cruciada ab eodem summo Pontifice indicta fuit, & magnæ ac liberales Indulgentiæ promulgatæ, quas consequerentur qui se tam pio bello contra tam nefarios homines accingerent. Collectus est itaque exercitus, & illuc missus cum Apostolico Legato: cumque ad loca in quibus pseudo-Apostoli habitabant pervenisset, & repentino bello esset aggressus, eos partim inediâ & frigore, partim armis oppressit exercitus Catholicus Crucesignatorum; captusque fuit Dulcinus, & post annos octo à supplicio Geraldi tanquam hæresiarcha, & Margareta tanquam hæretica, ejus consors in scelere & errore, fuerunt publicè membratim dilaniati & postmodum concremati. Dogmata quæ illis attribuit Eymericus magnam partem conveniunt cum iis quæ in sententiâ Petri Lucensis Hispani ipsis attribuuntur in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ fol. 183. excepto fœdo dogmate de promiscuâ Venere, de quo ne minima quidem in sententiâ Petri Lucensis mentio. Unde evidenter colligimus, illud de Apostolicis, perinde atque de Valdensibus, meram esse calumniam.

Interim in regno Galliæ, & ditione præsertim Tholosanâ, Inquisitio contra Albigenses & Valdenses non minus sæviit: pœnitentes vel ad gestandas cruces, vel ad perpetuum muri carcerem fuere condemnati: impœnitentibus ignis supplicium sine ullâ miseratione fuit irrogatum. Quod ex libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ luculentissimè liquet.

Eodem tempore Ordo Templariorum jussu Papæ Clementis V. exstinctus fuit. Philippus Pulcher Galliæ rex Ordinem hunc variarum hæresium & scelerum accusavit apud Clementem V. Cum durum videretur, Ordinem adeo celebrem ac prædivitem, quique tot præclara pro fidei defensione gesta edidisse credebatur, penitus delere, causa eorum in variis Conciliis Nationalibus ventilata fuit. Tandem Clemens Concilium universale convocat Viennam, ubi causâ eorum examinatâ variarum hæresium & nefandorum criminum fuerunt condemnati; quæ sive vera fuerint, sive ob immensas divitias invidiam sibi apud populum conflaverint, rexque Philippus opibus ipsorum inhiaverit, nemo facilè deciderit.

Bzovius a. 1311. 68. Postquam in Concilio Viennensi Templarii condemnati fuere, uno tempore quasi inde signo dato Templarii omnes comprehensi in Galliâ, ante annum tertium Octobris die decimo tertio de iis quæstiones tormentis habitæ. Plerique, aut omnes, dulcedine vitæ, aut ex scelerum conscientiâ, crimina de quibus accusabantur confessi sunt. Damnati quam plurimi, ac vivi igne cremati. In his summus Ordinis Magister Joannes Mola Burgundus, cum ad supplicium raperetur sententiâ pronuntiatâ, propositâ quamvis vitæ spe impunitateque si veniam supplex palam peteret, verbis admodum patheticis suam, Ordinisque totius innocentiam prædicavit: omniaque quæ contra Ordinem illum anteà confessus fuerat revocavit, illiusque falsæ confessionis veniam oravit.
69. Proximo deinde anno literæ à Pontifice datæ, quibus inquirendi in Castellæ Templarios Compostellæ & Toletano Archiepiscopis potestatem permisit, adjuncto Eymerico Inquisitore ex Prædicatorio Ordine, aliisque Præsulibus. In Aragoniâ idem negotium Episcopis Raymundo Valentino & Someno Cæsaraugustano datum est. Idem in reliquis provinciis toto Christiano orbe factum, eo temperamento, ut Inquisitione habitâ de summâ rerum in Conciliis tantum Provincialibus cognosceretur. Multi eorum in Aragoniâ & Castellâ fuerunt vincti & in carcerem conjecti: Salmanticæ Patrum Concilium habitum est; ubi de vinctis & supplicibus

bus quæstione habitâ, causâque cognitâ, pro eorum innocentiâ pronuntiatum communi Patrum suffragio. Ad Pontificem tamen Romanum, & ad Concilium Viennæ indictum, rejecta totius rei deliberatio summa. Itaque tum ex Hispaniis, tum ex Italiâ, Galliâ, Angliâ, Germaniâ, aliisque regnis ac Provinciis, ab Episcopis & fidei Quæsitoribus informationes in scripta publica redactæ, in primo Patrum consessu Viennensis Concilii propositæ, cognitionem causæ Templariorum ex integro postularunt. Tandem itaque Templariorum Ordinem exstinguendum esse Patres decreverunt, ex quorum Consilio Clemens Pontifex edictum sexto Non. Maji anno 1312. promulgavit, quo Ordinem Templariorum exstinguit ac tollit, non per modum definitivæ sententiæ, sed per viam provisionis seu ordinationis Apostolicæ; & universa illius bona Apostolicæ sedis ordinationi & dispositioni reservat. Delato hoc ad omnes provincias edicto, bona Templariorum ubique occupabantur, & de Templariis supplicium sumebatur. a. 1312. § 2, 3.

In eodem Concilio Inquisitoribus hæreticæ pravitatis & Episcopis plurima autoritas concessa est in hæreticos animadvertendi. Waltherus quidam Lolhardus in civitate Cremensi ducatus Austriæ plures habuit sequaces quos à Dulcino originem traxisse quidam ajunt; qui non tantum in illâ civitate, sed & aliis in locis, jubente Clemente Pontifice, ab Inquisitoribus combusti sunt. Magnus eorum fuit numerus in Boëmiâ, Austriâ, & terris vicinis: ad octuaginta millia hominum excrevisse à quibusdam dicitur. Multi ex eis in Austriâ diversis in locis fuere combusti, qui omnes unanimiter in suâ sententiâ usque ad mortem magnâ cum hilaritate perseverarunt. Ad delendas itaque tam veteres hæreses, quam novas, quæ forte emergere possent, exstinguendas, Inquisitoribus & Episcopis ampla à Concilio Viennensi tributa est potestas, ut in notatos eâ labe animadverterent, & carceres ad eos tenendos in vinculis construi jussum est. Raynaldus a. 1312. § 21. Bzovius a. 1307. § 9. a. 1315. § 11.

In Bohemiâ munus Inquisitionis injunctum Peregrino Oppoliensi, & Nicolao Hippodines Prædicatoribus, Coldæ & Hermanno Minoritis, ipsisque imperatum est, ut adversus sontes pium ardorem explicarent. Papa Joannem regem Bohemiæ, Vladislaum Cracoviensem, Boleslaum Joktekum Wratislaviensem Duces, & Marchionem Misniæ adhortatus est, ne religionem novis erroribus obsolescere & obscurari paterentur, ac sacræ fidei censoribus operâ non deëssent. Exusti in Bohemiâ quatuordecim viri & mulieres. Walterus princeps sectæ Lollardorum Coloniæ anno 1322. exustus est. Raynaldus a. 1319. § 43. Bzovius a. 1317. § 37.

Per id temporis Joannes Pontifex datâ epistolâ num. CXC. Clementis IV. & aliorum prædecessorum Constitutiones contra Judæos innovavit, & Inquisitoribus potestatem in eosdem concessam legibus acrioribus armavit; præcepitque ut & libros Thalmud conquisitos exurerent, & execrandarum blasphemiarum convictos castigarent. Bzovius a. 1319. § 9.

Neque minorem severitatem in Valdenses, per id temporis in Galliis repullulantes, exercuit. Namque plures eorum ab Inquisitoribus, ex Ordine Prædicatorum assumtis, errorum convictos ex lege Ecclesiasticâ castigandos Principibus tradi voluit. Exstat in bibliothecâ Vaticanâ volumen non parvum, actionum à Fratribus Prædicatoribus in regno Galliarum adversus hæreticos, isto anno Domini CIƆCCCXIX. transactarum. § 10.

CAPUT XIX.

Inquisitio contra Beguinos.

IDem Joannes XXII. Beguinos condemnavit hæreseos, Inquisitoribusque hæreticæ pravitatis mandata dedit contra eos procedendi, & in errore suo pertinaces curiæ sæculari ultimo supplicio afficiendos tradendi.

Beguini fuerunt Monachi ordinis beati Francisci : dicuntur passim , *de tertiâ regulâ Divi Francisci.* Regula Francisci fuit, ut fratres Ordinis sui nihil haberent proprium , nec domum , nec locum, nec aliquam rem, sed mendicando viverent : hancque dixit esse paupertatem euangelicam. Regula hæc à variis Papis sancita est & approbata. Cum multi regulam hanc supra vires humanas positam crederent, varia circa eam dubia exorta sunt, contendentibus quibusdam, abdicandam quidem omnium rerum proprietatem in particulari, non verò in communi, neque repugnare paupertati Franciscanæ , in commune possessionem rerum habere, dummodò nihil possideant in particulari. Verum hanc opinionem Nicolaus III. condemnavit, Constitutione , quæ incipit, *Exiit qui seminat* , quæ legitur *Sexto Decret. de verb. sign. cap.* 3. Licet autem omnis proprietas Fratribus ademta sit, tam in communi, quam speciali, non tamen usu rerum spoliati sunt; edidit quippe Martinus IV. Bullam x. Cal. Febr. anno 1282. quâ constituit, ut proprietas, jus & dominium omnium quæ Fratribus per donationem aut legata relinquuntur, ad Ecclesiam Romanam spectet ; usus autem eorum penes fratres sit : concessit etiam ministris & custodibus Ordinis facultatem nominandi administratores, œconomos, syndicos, qui eleëmosynas & legata nomine Ecclesiæ Romanæ in Fratrum utilitatem recipiant, exigant, & pro iis adipiscendis vel servandis in judicio contendant. Idem confirmavit Clemens V. in Concilio Viennensi, Constitutione quæ incipit, *Exivi de paradizo*, quæ inter Clementinas legitur : Concedit tamen Clemens, ut, quando multum fuerit credibile, etiam expertis, quod non possint vitæ necessaria aliter invenire , granaria habeant vel cellaria, in quibus congregationes & conservationes faciant, rerum scilicet mendicando collectarum : judicium autem de tali necessitate Ministris & custodibus relinquit, eorumque super hoc specialiter conscientias onerat.

Hic dissensum suum testati sunt , qui vocati fuere Beguini , seque de tertiâ regulâ S. Francisci dixerunt : Hi contenderunt nullo casu granaria aut cellaria posse haberi à Franciscanis ; paupertatis Franciscanæ perfectionem hac ratione labefactari : Papam non habere autoritatem circa regulam Francisci dispensandi ; id si faciat, illius decreta nullius esse autoritatis, & tutò posse contemni. Circa hæc tempora inter illos exstitit *Petrus Joannis Olivus*, qui Postillam scripsit in Apocalypsin, quâ quæ de bestiâ, & meretrice Babylonicâ dicuntur, applicat Papæ & Romanæ Ecclesiæ , cujus crebra in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ mentio est.

Clementi successit Joannes XXII. qui aliquot Constitutionibus Beguinorum institutum damnavit, concessitque Franciscanis, ut ex judicio Præpositorum Ordinis possint granum, panem & vinum, in granariis & cellariis reponere & conservare. Beguini crediderunt, hujusmodi concessione sublimitati & perfectioni regulæ & paupertatis derogari : itaque acriter illi sese opposuerunt, & ut regulam suam tuerentur, Papæ autoritatem impugnare ausi sunt. Exinde judicati sunt hæretici , mandatumque Inquisitoribus hæreticæ pravitatis , ut eos coram suo tribunali evocent, & in eos tanquam hæreticos animadvertant. Fuit hoc decretum atrox, cujus initium, *Gloriosam Ecclesiam*, quo Papa Inquisitoribus hæc in specie mandata dedit. *Omnes & singulos per eos ad suam sectam receptos , maximeque professos, ad vestram præsentiam per censuram ecclesiasticam evocate, examinate de fide, de prædictorum erroribus per vos vel alium seu alios cautè diligenterque perquirite sine strepitu & figurâ judicii, & de ipsorum complicibus atque fautoribus indagate, & , si opus fuerit, ipsos capi & detineri curate , invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Contradictores & rebelles per censuram ecclesiasticam compellendo. Testes autem quos ad præmissa videritis evocandos, censurâ simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Volumus insuper & autoritate Apostolicâ decernimus , quod quilibet vestrum prosequi valeat negotium seu articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico impeditus : quodque à datâ præsentium sit vobis & unicuique vestrum in præmissis omnibus & eorum singulis , etiam non captis , præsentibus & futuris,* perpe-

perpetua potestas & iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in præmissis, etiam non cœptis præsentibus & futuris contra prædictos procedere, ac si jurisdictio vestra & cujuslibet vestrum in prædictis omnibus & singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum exstitisset. Non obstantibus de duabus diætis edita in Concilio Generali, & fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, per quas tam judices quam conservatores à sede deputati prædictâ, extra civitates & diœceses in quibus deputati fuerint, procedere & vices suas committere, aut aliquos ultra unam dietam à finibus suæ diœcesis trahere prohibentur, & aliis contrariis Constitutionibus quibuscunque, &c. Datum fuit hoc decretum Avinione x. Cal. Febr. CIƆCCCXVIII. Mox (ut refert Eymericus Direct. Inquisit. part. 2. quæst. xv.) quatuor fratres Minores, circa annum Domini CIƆCCCXVIII. apud Massiliam, per Inquisitorem hæreticæ pravitatis, qui etiam erat de ordine Fratrum Minorum, fuerunt velut hæretici condemnati & cremati, ex hoc, ut ipsi dicunt, quod volebant servare & tenere puritatem & veritatem & paupertatem regulæ S. Francisci; & quia nolebant assentire in laxationem regulæ, nec recipere dispensationem Domini Papæ Joannis XXII. factam super illam, nec sibi nec aliis super hoc obedire. Quatuor hosce alii ejusdem Ordinis injustè condemnatos asseruerunt, & martyres gloriosos dixerunt: Papam, si in eorum condemnationem consenserit, hæreticum esse & potestatem amisisse. Ergo tribus annis proximis, videlicet ab anno Domini CIƆCCCXVIII. vel circa, fuerunt per judicium Prælatorum & Inquisitorum hæreticæ pravitatis velut hæretici condemnati in provinciâ Narbonæ, & in Capite-stagni, & Biterris, & apud Lodonam, & in diœcesi Agathensi, & apud Lunellum, & Magolonensem diœcesin, qui credebant prædictos quatuor fratres Minores esse sanctos martyres, & credebant, & tenebant, & sentiebant sicut ipsi de paupertate euangelicâ, & de potestate Papæ; videlicet, quod eam perdidit, & quod sit factus hæreticus. Quin & multi recollegerunt occultè ossa combusta, & cineres prædictorum combustorum, qui fuerunt velut hæretici condemnati, ad conservandum sibi pro reliquiis, & tanquam reliquias sanctorum osculabantur ac venerabantur: imò aliqui notarunt nomina eorum, & dies, quibus passi fuerant, in calendariis. Hæc quæ hactenus ex Eymerico descripsimus, satis conveniunt cum illis, quæ in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ de Beguinis leguntur. Inter alia fol. CLV. in sententiâ Petri Moresii de Bello podio legitur, quod *credidit, Papam Johannem XXII. qui tunc erat, quem vocat aprum de sylvâ, destruxisse clausuram Ecclesiæ, & quod plus fecit de malo Ecclesiæ Dei, quam fecerunt omnes hæretici priores.* Fol. vero CLVI. Bernardo de na Jacina attribuitur, quod *ipse dixit bis vel ter, cum loqueretur, si Papa posset dispensare in votis regulæ S. Francisci: Creditis vos, quod si Papa ligaret unam caudam asini in terrâ, quod illa cauda asini esset ligata in cælo?*

Ita ex controversiâ, quæ in initio vix ullius fuit momenti, incalescentibus animis tandem summa enata tragœdia est: & postquam Papæ autoritas in dubium vocari cœpta est atrox in Beguinos persecutio excitata fuit. In volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ aliquot leguntur contra Beguinos sententiæ, quibus pronuntiantur hæretici, & ut tales traduntur curiæ sæculari.

Cum autem sic non cessaret contentio hæc, & Narbonæ in Concilio Theologorum plurium & Juris-peritorum ab Episcopo & Inquisitore convocatorum Fr. Berengarius causam Beguinorum defenderet, Inquisitor Fr. Joannes Bemmius Ord. Prædic. articulum inter hæreticos rejecit, & Fratri Berengario palinodiam indixit. Hic verò recusavit, & ad sedem Apostolicam appellatione interpositâ, Avinionem ivit, ac Papæ summam rei exponit. Hic Fr. Berengarium honestâ in custodiâ retinuit, deinde omnibus Academiis ac doctissimis viris ubique terrarum ad disceptandum proposuit, Num pertinaciter affirmare, Dominum Jesum Christum ejusque Apostolos non habuisse aliqua in speciali, nec etiam in communi, foret hæreticum censendum. Propositâ quæstione, ut tantò liberius sensum suum omnes exponerent, anathema à Nicolao IV. in decretali, *Exiit,* in

Bzovius a. 1322. § 1.

in interpretes illius ac Divi Francisci regulæ promulgatum suspendit, liberamque omnibus potestatem fecit, de thesi disputandi, scribendi, mentemque suam explicandi.

Convenere Perusium ex omnibus orbis Christiani Provinciis circa proximos dies Pentecostes Fratres Minores. Aderat Fr. Michael Cæsenas Ordinis Generalis, aliique Provinciales Ministri. A Cardinalibus quibusdam moniti, ut de totâ re, unà cum Patribus suum sensum exponerent, rescripserunt inter alia: *Determinationi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ firmiter & totaliter inhærentes concorditer & unanimiter dicimus & fatemur, quod dicere & asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens, & Apostoli eandem perfectionis viam sequentes, atque per exemplum in alios volentes perfectè vivere derivantes, nihil jure proprietatis & dominii, seu juris proprii, in speciali & in communi habuerunt, non est hæreticum, sed sanum, Catholicum, & fidele; maximè cum sancta Romana Ecclesia Catholica, quæ à tramite Apostolicæ traditionis nunquam deviasse aut errasse probatur, XXIV. q. 1. à rectâ, &c. pudenda in fi. hoc expresse dicat, affirmet & determinet manifeste, Extra. de verb. signif. Exiit. l. 6.*

Viso hoc Capituli rescripto, quo Beguinorum sententia approbata fuit, Papa edictum de usu rerum à dominio distincto promulgavit, cujus initium est, *Ad conditorem canonum.* Cum autem Fr. Bonagratia Bergomensis Ordinis Procurator à Capitulo institutus contra Papam protestationem & appellationem ad futurum summum Pontificem, vel ad Concilium Oecumenicum, interposuisset, quæ procax judicata fuit, Papa decreto, cujus initium, *Cum inter nonnullos viros Scholasticos*, assertionem quâ statuitur, Redemptori nostro ejusque Apostolis in his quæ ipsos habuisse sacra Scriptura testatur, nequaquam jus ipsis utendi seu consumendi competiisse, nec illa vendendi seu donandi jus habuisse, aut ex ipsis alia acquirendi, hæreticam declaravit.

Bzovius a. 1329. § 5. &c. Cum sententiæ per Papam latæ non acquiesceret Michael Cæsenas, quin imò Constitutiones Papales impugnaret, assistentibus ipsi Frr. Bonagratia Bergomensi, Petro Corbario & Guilielmo Ockam Anglo, anno 1329. 12. Calend. Maji, declaratus est à Papâ fautor hæreticorum, manifestus hæreticus & hæresiarcha, & schismaticus, ac privatus officiis, dignitatibus & honoribus quibuscunque, depositus ab omni gradu, & privilegio nudatus ecclesiastico, & ad omnia inhabilis, & omnibus pœnis & sententiis, spiritualibus & temporalibus, quibus divino & ecclesiastico jure hæreticorum fautores & hæretici, & hæresiarchæ, & schismatici existunt obnoxii, punitus. Fratres Minores Parisiis in Capitulo Generali congregati postquam Michaëlem Cæsenatem gradu & officio motum pronunciassent, & Gerardum Odonis in ejus locum surrogassent, sententiam hanc Papæ promulgarunt, ipsumque & socios ejus declararunt excommunicationis privationisque pœnas, tanquam notorios & manifestos apostatas, incurrisse, quæ per generalia Ordinis statuta Fratribus, ab obedientiâ ipsius Ordinis se subtrahentibus & apostatantibus, noscuntur esse inflictæ. Hac Ordinis sententiâ ad Papam missâ iteratò Papa Michaëlem Cæsenatem, variorum criminum ac hæresium reum pronuntiavit, ac condemnavit, 16. Cal. Decemb. anni ejusdem. Petrus Corbarius dirâ hac sententiâ territus errores confessus est, & lectâ prius confessione ipsius & abjuratione errorum, & præstito juramento de stando & parendo mandatis Apostolicis, beneficium absolutionis obtinuit ab omnibus sententiis juris & hominis.

a. 1330. § 6. Michaël Cæsenas hisce denuntiationibus minimè territus, se nihilominus Ordinis sui Generalem & Catholicum asseveravit, & sub imperio Ludovici Bavari, cum sequacibus suis, à violentiâ papali tutus vixit. Quare in illos Papa denuo diras suas evomuit, ipsosque per edictum peremtorium publicum citavit, ut intra festum Adscensionis Domini coram ipso compareant personaliter, sententiam
a. 1331. § 1. &c. audituri. Cum se editis apologiis contra accusationes ac processum Papæ defenderent, Fr. Gerardus Odonis, Ordinis Frr. Minorum Generalis, eos tanquam hæreticorum fautores, hæreticos & hæresiarchas sententialiter condemnavit; &

non tantum eos privavit Ordinis privilegiis, gratiis & beneficiis, habitu, consortio, & favore, sed & ad perpetuum carcerem condemnavit: Universis etiam & singulis custodibus & Guardianis conventuum in virtute obedientiæ salutaris injunxit, ut eos qualibet hebdomadâ præsentibus suis conventibus publicè denuntient privatos & excommunicatos, & sententialiter condemnatos. Tandem & Joannes Papa trigesimam octavam & ducentesimam quinquagesimam nonam sanctiones contra eos promulgavit. Successor ejus Benedictus XII. anno 1335. a. 1335. Pontificatus sui primo, diras, contra Fratricellos seu Beguinos eorumque complices à Joanne XXII. prolatas, innovavit, adeoque aggravavit. § 4.

CAPUT XX.

Processus contra Matthæum Galeacium Vice-Comitem Mediolanensem, aliosque.

DUrante hac cum Beguinis contentione, excommunicationis sententia pronuntiata est in Matthæum Galeacium, Vice-Comitem Mediolanensem, ejusque filios & asseclas. Omnes itaque civitates & terræ regimini eorum subjectæ (uti narratur in sententiâ contra Castruccium Gerium) illique adhærentes, fuerunt suppositæ ecclesiastico interdicto, & contra omnes personas adhærentes, faventes, obedientes & auxiliantes eisdem, diversæ & graves fuerunt sententiæ promulgatæ; ac contra ipsos illa solennis indulgentia, quæ concedi consuevit proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ, fuit publicè prædicata; ipsaque civitas privata jure communitatis, & privilegiis seu immunitatibus quibuscunque, ejusque cives omnes & incolæ faventes dicto Matthæo damnato expositi sunt à fidelibus capiendi, ut servi capientium fiant pleno jure, eorum bona concessa sunt occupanti, ipsorumque debitores quâcunque ex causâ, quocunque ligati instrumento vel juramento, à dictis fuerunt debitis exsoluti. Amplius, omnes mittentes, conducentes, deferentes victualia, vel quæcunque alia ad humanum usum necessaria ad civitatem Mediolanensem, vel recipientes stipendia ab eisdem, sententialiter fuerunt excommunicationis vinculo innodati. Contemsit censuras Pontificias Matthæus, & ultra triennium in Excommunicatione perstitit. Ad vindicandum illum censurarum contemtum Joannes XXII. intendit illi judicium hæreseos, cum illi Ecclesiæ autoritatem sacrorumque religionem ludibrio esse diceret: mandavitque Aycardo Archiepiscopo Mediolanensi, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus in Provinciâ Lombardiæ, ut super ejusdem hæresis labe procedere cum omni diligentiâ studeant: qui post varias citationes tandem decretoriam in ipsum sententiam pronuntiarunt: in quâ præter alia crimina ipsi hoc imputatur: *De sacramentis malè sentiens, ac clavium & Ecclesiæ potestate, ipsasque contemtibiliter vilipendens, diutius sustinuit plures excommunicationum sententias latas in ipsum tam ab homine, quam à jure. Ac interdictum ecclesiasticum, cui præfata civitas Mediolanensis, ipsius Matthæi exigentibus culpis, supposita fore dignoscitur, fecit multoties violari, laicorum corpora defunctorum in ecclesiis, cœmiteriis, pulsatis campanis, ministris ipsarum invitis & renitentibus, faciens sepeliri: id idem fieri faciens in terris & locis, quæ per filios suos detinet occupata, simili suppositis interdicto*: Tandem sententiam pronuntiant in hunc modum: *Ex his & aliis multis, quæ ad hoc justè & rationabiliter nos inducunt, Christi nomine invocato, sedentes pro tribunali, definitivam sententiam proferentes præfatum Matthæum de Vice-comitibus de Mediolano contumaciter absentem, ipsius tamen absentiam divinâ replente præsentiâ, in his scriptis sententiando decernimus & judicamus hæreticum manifestum; eundemque Matthæum velut hæreticum condemnantes, ipsius bona omnia mobilia & immobilia, jura, jurisdictiones, & quæcunque alia ubicunque sint, & quibuscunque nominibus censeantur, eâdem sententiâ confiscamus, imò decernimus confiscata. Et nihilominus ipsum Matthæum cingulo militiæ, officiis, publicis dignitatibus & ho-*

ni-

Raynaldus a. 1320. § 13. a. 1322. § 5. &c. Bzovius a. 1322. a. 1324. § 14.

noribus quibuscunque privantes, seu privatum fore declarantes, excommunicationis sententiæ, ac perpetuæ infamiæ, & omnibus aliis pœnis à juris conditoribus contra hæreticos statutis, ordinatis, & promulgatis, eum decernimus subjacere; ac ejus personam exponimus à fidelibus capiendam. Filios insuper, & nepotes præfati Matthæi, Prælaturis, dignitatibus, & aliis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ, vel sine curâ, quæ tenere noscuntur, & officiis publicis ac honoribus quibuscunque privamus, vel privatos fore potius denuntiamus; eosque ad obtinendum in posterum Prælaturas, dignitates, & alia beneficia ecclesiastica, cum curâ, vel sine curâ, officia publica & honores quoscunque indignos & inhabiles declaramus. Lata fuit hæc sententia anno 1322. die decimâ quartâ mensis Martii.

Mandavit porro Pontifex eidem Archiepiscopo & Inquisitoribus, ut contra omnes Matthæo Vice-Comiti vel filiis ejus adhærentes, tanquam contra fautores hæreticorum ab Ecclesiâ damnatorum, judicium instituerent, & in convictos societatis ac reliquorum criminum, ex lege ecclesiasticâ animadverterent. Sententias has Episcopus Parmensis cum duobus Abbatibus evulgavit, anathemata ubique publicari, & Raymundum Cardonum exercitum ad rebelles castigandos promovere jussit. Jam civitates aliquot erant captæ, & Matthæus Vice-Comes profligatus: Senatus populusque Mediolanensis, in dies singulos sese damnari sacrisque arceri amplius non ferens, duodecim alios viros ad Legatum pacis & absolutionis postulandæ causâ destinavit. Hisce, & impendentium porrò malorum timore fractus Matthæus, Galeacio filio principatum concessit, seque in templum maximum duci imperavit; ubi injustè sibi hæreseos notam inustam conquestus, & jurejurando contestatus sibi immerenti sacra eripi, invocabat Dei maximi ultoris numen, quod iniquissimâ factiosi Legati sententiâ condemnatus patriâ excedere cogeretur. Sic urbe discedens, eademque postridie Modœciæ in templo Divi Joannis Baptistæ professus in febrim incidit, & post aliquot dies dolore ac mœrore contabescens mortuus est. Defunctum secreto ignobilique in loco filii tumularunt, aliquamdiu etiam morte celatâ, ne cadaver, quemadmodum Cardinalis Legatus & Inquisitores ad penultimam Octobris diem publicatis edictis decreverant, ignibus ultricibus cremaretur. Exquisitâ diligentiâ illi egerunt, si quo modo illud conquirerent: Veruntamen post multas inquisitionees & anathemata, in scientes ubi conditum fuisset & non revelantes pronuntiata, nihil reperire potuerunt.

Bzovius a. 1327. § 7. Similis sententia non multis post annis pronuntiata est ab eodem Papâ in Marsilium Paduanum & Joannem Jandunum, juris imperatorii contra injustas Papæ usurpationes assertores, quâ pronuntiantur hæretici & hæresiarchæ manifesti, omnesque qui ipsorum doctrinam sequuntur tanquam hæretici ab omnibus haberi jubentur. Quin & omnibus fidelibus præcipitur, ne illos, vel illorum aliquem, receptare, defendere, fovere, seu præstare per se vel per alium seu alios, publicè vel occultè, directè vel indirectè, auxilium, consilium, vel favorem præsumant, sed eos evitent potius ut hæreticos manifestos: tandem ipsos fidelibus capiendos exponit, ut eos zelo persequantur fidei, & capiant ubicunque eos reperire potuerint, ac Ecclesiæ captos assignent & restituant, animadversione debitâ puniendos.

CAPUT XXI.

Inquisitio introducta in Poloniam, & restaurata in Galliâ.

INquisitionis officium dilatandæ jurisdictioni Papali peropportunum, porro promovere Papa non destitit, & in regna ac regiones, hactenus illius jugi expertes, introducere, ne usquam terrarum in toto orbe Christiano ullæ illis, qui vel minimum Papæ placitis contradicerent, paterent latebræ ac refugia. Anno quippe 1327. Papa Joannes XXII. literis datis ad regem, nec non aliis ad Prælatos

Bzovius a. 1327. § 18. &c.

latos Poloniæ, ac tandem ad ejusdem regni Provincialem Ord. Prædic. Inquisitionem in Poloniâ instituit: quam sequente sæculo, anno videlicet 1436. Vladislaus Jagello rex Poloniæ confirmavit & amplificavit, qui Inquisitoribus edicto regio amplissimâ concessâ potestate, omnibus Magistratibus mandavit quodcunque illis auxilium in exequendo officio præstare.

Jam in Galliâ languescere aliquatenus videbatur Inquisitionis officium; verum cum in Delphinatu Valdenses non exiguo restarent numero, eorumque religio latius serperet, Gregorius confugit ad Carolum Francorum regem, cui majorum in hæreticis perdendis exempla proposuit, monuitque ut Proceres Delphinatus, qui hæreticos suo patrocinio texerant, comprimeret; nec modo acerbioribus edictis, sed etiam misso aliquo regio administro fidei Inquisitoribus autoritatem conciliaret. Obsecutus est Pontificiis voluntatibus Carolus Rex, ac more institutoque majorum regio edicto severis pœnis hæreticos affici, ac Delphinatus Magistratus iis, quibus sacræ Inquisitionis agendæ provincia data erat, operâ & auxilio non deësse jussit. Internuntius Apostolicus Antonius Massanus munus suum adeò strenuè gessit, ut carceres reos vix caperent, nec facultates ad eos sustentandos suppeterent: consultusque rescripsit Gregorius, cum Præsulum inertiâ tanta hæreticorum colluvies emersisset, ecclesiarum vectigalia eò derivanda esse: tum novos & munitiores carceres Arelate, Ebreduni, Viennæ & Avenione exstrui jussit, ac fidelibus, qui stipem in id conferrent, præmia Indulgentiarum est impertitus. Raynaldus a. 1375. § 26, 27.

Cum ex Galliâ vicinâ in Allobroges illi, qui Turelupini vocabantur, transirent, Papa Amedæo Comiti Sabaudiæ, ut eos flammis ultricibus persequeretur, & Inquisitoribus assisteret, injunxit. Addit Bzovius. *Factum est ut hæc secta ferina & agrestis damnata, ignibus addicta, & penitus erasa sit hoc anno.* Et mox: *Ex istis hæreticis quam plures in Galliis ignibus cremati sunt Pontifice jubente.* Verum nimia illa crudelitas diuturna esse non potuit, quin & ipsis judicibus exitiosa fuit. In Sabaudiâ siquidem Inquisitores, procul dubio ab illis qui similem erga se sævitiam metuebant, obtruncati fuerunt: Quo accepto nuntio, Papa Amedæum Comitem vehementi in obtruncatores odio accendere conatus est, ut qui olim tutandæ fidei præclarissimum exemplum in debellandis Turcis & Gallipoli iis eripiendâ ostendisset, orthodoxorum Præsulum sanguinem fundi pietatis odio impunè non pateretur. Bzovius a. 1372. § 7. Raynaldus a. 1375. § 27.

CAPUT XXII.

De Wicleffo & Husso, & Inquisitione contra Hussitas.

CIrca hæc tempora in Angliâ docere cœpit Joannes Wicleffus, & non tantum varios Ecclesiæ Romanæ errores, sed potissimum immensam Papæ Romani potestatem, impugnavit: jura sæcularium Magistratuum vindicavit, Clericosque illorum jurisdictioni & obedientiæ minimè esse exemtos docuit. Papa literis datis ad Universitatem Oxoniensem, *mandat in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ privationis omnium gratiarum, indulgentiarum, & privilegiorum, ipsis à Sede Apostolicâ concessorum, ut non permittant propositiones Wicleffi à quoquam defendi; ipsum verò Wicleffum capiant seu capi faciant, & Archiepiscopo Cantuariensi & Episcopo Londinensi, aut eorum alteri, sub fidâ custodiâ transmittant.* Archiepiscopo vero Cantuariensi, ac Episcopo Londinensi per literas mandat, ut *Joannem Wicleffum autoritate Papæ capi faciant, & carceribus mancipari, eumque sub bonâ custodiâ tenere in vinculis, donec ab ipso super hæc reciperent aliud in mandatis.* Hisce ex prioribus literis repetitis, mandat porro, *Quod si præfatus Joannes hujusmodi captionem & carcerationem præsentiens lateat, ità ut non possit per ipsos capi & incarcerari, ut eum per edictum publicum proponendum in studio Oxoniæ Lincolniensis diœcesis, & aliis locis publicis, ex parte Papæ pe-* Bzovius a. 1377. § 8. &c.

peremtoriè monere & citare curent, ut infra trium mensium spatium à die citationis hujusmodi in antea computandum, ubicumque Papam esse contigerit, compareat, personaliter super propositionibus suis responsurus; additâ denuntiatione, quod *sive idem Joannes in hujusmodi termino comparuerit, sive non comparuerit, super præmissis & contra eum usque ad debitam condemnationem ipsius inclusivè procedet, prout demerita ejus exigent, sibique secundum Deum & conservationem fidei videbitur convenire.* Aliis additis literis mandat iisdem, ut *Joannis Wicleffi confessionem recipere studeant, eamque suis sigillis clausam, & nemini revelatam, ad se per fidelem nuntium transmittant, & Wicleffum in vinculis teneant, donec ab ipso super hoc aliud acceperint in mandatis.* Tandem alias addit ad Regem Angliæ Eduardum, quibus eum requirit & deprecatur attentè, ut *Archiepiscopo & Episcopo, & aliis qui hujusmodi negotium prosequentur, in ipsâ prosecutione favoris sui & auxilii patrocinium exhibeat.* Omnes hæ literæ datæ sunt 11. calend. Jun. anni 1377.

Raynaldus a. 1388. § 12. a. 1396. § 9. &c. Bzovius § 6.

Post Wicleffi mortem Richardus Angliæ Rex solemni edicto omnia illius scripta, nec non Nicolai Herefordii & Joannis Aston, flammis aboleri jussit. Anno 1396. scripsit Papa regi Angliæ, oravitque ut assisteret Prælatis Ecclesiæ in causâ Dei & ipsius regis & regni contra Lollardos, rogavitque obnixius, ut quos Præsules declarassent hæreticos condemnaret. Eodem anno Thomas Arundelius Archiepiscopus Cantuariensis & Legatus Apostolicus ad Wicleffisticam hæresim exscindendam Londini celebravit Provincialem Synodum, in quâ octodecim articuli Wicleffi damnati sunt: illis damnatis Archiepiscopus judiciariam severitatem in eorum propugnatores adhibuit, quorum plures flammis addixit: his autem qui ejurassent pœnitentiam injunxit salutarem, ut tam in supplicatione publicâ, quam in foro publico cum mercatus exerceretur, solâ camisiâ induti in publicum procederent, alterâ manu cereum ardentem, alterâ imaginem Christi crucifixi, gestantes, terque se in genua demittentes, ea religiosè distinctis temporibus deoscularentur.

Raynaldus § 17.

Mox in Bohemiâ exortus Joannes Hussus, dissolutam omnium Ordinum vitam publicè reprehendere cœpit. Quamdiu in seculares invectus fuit, Theologorum applausum meruit: postquam verò ipsorum mores corruptos & peccata palam redarguit, eum aversari ac detestari, omniaque contra eum moliri cœperunt. Rediit illis temporibus, anno videl. 1400. ex Angliâ Hieronymus Pragensis, Wicleffi scripta secum ferens, quæ ab Husso approbata sunt: cumque plures Hussi doctrinâ & autoritate permoti eadem probarent, & Wicleffi articulos propugnarent, anno 1408. 24 Maji, à quadraginta Magistris, infinitoque Baccalaureorum numero Wicleffi articuli denuò sunt examinati & condemnati, interdictumque sub bannizationis pœnâ, ne quisquam eos docere præsumeret. Hussus illorum conatus frangere cupiens, perfecit, cum anteà ab institutione gymnasii exteris tres voces in ferendis suffragiis, Bohemis quarta esset concessa, ut una Bohemorum natio tantum posset, quantum aliæ tres simul. Indignati illi in vicinam Misniam abeunt relictâ Pragâ, effeceruntque ut Wicleffi libri denuò sint condemnati, ignibusque adjudicati. Exusta igitur sunt (Æneâ Sylvio teste) supra ducenta volumina, pulcherrimè conscripta, bullis aureis tegumentisque pretiosis ornata.

Non multò post, occasione Cruciatæ, quam Joannes XXIII. contra Neapolitanum regem prædicari jussit, Hussus indulgentias, thesibus publicè ad disputandum propositis, impugnavit, unaque M. Hieronymus Pragensis illarum vanitatem ostendit. Tandem post varios contra memoriam Wicleffi, & contra Hussum institutas actiones, convocato Constantiam Concilio, Joannes Hussus coram eo vocatus est, rationem doctrinæ suæ redditurus: & ne ad Concilium accedere gravaretur, Sigismundus Imperator literas salvi conductus dedit, quibus plenissimè de tuto ad Synodum accessu, statu & recessu ipsi cavebatur. In hac Synodo Wicleffi & Hussi doctrina condemnata est: deputati sunt aliqui viri docti, qui utriusque doctrinam examinarent, qui cum libros eorum legissent, pro-

pronuntiarunt se apud Wicleffum quadraginta quinque, & apud Joannem Hus triginta articulos perniciosos reperisse, qui etsi non omnes in eodem impietatis gradu versarentur, aliique essent aliis deteriores, tamen in omnibus pestiferum latebat virus, omnesque salutari Ecclesiæ doctrinæ aut omninò, aut aliquâ saltem ex parte adversabantur. Quare Synodus non tantum libros damnavit, sed & in mortuum Wicleffum sententiam pronuntiavit, quâ ipsum declaravit hæreticum, anathemate perculit, & ossa ejus, si quo modo agnosci possent, è sepulchro eruta concremari jussit. Joannem vero Hussum, qui literis salvi conductus ab Imperatore Sigismundo instructus ad Concilium venerat, non tantum hæreseos condemnat, sed & violatâ fide publicâ vivum flammis exuri fecit. Ut verò aliquâ cum specie ad fidei datæ violationem procedere posset Imperator, decretum condidit, quod non obstantibus salvis conductibus Imperatoris & regum, &c. possit per judicem competentem de hæreticâ pravitate inquiri, *etiamsi*, (verba sunt decreti) *de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii; aliàs non venturi, nec sic promittentem, cum aliàs fecerit quod in ipso, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Postea etiam Hieronymus Pragensis, qui diro Hussi supplicio territus, primò per infirmitatem humanam doctrinam Joannis Wicleff & Hus abnegaverat, deinde resumpto animo eam intrepidè coram toto Synodo asseruit ac defendit, ut relapsus condemnatus simili supplicio vitam finiit.

Quia vero multi ex Pontificiis infamiam hanc fidei violatæ à se amoliri conantur, paucis contra illos hac occasione ostendendum est, fidem publicam in Husso jussu Synodi violatam esse. Negant Synodum fidem suam apud Hussum interposuisse, sed solummodò Imperatorem: potuisse itaque Synodum, quæ legitimus fidei judex est, de doctrinâ Hussi judicium pronuntiare, licet Imperator salvi conductus literas concesserit; quia negotium hæresis merè est ecclesiasticum, & extra limites potestatis sæcularis. Verum non querimur, fidem à Synodo violatam, quia Hussum condemnavit hæreseos, sed quia eum fecit exuri. Potestas Synodi, juxta Pontificiorum doctrinam, ulterius non extenditur, nisi ut judicet de fide, & sententiâ suâ aliquem pronuntiet hæreticum & pertinacem, & de gremio Ecclesiæ projiciat; quâ sententiâ latâ illum porrò sæculari potestati relinquit, ut ea pœnas à legibus civilibus constitutas in eum exsequatur. Et hac ratione Synodus etiam in causâ Joannis Hus processit. Postquam enim Hussum declaraverat hæreticum, & in Synodo degradari fecerat, hoc decretum suæ sententiæ subjunxit: *Hæc sancta Synodus Constantiensis Joannem Hus, attento* NB. *quod Ecclesia Dei non habeat ultra quid agere valeat, judicio sæculari relinquere, & ipsum curiæ sæculari relinquendum fore decernit.* Hic ergo ecclesia officio suo functa fuerat. Quod restabat erat jurisdictionis sæcularis. Hic autem Imperator literis salvi conductus Joanni Hus de securitate caverat: non potuit ergò, salvâ datâ fide, Joannem Hus ad rogum condemnare. Quare Synodus ut Imperatori scrupulum hunc eximeret, decreto suo pronuntiavit, eum qui se tali promisso obstrinxit, cum alias fecerit quod in ipso, neutiquam ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Non itaque Synodus propriè fidem à se datam violavit; sed decreto suo pronuntiavit, Imperatores, reges & Principes, simili in casu fidei à se datæ neutiquam remanere obligatos, ac proinde posse eos salvâ conscientiâ ad Synodi nutum fidem, etiam literis publicis datam, frangere. Estque id ex hoc Synodi Constantiensis decreto adeò manifestum, ut Joannes Simancas Hispanus de Catholicâ doctrinâ tit. XLVI. §52. exinde probaverit, quod hæreticis fides data servanda non sit: *Jure igitur hæretici quidam gravissimo Concilii Constantiensis judicio legitimâ flammâ concremati sunt, quamvis promissa illis securitas fuisset.* Quin &, referente Bzovio ad annum 1422. §3. Martinus Papa Alexandrum Lituaniæ ducem dehortari cupiens, ne ullum Bohemis præstet auxilium, literis suis inter alia ita eum affatur: *Quod si tu aliquo modo inductus, defensionem eorum suscipere promisisti, scito, te dare fidem hæreticis, violatoribus fidei sanctæ, non potuisse, & peccare mortaliter si servabis: quia fideli ad infidelem non potest esse ulla communio.* Quid clarius dici potest? Quæ plura in

in hanc rem dici hîc possent, consultò præterimus. Paucis indicasse sufficiat, à Synodo Constantiensi, vel ipsis Pontificiis judicibus & approbantibus, fidem datam violatam esse.

Condemnatis Wicleffo, Husso ac Hieronymo, eorumque doctrinâ, Papa Martinus V. datis ad Archiepiscopos, Episcopos, & Inquisitores hæreticæ pravitatis ubilibet literis, quarum initium est, *Inter cunctas pastoralis curæ*, &c. narrat *in regno* „*Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, & locis circumstantibus Joannem Wicleff, Joannem* „*Hus, & Hieronymum de Praga insurrexisse hæresiarchas; Synodum Constantiensem eos eo*„*rumque scripta ac libros damnavisse. Sed quoniam nonnulli sectatores libros eorumdem à* „*Synodo damnatos retinebant, ideò eorumdem libros tenentes, doctrinas laudantes, eorum*„*que fautores, mandat tanquam hæreticos curiæ seculari relinqui: Receptatores vero eorum*„*dem, causâ solum amoris, vel simili, graviter coërceri jubet: Non resipiscentes, seve*„*rè puniri. Principibus jubet, ut de eorum locis ipsos ejiciant. Hæreticis publicis, quam*„*vis non condemnatis, pœnas infligit; Etiam suspectis, qui se canonicè non purgaverint.* „*Principibus mandat, ut Inquisitoribus obediant. Suspectos jubet interrogari super articu*„*lis J. Wicleff. & J. Hus*, quos posteà subjungit cum interrogatoriis; *& ad* „*hoc citari. Mandat hanc Bullam publicari, & etiam hæreticos omnes, eorumque* „*fautores publicè singulis diebus dominicis & festivis in præsentiâ populi denuntiari excom*„*municatos: Errores prædictorum tenentes, & fautores, vel etiam confessos, sed abjura*„*tionem publicam, aut etiam pænitentiam injunctam subire recusantes, puniri. Ac tan*„*dem quibuscunque contrariis derogat.*

Ita per decretum hoc Inquisitione in regnum Bohemiæ revocatâ & stabilitâ, plurimi passim hæreseos sunt condemnati, variisque suppliciis interemti: alii vivi flammis sunt traditi; alii pedibus manibusque ligatis in flumen præcipitati, & aquis submersi; alii alio suppliciorum genere perierunt.

CAPUT XXIII.

Inquisitio in Valentiâ, Flandriâ, & Artesiâ.

Bzovius a. 1419. § 20.

CUm regnum Valentinum nullum hactenus specialem Fidei Inquisitorem haberet, sed qui Rossellioni in Cataloniâ Inquisitor erat, in regno Valentino per Vicarios & Commissarios sanctum Officium exercebat, unde non tantus quantus poterat fructus in convertendis Judæis & Mauris, quorum illic ingens numerus, proveniret, Martinus Pontifex ad postulatum Alphonsi regis, literis datis Florentiæ 6. Cal. April. 1419. decrevit, quod Officium Inquisitionis in regno Valentiæ per Inquisitorem à Priore, ad quem istud pertinet, deputandum, qui inibi personaliter resideat, per se, & principaliter, & non per Commissarios & locum tenentes, sine ullius impedimento in posterum regatur & gubernetur.

Boxhorn. Histor. Belg. p. 42. &c. J. le Clerc Dom. de Beauvoir.

Circa annum 1460. in Flandriâ & Artesiâ Inquisitio admodum sævIit, contra quosdam, qui falsò magiæ & occulti cum Satanâ fœderis insimulabantur, qui, ad conflandum Valdensibus invidiam, *Valdenses* nuncupabantur: locus autem, in quo nocturnos suos coetus habere dicebantur, *Valdesia*. Duaci, Atrebati, aliisque in locis, diversis temporibus plures ad requisitionem Petri Brussardi Inquisitoris in carcerem sunt conjecti. Hi, tormentis victi, quicquid ipsis exprobratum fuit confitebantur: inter alia, quod se Satanæ devovissent, illum adorassent, cum ipso carnaliter commixti essent, aliaque quæ nullam merentur fidem. Ad rogum damnati, innocentes se protestabantur, & publicè coram omnibus altâ voce proclamabant, nunquam se in Valdesiâ (ita, uti diximus, coetus ille nocturnus magorum & diabolorum vocabatur) fuisse, sed à judicibus esse deceptos, qui blandis promissis, quibus vita ac omnia bona ipsis promittebantur, si crimina objecta confiterentur, ex ipsis elicuerint falsam criminum à se nunquam commis-

missorum confessionem: alii ajebant, tormentis falsam sibi confessionem expressam: Tandem orabant astantes, ut pro se Deum precarentur, mediisque in flammis animas suas Deo commendabant. Illorum tamen innocentia postea patuit: Nam anno 1491. miseri hi, cum aliis ob eandem causam in carcerem conjectis, sententiâ Parlamenti Parisiensis declarati sunt innocentes, bonaque ipsis restituta; judicibus verò gravis mulcta pecuniaria est irrogata.

CAPUT XXIV.

De Inquisitione Hispanâ.

HActenus vidimus Inquisitionem in varia Hispaniæ regna introductam; in Castellâ autem & Legione aut nondum invectam, aut saltem collapsam. Ferdinandus & Isabella, unitis per connubium variis in Hispaniâ regnis, & post ingentes de Mauris victorias reportatas, Inquisitionis tribunalia passim in omnibus regnis suis erecta voluerunt: Sive id fecerint cæco religionis zelo; sive ut è regnis suis Judaicâ & Mahomethanâ superstitione eliminatâ, pacatius & securius ea possiderent; sive, uti quidam credunt, totius Europæ monarchiam affectantes, ut insigni aliquo opere, quod ingentem pro religione Romanâ zelum ostentaret, Papæ Romani sibi benevolentiam ac favorem demererentur: Quoniam itaque in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Poloniâ, ipsâque Aragoniâ, jam à multis annis Inquisitio viguit, ne in studio quoscunque conatus contra fidem Romanam vindicandi se ab ullâ gente vinci paterentur, sed potius omnes superare viderentur, Inquisitionem majori pompâ, augustiore apparatu, & ampliore potestate ornatam, Sixti Pontificis autoritate, in omnia sua regna introduxerunt. Prætextus exinde quæsitus fuit:

Quod superiorum temporum licentiâ multa in eo regno erant depravata, Mauris Judæisque cum Christianis promiscuè versantibus, nullo non commercii genere: quod consuetudine illâ ac familiaritate aliquos è Christianis infici admodum proclive esset: & plures Christiana sacra, quæ susceperant patriâ superstitione abdicatâ, fide inconstanti nullo vetante desererent. Labes Hispali maximè dicitur grassata. In eâ urbe primum quæstionibus arcano habitis, de sontibus gravissimis pœnis vindicatum: idque hac occasione. Alphonsus Hojeda (ut refert Paramus lib. 2. tit. 2. cap. 3. n. 2.) Prior Cœnobii Hispalensis S. Pauli, Ordinis Prædicatorum, plurimis concionibus per multos annos ad populum habitis, admodum invehebatur in illos, qui relictâ Christianismi professione ad Judæos deficiebant. Hic feriâ quintâ in Cœnâ Domini primâ noctis vigiliâ à quodam cive ex Guzmanorum familiâ monitus est, in quasdam ædes aliquot Judæos ac Apostatas convenisse, ibique ceremoniis Judaicis vacare, nec non execrabiles blasphemias ac contumelias in Salvatorem nostrum proferre. Hæc omnia Guzmanus ex secretâ domus parte, in quâ latebat puellam quandam allocuturus, oculis viderat. Prior sic egit cum Guzmano, ut rem totam literis mandaret, & nominis sui subscriptione confirmaret: atque è vestigio Cordubam ad reges Catholicos rem omnem defert. Hi jusserunt de totâ re inquiri. Hic ergo Prior sex ex illo numero in S. Pauli Cœnobio in vincula detrudit; illis mox plures additi sunt; nec multò post in eos omnes uniuscujusque delicti pensatâ qualitate severè animadversum est. Nam majori commisso delicto, igne post diuturnum carcerem & tormenta necabantur: leviori de causâ ignominia inurebatur familiæ perpetua: non pauci bonis publicatis æternis tenebris vinculisque mandati. Rubra crux obliquis radiis in croceâ veste, quam sancti Benedicti vocant, plerisque data insignis, à cæterisque discreta, ut essent documento, & magnitudine supplicii terrerent alios. Hæc omnia gravia initio Provincialibus visa sunt: Illa maximè: Parentum scelera filiorum pœnis lui: Occulto accusatore

Bzovius a. 1478. § 14.

reos fieri, neque cum indice compositos damnari: Contra quam olim erat, peccata in religionem vindicari morte. Illud gravissimum, adimi per Inquisitiones loquendi liberè audiendique commercium, dispersis per urbes & oppida & agros observatoribus: quod extremum in servitute credebant. In discrepantibus judiciis nonnulli mortis pœnam removebant; cæterum suppliciorum acerbitates omnes complectebantur. In hoc numero Ferdinandus Pulgarius fuit arguto atque eleganti ingenio, cujus exstat de Ferdinandi regis rebus gestis historia. Alii verò eos frui vitâ & communi spiritu non putabant oportere; bonis & ignominiâ mulctandos videri, nullâ filiorum curâ. Præclarè id legibus comparatum, ut charitas liberorum cautiores parentes reddat. Occulto indicio tergiversationes vitari; neque nisi de convictis apertè, aut confessis, pœnas sumi. In multis sæpe antiquos Ecclesiæ mores, prout res exigunt & tempora, mutari, & majorem licentiam majori severitate coërcendam videri. Judices ex universâ provinciâ delecti fuere, quorum arbitrio singulorum fortunæ, fama, salusque permissa est.

His Hispali gestis fama longè latèque per universam Hispaniam vagabatur, quâ multi commoti Catholicis regibus intimarunt, plerosque esse ex Judæis nuper ad fidem conversis, quorum parentes S. Vincentii Ferrerii concionibus ad fidem traducti fuerant, qui domi atque secretò Judaicis ritibus operam darent, Christianosque veterem legem edocerent: rogare se plurimum reges, suâ Catholicâ pietate tot nascentibus malis resisterent, ne in dies pestis illa venenosa serperet: alioqui enim, nisi confestim sedaretur, gravissima inde incommoda Dei ecclesiam accepturam. Inter hos præcipui fuerunt Petrus Gonzalez à Mendoça Archiepiscopus Hispalensis, & Frater Thomas à Turrecrematâ ex Prædicatorum familiâ, Prior Cœnobii S. Crucis Segoviensis regumque Confessarius. Illius potissimum instinctu reges Ferdinandus & Elisabetha, ut Inquisitionis officium, temporis lapsu illo in regno languens, ad priorem vigorem ac severitatem reducerent, Archiepiscopum Hispalensem Gonzalvum Mendozium universis Fidei causis præfecerunt; sociumque illi addiderunt Fratrem Thomam à Turrecrematâ. Hi reformandum esse Inquisitionis Officium decreverunt. Quare vehementer à Pontifice Romano reges Catholici contenderunt, ut sibi creandorum in Castellæ ac Legionis regnis Inquisitorum potestatem facerent. Sixtus IV. eam facultatem regibus indulsit: cujus quidem indulti Apostolicæ literæ licet non exstent, earum tamen (ut ait Paramus lib. 2. t. 2. c. 3. n. 8.) mentionem habuit idem Sixtus aliis duabus Bullis quæ in libris diversarum Bullarum Apostolicarum Matriti apud generalem Inquisitorem asservantur, fol. 1. & 2.

Hujus Bullæ autoritate duos tantùm Hispali Inquisitores, Fr. Michaëlem à Morillo, ac Fr. Joannem à S. Martino, illum Theologiæ Magistrum, hunc Baccalaureum, utrumque ex Prædicatorum Ordine, præfecerunt. Anno CIϽCCCCLXXXII. duos illos à regibus electos Inquisitores Papa eâ lege confirmavit, ut juxta juris dispositionem simul cum locorum Ordinariis causas Fidei expedirent. Quia tamen Pontifici illi Inquisitores, qui vel à Generali, vel à Provincialibus Dominicanæ familiæ in Provinciis dispositi erant, rebus fidei exequendis sufficientes esse videbantur, regibus creandorum Inquisitorum in aliis locis potestatem ademit. Idem Sixtus IV. anno CIϽCCCCLXXXII. ad dictorum regum requisitionem, quia electi duo Hispali Inquisitores sufficere non videbantur, suo diplomate dato 3 Idus Febr. septem constituit ex Dominicano Ordine Fidei censores, qui in Castellæ & Legionis regnis in rebus ad fidem pertinentibus præessent. Hi Papæ mandato severam in occulti Judaismi reos inquisitionem instituerunt.

Bzovius a. 1481. § 11. Rainald. epit.

Intra terminum, sponte peccata sua spe veniæ propositâ confitentibus constitutum, septendecim circiter millia utriusque sexus convenerunt, quibus vita indulta est. Multi autem, qui literis Pontificiis & edictis regiis parere noluerunt, in suâ hæresi perseverantes, habitâ probatorum testium relatione capti fuerunt, & tormentis affecti sua crimina confitentes, in ignem conjecti

cti

cti sunt; quorum alii narrantur sua crimina flevisse Christum recognoscentes; alii pertinaces in erroribus Moysi nomen invocasse. Horum paucis annis utriusque sexus millia duo combusta fuerunt. Alii pœnitentiam testantes, perpetuo carceri sunt adjudicati, aliis cruces sunt impositæ, quorundam mortuorum ossa sepulchris sunt extracta & in cineres redacta, publicatis bonis, filiisque privatis honoribus & officiis. Hac crudelitate plurimi de stirpe Judaicâ perterriti, patriâ suâ domoque relicta, & multis magnisque rebus distractis, ex Catholicorum principum regnis aufugerunt. Multi siquidem in Lusitaniam, multi in Navarram, alii in Italiam, alii in Galliam, alii in alias regiones, ubi se tutos fore putabant, migraverunt; quorum res & bona, tam mobilia quam immobilia, si quæ exstabant, Catholici Principes in bello, quod adversus Mauros & Barbaros alios gerebant, distribuenda censuere. Earum rerum omnium summa fuit ingens: in Bœticâ namque provinciâ duntaxat eorum qui cum filiis & uxoribus profugerant, inanium & vacuarum domuum millia quinque reperta fuere. Alii (ut refert Paramus) numerum multò majorem fuisse affirmant: quibus certum est, in solâ Hispalensi civitate atque diœcesi eos, qui tam superstites quam mortui, tam præsentes quam absentes contumaces fuerunt damnati, vel etiam Ecclesiæ reconciliati, centum millium numerum excessisse.

Sic jam facilè discrepantes de anno institutæ in Hispaniâ Inquisitionis sententiæ conciliari possunt. Plerique enim eam introductam ajunt anno 1483. vel 1484. Ribadineira in vitâ Ignatii Lojolæ *lib*. 2. *cap*. 18. in fine, ait, id in Castellæ ac Legionis regnis institutum anno 1481. in Aragoniâ verò, Valentia, ac Cataloniâ, anno 1483. Bzovius illius erectionem in regno Castellæ refert ad annum 1478. & quarto post anno in Aragoniam transiisse ait. Optimè omnes conciliantur, si dicamus, anno CIↃCCCCLXXVIII. quidem Inquisitionis Officium esse introductum: sed anno demum CIↃCCCCLXXXIII. primum Inquisitorem Generalem & Supremum Inquisitionis Senatum esse constitutum.

Ratio tribunalis hujus, prout nunc obtinet, hæc est. Rex Papæ proponit supremum omnium regnorum suorum Inquisitorem, quem sibi à rege propositum Papa in munere suo confirmat. Hic Inquisitor à Papâ confirmatus caput & princeps est officii Inquisitionis in toto regno, eique Papa plenissimam potestatem tribuit in causis hæresin spectantibus. Ad hujus officium pertinet, in quovis loco, ubi est tribunal Inquisitionis, particulares nominare Inquisitores, qui tamen munus suum non auspicantur, nisi à rege approbati: Visitatores ad Inquisitorum provincias mittere; cum pœnitentibus & eorum filiis nonnunquam dispensare, ac de rebus gravioribus diliberare. In urbe imperii sede Rex superiorem Inquisitionis senatum instituit, cui supremus totius regni Inquisitor præsidet; illi quinque consiliarii cum titulo Inquisitorum Apostolicorum adjunguntur, qui ab Inquisitore Generali nominati à rege eliguntur. Horum unus, ex constitutione Philippi III. datâ 16. Decemb. 1618. semper est ex ordine Dominicanorum. Est prætereà advocatus Fiscalis, duo Secretarii, & unus regis, unus Receptor, duo Relatores, plures Qualificatores & Consultores. Sunt præterea officiales, qui a præside, consultâ regiâ majestate, deputantur. Penes hunc Senatum suprema est autoritas. Hic de omnibus negotiis cum Inquisitore Generali deliberat; judicia majora exercet; novas, quando res exigit, leges condit; lites inter particulares Inquisitores dirimit; delicta ministrorum punit; ad ipsum ab inferiori tribunali fit provocatio, neque ab eo ad alium, nisi regem, provocare licet. In aliis tribunalibus bini ternive Inquisitores sunt. Certa iis loca designantur, Toletum, Concha, Valisoletum, Calagurris, Hispalis, Corduba, Granata, Ellerena: in Aragoniis Valentia, Cæsaraugusta, Barcino.

Carena tit. 3.

Hi vocantur Inquisitores Provinciales; inconsulto supremo Inquisitionis Senatu non deveniunt ad carcerationem alicujus Sacerdotis, equitis, vel nobilis viri, nec actus publicos fidei gerunt. Quin & supremus hic Senatus, ut majorem actibus fidei autoritatem conciliet, nonnunquam aliquem ex suis Consiliariis ad illos deputare solet.

Carena tit. 3. §. 8. &c.

Omnes

Omnes hi Inquisitores Provinciales supremo Senatui singulis annis statum sui tribunalis Provincialis referunt, & præcipuè causas expeditas eo anno, ac statum & numerum carceratorum, qui in carceribus reperiuntur. Singulis quoque mensibus eidem rationem reddunt de omnibus pecuniis, quæ ex reditibus Sancti Officii, vel pœnis & mulctis pecuniariis ad eos pervenerunt.

In palatio regali congregatur hoc Consilium singulis diebus, festivis exceptis: diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, mane; diebus vero Martis, Jovis, & Sabbathi, post Vesperas; & in his ultimis diebus in eo interveniunt etiam duo Consiliarii, ex supremo Consilio Castellæ, qui sunt etiam Consiliarii ipsius supremi Consilii.

Ibid. §. 12. Hoc tribunal jam eò usque invaluit in Hispaniâ, ut rex Castellæ, antequam fiat rex, juramento speciali subjiciat se & totum suum dominium Sanctissimo severissimæ Inquisitionis tribunali.

Pegna in direct. part. 3. comm. 32. Officium hoc non ut olim Fratribus Prædicatoribus seu Dominicanis demandatum est, verum clericis sæcularibus decretorum ac legum peritis committi cœptum fuit, donec paulatim ad eosdem fuit omninò devolutum, ita ut nunc nullæ sint jam amplius in eo Fratrum Dominicanorum partes; quamvis sæpe Inquisitores in judicandis propositionibus eorum operâ utantur, & Consultorum munere apud sanctum Officium fungantur.

Primus Inquisitor Generalis regnorum Hispaniæ fuit Frater Thomas Turrecremata, Ordinis Fratrum Prædicatorum, prior Monasterii sanctæ crucis Segobiensis, præcipuâ apud reges gratiâ, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat. Hic, ut refert Paramus, anno CIↃCCCCLXXXIII. à Sixto IV. fuit creatus Inquisitor generalis regnorum Castellæ ac Legionis, literisque Papalibus accepit potestatem, tum eos designandi Inquisitores, qui convenire videbantur, eosque revocare qui ante in illis regionibus eo munere fungebantur; tum etiam ut ad eam in causis Fidei exequendis normam noviter excogitatam antiquam & minus idoneam inquirendi methodum conformaret. Posteà idem Papa Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ atque Siciliæ Provincias supremo Castellæ ac Legionis Inquisitori suâ Bullâ eodem anno CIↃCCCCLXXXIII. expeditâ, subjecit: quam posteà Innocentius VIII. qui Sixto in Pontificatu successit, quoad Castellam ac Legionem anno CIↃCCCCLXXXV. & sequente anno quoad Arragoniam Valentiam & Cathaloniam confirmavit. Idem fecit Alexander VI. Bulla Innocentii hæc est.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Thomæ de Turrecrematâ, Ordinis Fratrum Prædicatorum & Theologiæ Professori, Salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum fœlicis recordationis Sixtus IV. *prædecessor noster, ad exstirpandas hæreses, quæ in Castellæ, Legionis, & Aragonum, ac aliis regnis & dominiis charissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi, & charissimæ in Christo filiæ Elisabethæ reginæ Castellæ & Legionis, illustribus ubilibet subjectis, humani generis hoste procurante etiam tunc vigebant, prout adhuc non sine magnâ mentis nostræ molestiâ intelleximus, te Generalem hæreticæ pravitatis Inquisitorem in omnibus regnis, ac dominiis, & terris prædictis, per diversas literas suas instituit & deputavit, prout in eisdem literis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continetur. Nos igitur cupientes, prout nostro incumbit officio, ut nostro etiam tempore in Officio Inquisitionis hujusmodi, prout decet, debitè procedatur, institutionem & deputationem, ac singulas desuper confectas literas hujusmodi autoritate Apostolicâ ex certâ nostrâ scientiâ tenore præsentium approbamus, confirmamus, & plenæ firmitatis robur obtinere debere decernimus, teque de novo Inquisitorem in regnis & dominiis prædictis, cum eisdem facultatibus, quas tibi idem Sixtus prædecessor desuper concesserat, facimus, constituimus, & deputamus, literasque prædictas in omnibus & per omnia innovamus, ac tibi alias ecclesiasticas personas, idoneas, literatas, & Deum timentes, dummodò sint in Theologiâ Magistri, seu in altero Jurium Doctores, seu Licentiati, seu Ecclesiarum cathedralium Canonici, seu alias in dignitate ecclesiasticâ constituti, toties, quoties opus esse cognoveris, assumendi,* subro-

subrogandi, & assumtos amovendi, ac alios similiter qualificatos eorum loco subrogandi, qui pari jurisdictione & facultate & autoritate quibusvis fungentes in hujusmodi negotio unà cum Ordinariis locorum procedendo fungantur, plenam, liberam, & omnimodam concedimus facultatem: Et quia justum est, ut qui in tam sancto Officio, negotio, & tam necessario opere laborant, etiam eorum juribus non fraudentur, omnibus & singulis ecclesiasticis personis huic operi incumbentibus, ut quamdiu in ipso opere laboraverint, fructus, reditus, proventus omnium beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ & sine curâ, quæ in quibusvis Ecclesiis, sive locis, obtinent, & in posterum obtinebunt, quodcunque & qualecumque fuerint, cum eâ integritate (supportatis tamen debitis & consuetis eorumdem beneficiorum omnibus) liberè percipere possint, cum quâ illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis sive locis personaliter residerent, & ad residendum interim in eisdem minimè teneantur, nec ad id à quoquam inviti quâvis autoritate valeant coarctari, dictâ autoritate indulgemus, non obstante si primam in eisdem Ecclesiis sive locis non feceritis residentiam personalem consuetam, ac quibusvis Apostolicis, nec non Provincialibus, & Synodalibus, & aliis Edictis generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, statutis quoque & consuetudinibus Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, etiamsi de illis serviendis, & non impetrandis literis Apostolicis contra ea, & literis ipsis etiam ab alio vel ab aliis impetratis, vel aliis quovis modo concessis non utendo dictæ personæ vel per se vel per procuratorem suum præstiterint, hactenus vel in posterum id forsitan præstare contigerit juramentum: Nec non omnibus illis, quæ idem Sixtus prædecessor noster literis ipsis Apostolicis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quarto (fortasse legendum quinto) *tertio Idus Febr. Pontif. nostri anno secundo.*

Fratre Thomâ de Turrecrematâ, Generali totius Hispaniæ Inquisitore, præside anno 1484. uti constat ex primâ Hispalensi instructione, autoritate Pontificiâ, Catholicis regibus postulantibus, celeberrimus virorum in utroque jure & sacrâ Theologiâ doctissimorum conventus Hispali habitus fuit, in quo ordo fuit stabilitus, quem observare oporteret adversus hæreticam pravitatem, latis constitutisque super eo diversis legibus ac constitutionibus, quibus etiam hodie Inquisitores utuntur; qui ordo aliis Instructionibus postmodum ampliatus fuit. In eodem conventu (ut apparet ex cap. 3. ejusdem primæ Hispalensis Instructionis) cautum fuit, ut Inquisitores in suis diœcesibus edictum proponerent cum dilatione triginta, vel quadraginta, vel plurium dierum, prout melius eis visum fuisset, intra quam quicunque sponte suos errores & hæreses coram Inquisitoribus plenè confiterentur, & alios hæreticos indicarent, admitterentur ad pœnitentiam salutarem, & Ecclesiæ reconciliarentur, nec mortem aut vincula, nec bonorum publicationem seu confiscationem paterentur.

Memorabile est, quod hic observat Bzovius: *Ab hoc initio res in hanc autoritatem crevit atque potestatem, quâ nulla pravis hominibus toto orbe Christiano formidabilior est, Reip. universæ majori commodo, præsens remedium adversus impendentia mala, quibus aliæ provinciæ exagitantur, cælo datum. Nam humanis consiliis adversus tanta pericula satis caveri non potuit.* Sed nec omittendum, quod habet Simancas de *Cathol. Instit. tit. XLVI.* §. 41. *Fuit profectò Hispania Christianæ religionis semper observantissima, & fidem Catholicam, quâ semel imbuta, sincerissimè usque coluit, hæreticis infestissima. Quotquot in Hispaniâ sunt de rebus fidei cognitores, eâ fide religionem Officii servant, eâ integritate ac vigilantiâ, ut nemo quisquam hiscere contra sacrosancta Ecclesiæ statuta quidquam audeat. Alibi forsan impiè facere non licebit; in Hispaniâ ne loqui quidem nisi piè conceditur: alibi errores fortè jam nati exstirpantur; in Hispaniâ ipsa etiam errorum semina, anteaquam pullulent, opprimuntur. Vasæus priori tomo Chronicorum Hispaniæ, c. 9.* a. 1478. §. 14.

Anno 1485. in Aragoniâ ingens seditio contra Inquisitionis tribunal concitata est, maximè à neophytis ex superstitione & stirpe Judaicâ ad Christi cultum adjunctis: nec defuere viri primarii, qui his se conjunxerunt, contenderuntque induci novas leges, contra Aragoniæ libertatem. In eâ seditione Petrus Arbuesius Rainald. a. 1485. §. 21. 22. Bzovius a. 1485. §. 10. 11.

buesius Inquisitor occisus est Cæsar Augustæ, dum in templo ante altare majus preces funderet. Cædes hæc Judæis fuit imputata. Sed verò omnes conatus contra Inquisitionem pro libertate Aragoniæ fuerunt irriti; tantumque abfuit ut tribunal habendarum de religione quæstionum eversum fuerit, ut post oppressos qui illi adversabantur multò magis firmatum fuerit. Ferdinandus enim & Isabella, ut majorem tribunali Inquisitionis autoritatem conciliarent, palatium Cæsar Augustæ regium judiciis fidei addixerunt, variisque stabilimentis tribunal fidei confirmarunt.

Bzovius a. 1491. § 3.

In omnibus porrò regnis suis Inquisitionis Officium promovere non destiterunt. Innocentius Papa VIII. anno 1491. decretum edidit contra eos qui impediunt confugientes ad Sedem Apostolicam. Editâ istâ constitutione, accidit in Hispaniis Segobiensem & Calagoritanum Episcopos eorumque parentes, consanguineos, ac nonnullas personas ecclesiasticas illustres, & opibus factionibusque potentes, criminis hæreseos apud Inquisitorem Aragoniæ, Valentiæ & Cataloniæ Generalem accusatos, per viam interpositæ ad Innocentium Pontificem appellationis voluisse forum ordinarium declinare, & in Romanâ curiâ causam disceptari. Fungebatur id temporis eo officio F. Thomas Turrecremata. Visum est regibus, eam provocationem suffugiendæ justitiæ interpositam esse, ingentisque scandali & periculi occasionem præbere. Ergo Pontifici quid vindicandæ fidei opus foret significarunt, & ne ordinariam Inquisitorum S. Officii jurisdictionem per frivola effugia in vilipendium aliqui adducere auderent, flagitarunt. Pontifex, non ignarus Episcoporum causas, præsertim si eos in hæresin labi contingat, Sedi Apostolicæ reservari, non quidem illos Romam evocavit; sed Episcopum Tornacensem Nuncium sive commissarium in Hispaniam destinavit, qui unà cum Inquisitore causam cognosceret, atque integrum ex judiciario processu negotium Sedi Apostolicæ referret, & ab eâdem Sede decretum exspectaret: de aliis, non Episcopis, hæreseos accusatis Inquisitor pro officio decerneret. *Datum id hoc tempore* (ait Surita) *pietati regum, quibus unica & præcipua cura contra impietatem dimicare.* Addit autem Paramus dicto tit. cap. 4. n. 14.
„ postea cum experientiâ, rerumque successu comperiretur, ex illo procedendi
„ modo magna incommoda dimanasse, statuit Papa, ut Inquisitor Generalis de
„ omnibus causis appellationum cognosceret; quod usque ad præsentem diem
„ servatur, Papâ nunquam permittente, ut similia negotia ex ullâ appellationis
„ causâ ad sedem Apostolicam deferantur.

Interim Ferdinandus variis cladibus Mauros affecit, ac tandem in Granatensi regno penitus subegit, ipsâ civitate Granatâ in potestatem redactâ: Quare ut regna sua penitus Judaicâ superstitione purgarent, Ferdinandus & Isabella lege latâ Judæos totâ Hispaniâ expulerunt: quibus longa sapientum consultatione præmissâ concessum fuit quadrimestre spatium, intra quod possent converti ad fidem Catholicam; vel bonis suis omnibus venditis ab Hispaniâ discedere, cum omnibus suis bonis, vel mercibus quæ ex pecuniis comparassent: pecuniam enim, argentum nec aurum (ut ait Paramus) ab Hispaniâ exportare poterant, quia id multò ante pro communi utilitate fuerat generali lege vetitum. Edictum istud novâ Thomæ Turrecremata Dominicani, Inquisitoris fidei generalis, constitutione amplius astrictum erat, mense Aprili, omnibus piis vetantis cum eâ gente commercium, gravique supplicio sancientis, si quis decurso præfixo tempore victu, aut aliâ re quâpiam eos homines juvaret. Idem Thomas de Turrecremata anteà Ferdinando & Isabellæ suaserat ne propter ingentem pecuniam remitterent Judæis, id enixè petentibus, bona confiscanda: cujus suasionibus ipsi acquieverunt: uti testatur Antonius de Sousa, *Aphor. Inquis. lib. IV. cap. XXII.* §. 3. Paramus verò *lib. 2. tit. 2. cap. 3. n. 16.* ait, ipsum regiam conscendisse, Crucifixi simulachrum sub habitu occultantem, magnaque libertate reges allocutum: *Negotium regis calleo: ecce Crucifixi Salvatoris nostri effigiem, quem perditissimus ille Judas triginta nummorum pretio appretiatum vendidit inimicis ejus, ac prodidit persecutoribus: id si factum*

Simanc. tit. 35. §. 7.

Simanc. ibid. Bzovius a. 1494. § 39.

factum laudatis, majori pretio illum vendite. Ego enim omni me abdico potestate. Mihi nihil imputetur. Vos contractus rationem reddetis Deo. Hæc ut dixit, Crucifixo in eorum conspectu deposito discessit. Elapso hoc tempore qui in religione suâ perstiterunt coacti sunt abire cum uxoribus, filiis, servis, familiaribus, & rebus suis, & vetitum illis fuit, ne unquam in Hispaniam redirent, in quâ si deinceps reperti essent, pœnâ mortis & publicationis bonorum statim ob eam rem punirentur. Cautum prætereà legibus pragmaticis est, ut nullus Judæus ingrediatur Hispaniam, quovis quæsito colore, eâdem pœnâ mortis & confiscationis bonorum in eos exequendâ, qui in Hispaniâ comprehensi fuerint; & ut nihil eis prosit, si forte dixerint, se velle ad fidem converti; nisi in primo regni limite id ipsum fuerint publicè protestati. Quod si quispiam Christianorum Judæos receptare convictus fuerit, in pœnam publicationis bonorum omnium incurrat. Pragm. 5. data Granatæ anno Domini 1492. & Pragm. 6. ibidem data anno 1499. Joannes Picus Mirandulæ Comes lib. V. cap. 12. contra astrologos hujus ejectionis eleganter meminit. Tunc autem fuerunt ab Hispaniâ pulsa quadringinta millia Judæorum, ut Reuchlin aliique testantur. Mariana autem ait, Judæorum qui ex Hispaniâ discesserunt multitudinem ad certum numerum revocare promtum non est: plerique scriptores centum & septuaginta familiarum millia abiisse confirmant; quidam ad octingenta millia capita pervenisse ait: ingens numerus, ac vix fidem facturus. Nonnullos ex iis, cum ad colligenda vasa segniores exstitissent, nec vellent Christo nomen dare, sub hastâ venditos addictosque servituti; ex his verò qui solum verterunt plures itinerum incommodis vel lue periisse, refert Surita.

Simanc. ibid.

Rainald. a. 1492. §. 7. 8.

Judæi regnis Hispaniæ pulsi maximam partem in vicinam Lusitaniam confugerunt, & à Joanne rege sub certis conditionibus impetraverunt, ut tempore aliquo definito in Lusitaniâ consisterent. Conditiones potissimæ fuerunt, ut octonos aureos singuli regi persolverent, & intrà certum tempus è Lusitaniæ finibus emigrarent: quod si post tempus istud assignatum visi in Lusitaniâ fuissent, libertatem amitterent. Rex autem tutam navigandi facultatem volentibus abire præberet. Quamdiu Rex vixit (ait Bzovius) sedulò curavit, ut Judæis fidem præstaret quam dederat. Itaque eis, qui in portubus operam illi navabant, imperavit ut agerent cum naviculariis, ut tolerabili quâdam vecturâ Judæos in regiones, quas sibi vellent, transportarent. Sanxit prætereà, ne quisquam injuriam illis inferret. Sed longè secus accidit. Mercatores enim & navicularii, qui Judæos in naves suas recipiebant, eos in mari multis injuriis acerbè admodum divexabant. Vecturæ enim pretio, quo depacti fuerant, minimè contenti, quâcunque ratione poterant, multò majorem pecuniam ab invitis exprimebant: quin & nuptis mulieribus atque virginibus vitium per vim inferebant. Quare Judæi qui in Lusitaniâ remanserant, partim tam atrocis injuriæ metu perturbati, partim quod inopiâ impediti minimè potuissent ea, quæ ad navigandum erant necessaria, intra tempus illud emere, cum tempus interim illis constitutum elaberetur, libertatem amisere. Qui igitur servum Judæum habere cupiebat, eum à rege postulabat. Interim Rex Joannes moritur.

Bzov. a. 1496. §. 15, 16

Successor illius Emanuel, videns Judæos non sponte suâ contra fœdus in Lusitaniâ post tempus à Joanne præfixum remansisse, omnes liberos esse jussit. Mox à regibus Castellæ per literas admonitus fuit, ne gentem sceleratam, & Deo ac hominibus invisam, consistere in Lusitaniâ sineret. Re maturo consilio deliberatâ Judæos & Mauros omnes in regno Lusitano agentes, qui Christi religionem profiteri nollent, regni sui finibus excedere jussit, diemque dixit, intra quem omnes, qui in ipsius regno fuissent inventi, libertatem amitterent. Ac tum illicò Mauri trajecere in Africam: Cumque pariter solum vertere Hebræi anniterentur, Rex illos, qui nondum decimum quartum ætatis annum excesserant, è patrum complexu vi abstrahi jussit, inque religione Christianâ educari. Erat res visu miserabilis, à complexu matrum filios avelli, patres liberis affixos

Rainald. a. 1496. §. 26. &c.

Bzov. a. 1497. §. 27.

raptari, & fustibus etiam contundi, clamores ingentes ubique tolli, omniaque mulierum plangore & ejulatu compleri. Fuere qui rei indignitate perturbati filios in puteos projecerint, multi etiam sibi ipsis mortem intulerint. Accedebat ad graviorem gentis miseræ calamitatem, quod illis, qui tantis injuriis affecti in Africam transmittere cupiebant, facultas minimè præbebatur: Rex enim navigandi potestatem de die in diem differebat: Itaque cum in principio fuissent illis tres in Lusitaniâ portus assignati unde conscenderent, interdixit, ne quisquam ex illis aliunde quam ex Ulisypponensi portu solveret. Quo factum est, ut maxima Judæorum multitudo Ulysipponem conflueret. Interim verò dies dicta præterfluxit, ita ut illis, qui nondum migrare potuerunt, necesse esset libertate spoliari. His tandem malis plerique victi Christianam religionem aut ex animo profiteri, aut saltem callidè simulare maluerunt, quam vitam in tantâ acerbitate traducere: baptizati, filios & libertatem receperunt. Mauris autem nulla vis illata est, ne Saraceni in Asiâ vel Africâ degentes, in suis terris Christianos opprimerent.

Factum hoc regis Pontificii adscribere solent animo pio, & zelo propagandi religionem Christianam, & impuberum saluti consulendi; interim tamen ut iniquum & injustum, & legibus ac institutis Christi contrarium damnant; cum fas non sit quemvis invitum ad Christiana sacra compellere, filiosque è patrum sinu divellere, nisi ob flagitia jure patrio excidant.

Bzovius a. 1500. § 16. Anno CIↃ IↃ Mauris Granatensibus ad fidem Christianam adducendis multum laboravit Franciscus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, Pontificis Alexandri VI. hortatu. Primò donis ac beneficiis Maurorum sacerdotum præcipuos, quos illi Alfaquinos vocant, pellexit. Horum exemplum magna turba secuta est. Verum alii se his Ximenii conatibus opposuerunt, Maurorumque animos à Christianismo vehementer deterrebant. Hos Ximenius *vinculis coërcitos in custodiâ detinuit, & indignis modis tractari permisit.* Inter hos Zegri quidam, partim ob generis nobilitatem, partim ob egregias animi & corporis dotes, autoritate præstabat. In hunc Ximenius, *omni ferè humanitate depositâ, severâ ratione animadvertere decrevit.* Traditus ergo fuit *Petro Leoni, Ximenii à sacris ministro, qui verè animo leonino præditus* eum prorsus Ximenii voluntati obtemperantem reddidit; adeo ut post aliquot dies ad Christianorum Alfaquinum duci petierit. Vinctus & squallidus coram Ximenio productus, se Christianum fieri velle dixit; id enim sibi eâ nocte manifestâ visione ab Ala (ita Mauri Deum vocant) admonitum: *Sed ne ego*, ridens inquit, *stultus sum qui aliunde momenta requiro, quam ab hoc tuo ferocissimo leone, cui si nostri semel committantur, nemo erit qui non illicò Christianus fiat.* Sic ille suscepto baptismo Christianismum professus Ximenii liberalitatem expertus est, & non modò Christianæ Religioni apud suos dilatandæ, sed & Reipublicæ commodis augendis multis in rebus posteà usui fuit. Hoc successu exultans Ximenius, omnes Alcoranos, omnesque cujuscunque autoris & generis essent codices Mahomethanæ superstitionis plenos, in publicum adferri imperavit. Quinque ferme millia voluminum fuerunt comportata, quæ omnia ignibus publicâ in pyrâ ad unum exuri jussit, præter aliquot ad rem medicam pertinentia, quæ propter saluberrimæ artis dignitatem ex incendio isto liberata in bibliothecâ Complutensi nunc servantur. Addit Bzovius. *Non deerant tamen, quibus indignum esse videbatur, prorsusque ab instituto Christiano alienum, quemquam per vim, aut hujusmodi artibus, ad fidem Christi capessendam adigere; cujus unicus scopus mansuetudo est, & promta imprimis ac sincera voluntas: cum præsertim Toletanis Conciliis, quorum tam celebris apud omnes Christianos autoritas est, severè admodum sancitum sit, nemini vim ad credendum Christo inferendam. Cæterum ille consilium in eâ re suum secutus fuit, pauloque post ad durissimum scopulum allidens, ut in rebus humanis quoties aliquid præclarum tentatur parata semper invidia est, quæ ardua quæque negotia subvertit, milleque impedimentis obsistit, animi sui constantiam ostendit, quantumque robur pectori inesset in gravissimo casu declaravit.*

Qui-

Quidam ex Ximenii familiâ, cui nomen Salzedus erat, venit in Albaizinum (locus ille est in urbe Granatâ, præruptus, & reliquæ urbi imminens, & suis mœnibus ab eâdem separatus) duobus ministris comitatus. Inter hos & Albaizinenses primò verba contumeliosa exorta sunt; à verbis tandem ad manus ventum est, & duo Salzedi comites multitudine oppressi interfecti sunt. Salzedus fugâ se proripuit, & ægrè evasit. Inde ingravescente tumultu totâ civitate seditio orta est: Concurritur circa noctem, domumque Ximenii obsidere instituunt. Duravit ea seditio decem dies, ac tandem militum præsidiariorum ope suppressa est. Albaizinenses majestatis læsæ damnati sunt, conditioque illis proposita, utrum supplicium mallent, an baptismum: atque ita ad Christum omnes ad unum sunt adducti. Hos Archiepiscopus Granatensis Christianis mysteriis per singulos dies imbuendos curavit: lectiones etiam, quæ interdum ex Veteri aut Novo Testamento, horis præsertim nocturnis occurrebant, vulgari Maurorum idiomate neophytis passim recitari demandavit, librosque excudi permisit, quibus aliquot Missarum solemnia & nonnullæ Euangeliorum partes in Arabicam linguam translatæ continentur. Verum id impedivit Ximenius, *piaculum* dicens, *margaritas ante porcos projicere:* posse vulgari sermone circumferri libros ab hominibus piis scriptos: *Cæterum Novum & Vetus Instrumentum, in quibus multa sunt, quæ doctum & attentum lectorem, castumque & pium hominem requirunt, tribus illis linguis asservanda esse, quas non sine maximi mysterii causâ charissimi Filii capiti in acerbissimo, quod patiebatur, supplicio Deus superponi voluit;* affirmabatque, *tunc demum magnam Christianæ religionis perniciem affuturam, quando utriusque Testamenti oracula in vernaculas linguas vulgarentur.*

Seditio hæc ulterius regnum Granadæ pervasit. Ximenius Mauros quosdam, Elches dictos, qui Christiana sacra, quæ prius susceperant, rursus rejecerant, Inquisitorum permissu cogere voluit; quin & teneros filios per vim avulsos baptizari jussit. Id turbarum initium fuit, quæ brevi adeò invaluerunt, ut communicatâ conspiratione plurimis in locis Mauri rebellarint. Verum cum viribus inferiores essent Hispanorum armis subacti sunt, & Christiana sacra suscipere coacti. Tandem cum ubique victi essent ac profligati positis armis de compositione ultrò appellarunt. Datum ab rege, ut in Africam discedere volentibus libera facultas esset, navibus etiam ad Astapæ portum ad trajiciendum integrâ fide paratis, per capita tantum denos aureos singuli trajecturi penderent libertatis pretium. Qui patriâ carere nollent, Christo ii sincerè nomina darent. Firmato iis conditionibus fœdere multi in Africam abiere: *multò plures restiterunt in Hispaniâ, in simulatæ Christianæ religionis specie, nihilo abeuntibus saniores, ingenio pervicaci.*

Anno 1501. monente Alexandro summo Pontifice Ferdinandus Castellæ Rex Mauris catechizandis & ab apostasiâ cohibendis operam dabat. In Castellâ edictum promulgavit, in eosdem Mauros totâ provinciâ, ac in Bæticâ præsertim nullo non commercii genere cum piis confusos, *Mudegiares* vulgo dictos, ut, nisi Christo darent nomina Christianâ religione susceptâ, finibus certè intra diem certum discederent. Bzovius a. 1501. § 13.

Carolo post Ferdinandi avi sui obitum regnante noviter conversi octingentos mille aureos obtulerunt, si imperaret, ut testes in tribunali Inquisitionis publicarentur. Rex adolescens octodecim annorum magnâ illâ pecuniæ summâ valdè sollicitabatur; verum Cardinalis Ximenius Generalis Inquisitor, proposito illi maximo testium istiusmodi periculo, & quod inde Ecclesia contraheret detrimento, ac Ferdinandi avi sui exemplo, ut Rex oblationem illam aspernaretur effecit. Param. lib. 2. tit. 2. cap. 5. n. 4.

CAPUT XXV.

De Inquisitione Lusitanâ.

SUperius dictum est, Judæos ex Hispaniâ pulsos certis sub conditionibus à rege Lusitaniæ esse receptos. Ille tamen non multis post annis tribunal Inquisitionis, ad instar illius quod in Hispaniâ est, in regno suo erexit. De quo paucis Bzovius loquitur, ad annum Christi 1557. §. 56. 57. ubi mortem regis Joannis III. describit. „ Quanto arserit studio conservandæ pristino in „ splendore fidei, palam ostendit, sacrum Quæsitorum hæreseos tribunal in Lu„ sitaniam induxisse; ruptis in urbe gravium difficultatum obicibus, quas ad im„ pediendos aut retardandos regis conatus dæmon fraudulenter exstruxerat. A„ lieno enim capite expertus multorum regnorum malo sapiebat, quibus olim „ florentissimis miserandum excidium & ruinam pestifera hæreticorum monstra „ crudeliter intulerunt. In quo illud observatione valdè dignum, quo anno in „ Lusitaniam ductum est contra hæreticam pravitatem sanctæ Inquisitionis tribu„ nal, dirâ sterilitate ac fame regnum miserè laborabat; constituto jam tribuna„ li subsecutus est annus ob incredibilem fertilitatem insignis, vulgò dictus divi „ Blasii, quod ante illius festum ad tertium nonas Februarias recurrens, ob plu„ viæ defectum semina terræ mandari non potuerint, sed postea fuit tanta an„ nonæ vilitas, ut frumenti modius victoriato staret.

Quâ ratione autem Rex Joannes III. tribunal hoc in Lusitaniam invexerit, nusquam explicat: Solummodò ad annum Christi 1535. §. 33. exhibet diploma Pauli III. cujus initium, *Illius vices in terris gerentes.* quo, ut hæreticos & infideles regni Portugalliæ & Algarbiorum ad veram fidem alliceret, absolutionem & indulta à Clemente VII. antecessore jam conversis concessa approbavit; in quo narratur, quod Clemens VII. Didacum de Silvâ Ordinis Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paulâ Professorem, in suum & Apostolicæ Sedis commissarium, ac super Christianis novis, ad ritum Judæorum à quo discesseserant redeuntibus, nec non alias hæreses & errores sequentibus, Inquisitorem in regno ac dominiis prædictis, cum plenâ potestate contra de hujusmodi criminibus reos aut suspectos inquirendi, eosque carcerandi, puniendi & corrigendi, deputavit: Et quod deinde ex certis rationabilibus causis, prædictas & quascunque alias literas suas, ac per illas eatenus eidem Didaco, & quibusvis aliis etiam locorum Ordinariis super præmissis concessas facultates & commissiones per alias ad suum beneplacitum suspendit, ac per Fratrem Marcum Episcopum Senogalliensem Sedis Apostolicæ apud Regem Lusitaniæ Nuntium, Didaco & Ordinariis prædictis, aliisque Inquisitoribus in partibus illis posteriores illas literas intimavit. Postmodum prolixè narrat, quas gratias Clemens VII. prædecessor suus noviter conversis, aut ex conversis è Judæis descendentibus fecerat; quas omnes ipse approbat ac confirmat, decernens ut omnibus ejusmodi, etiamsi jam incarcerati sint, & crimina eorum in judicio notoriè probata, ipsique condemnati sint ut hæretici, omnes pœnæ illis ut talibus ante datam dictarum literarum irrogatæ remittantur: quodque ad confessionem, abjurationem, renuntiationem, &c. non teneantur; & è carceribus, ab exiliis, & bannis relaxentur & liberentur; omnibusque privilegiis ac gratiis gaudeant, quibus alii Christi fideles eorumque filii & nepotes potiuntur & gaudent, omnemque inhabilitatis & infamiæ notam inde contractam penitus abolet: omnes processus contra illos formatos & sententias latas, aliaque quæcunque gesta, etiam post dictas literas facta, cassat, irritat, delet, & annullat, ipsaque bona sic confiscata ipsis aut eorum hæredibus, si Fisco incorporata non sint, restituit: quodque de criminibus hæresim, apostasiam, ac blasphemiam sapientibus, per ipsos usque ad diem

diem datæ præsentium quomodolibet perpetratis, nullatenus inquiri, accusari vel molestari possint, nec eorum occasione ipsis vel ipsorum filiis ullum præjudicium afferri, nec ipsi ut reconciliati aut absoluti censeri possint, ac proinde nec si in aliquem prædictorum errorum reinciderint propterea relapsi censendi sint. Vult autem quod carcerati, vel sub cautionibus relaxati, qui de hæresi, aut à fide apostasiâ, seu blasphemiâ hæresin sapiente condemnati aut convicti fuerunt, aut desuper confessionem fecerunt, abjurationem super hoc coram aliquo jurisdictionem habente per eos eligendo publicè facere omninò teneantur: Et abjuratione hujusmodi factâ, etiam absque publicâ pœnitentiâ per eos faciendâ, juxta formam prædictarum sub plumbo confectarum literarum omninò relaxentur. Datum fuit illud diploma Romæ, die XII. Octob. anno Domini 1535. Ex hoc decreto rectè colligitur, jam ante hunc annum Inquisitionem in Lusitaniam fuisse introductam, & cursum illius posteà fuisse ad tempus suspensum; non tamen perinde liquet, quando & quâ ratione primum introducta sit, quæque suspensionis illius causæ fuerint. Hæc ergo ex aliis autoribus illustranda sunt.

Refert Ludovicus Paramus, *lib. II. de origine Inquisitionis. tit. 2. cap. 15. num. 6. tit.* „ *de Inquisitione Lusitaniæ*, quem plures alii sequuntur, quendam N. Sahavedram „ Cordubensem, (quem Mendoça Joannem Perez de Sahavedra vocat, quo no„ mine Paramus tum ejusdem parentem, tum etiam quendam ex ejus fratribus „ appellat) scripturarum, brevium, seu literarum Apostolicarum falsificatorem, „ anno Domini CIↃ IↃXXXIX. falsificatis, seu potius falsis literis ac bullis, se„ ipsum Cardinalem Legatum instituisse, ac pronuntiasse à summo Pontifice mis„ sum, ut sacrum Inquisitionis tribunal in hoc regno institueret, quod, inquit „ Paramus, Lusitaniæ reges recipere renuebant, quamvis posteà fructum ex præ„ fati Sahavedræ institutione provenientem considerantes, illud à summo Pon„ tifice postularent. Paramo ex parte opponitur Mendoça, asseritque Cardina„ lem Taueira, anno Domini CIↃ IↃ XXXIX. serenissimum Lusitaniæ regem „ Joannem tertium in eam sententiam adduxisse, ut sacrum Inquisitionis tribu„ nal, eo modo, quo in Castellæ regnis vigebat, in suis quoque regnis institui „ curaret: quod jam prius, inquit ille, præfatus Rex anno CIↃ IↃ XXXV. ob„ tinere conatus est. Uterque tamen, tam Paramus quam Mendoça in hoc con„ veniunt, prædictum scil. Sahavedram sanctæ Inquisitionis tribunal in Lusi„ taniâ instituisse, Inquisitorisque generalis munus sex mensibus, quibus in hoc „ regno commoratus est, exercuisse, ac tandem in Castella agnitum, tentum, „ & ad triremes damnatum fuisse. Denique Paramus refert, hæc omnia Sahave„ dram de seipso scripta reliquisse. Hæc brevissimè ex Paramo, qui rem latissimè literis prosequitur, excerpsit Antonius de Sousa, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magister, regis & supremi Sanctæ Inquisitionis tribunalis consiliarius, *de origine tribunalis S Officii Inquisitionis in regnis Lusitaniæ*, quæ præmittitur ipsius Aphorismis Inquisitorum: Ubi etiam hanc Parami narrationem refutare conatur. Ipse vero hanc Inquisitionis in Lusitaniâ originem refert.

Judæi à Joanne II. rege Lusitaniæ certis sub conditionibus in regnum suum „ recepti sunt, prout anteà ex Bzovio observavimus. Regi Joanni II. Rex E„ manuel successit, qui anno Domini CIↃCCCCXCVII. omnes Judæos sub eâdem „ quâ prædecessor ejus pœnâ libertatis amittendæ, ex Lusitaniæ regnis publico „ edicto migrare præcepit; & licet in pœnam inciderint, non tamen ipsa, ob „ regis clementiam, suum sortita est effectum. Plures quidem ex illis abierunt; „ quidam verò, apud quos valuit me us ac timor vexationum, quibus à mini„ stris, nautis, & aliis, qui eos suis navigiis ad alias regiones transferebant, op„ primebantur; vel etiam utilitas, quam ex ubertate regionis, quam incolebant, „ & in quâ sibi benè erat, se adepturos sperabant, Christianos se fieri postula„ runt: hac tamen conditione, ut ante viginti annos elapsos de eis circa res fidei „ inquiri non liceret. Atque hâc conditione sacrâ baptismatis aquâ abluti sunt.

„ Cum

„ Cum tamen hujusmodi Judæi Catholicam fidem non verè atque ex animo, sed „ fictè tantum atque exterius fuerint professi; Judæi quidem, sicut anteà, per- „ manserunt, quamvis, eò quod occulti, perniciosiores. Unde filios suos in „ antiquis Judaismi erroribus nutriebant. Quod hodie quoque plures eorum „ facere experientia quotidiana demonstrat.

„ Regem Emmanuelem subsecutus est Rex Joannes III. anno CIↃIↃXXI. qui „ cum Judaismum suo tempore valdè licentiose serpere, Judæosque publicè suos „ errores profiteri, atque alios docere, suosque domesticos servos, non eos tan- „ tum qui ex suo erant sanguine procreati, sed eos etiam qui veteres erant Chri- „ stiani, suæ doctrinæ veneno inficere, Ecclesiæ Sacramenta contemnere, nec „ ea in mortis articulo recipere, sacras, præsertim vero nonnullas Deiparæ vir- „ ginis, Dominatricis Angelorum (verba sunt Antonii de Sousa) imagines irre- „ verenter tractare animadverteret, idque animo & cogitatione evolveret, à Sum- „ mo Pontifice Clemente VII. sacrum Inquisitionis tribunal pro suis regnis ob- „ nixè postulavit. Et quamvis præfatus summus Pontifex ob magnum Judæo- „ rum negotium regiæ petitioni summo conatu repugnantium (semper enim Ju- „ dæis invisum fuit sanctæ Inquisitionis tribunal, quod hodiernâ quoque diē non- „ nulli iniquè ferunt; utrum eâdem, an diversâ intentione, ipsi viderint) diu „ ac sæpe reluctaretur, ægrè tandem concessit in formâ juris, anno CIↃIↃXXXI. „ 16. Kalend. Januarii.

„ Post hanc concessionem statim, anno CIↃIↃXXXIII. generalem commisso- „ rum adversus fidem Catholicam criminum indulgentiam obtinuerunt ab eodem „ Clemente VII. quæ tunc suum non est sortita effectum. Mortuo tamen Cle- „ mente à Paulo III. qui ei in Pontificatu successit, importunis precibus, assi- „ duâ negotiatione, iis etiam qui effectui intento erga incorruptum Pontificem „ auxilium ac patrocinium præstare poterant, obtinuerunt anno CIↃIↃXXXIV. ut „ & Lusitaniæ Inquisitores in eâ formâ quâ ad id usque tempus utebantur, su- „ spenderentur, & anno sequenti CIↃ IↃXXXV. generalem indulgentiam adepti sunt „ quæ prius à Clemente concessa fuerat. (Hæc est illa, quam paulò ante ex Bzo- vio retuli.) Hinc ergo effectum est (cum hujusmodi indulgentiam non ad crimi- „ num correctionem, sed ad laxiorem Judaicis ritibus intendendi licentiam, po- „ stulassent, sicut rei probavit eventus) ut Judaismus magis ac magis serperet, „ sicut ipsemet Pontifex posteà testatus est in suis literis datis XV. die Julii „ CIↃIↃXLVII. quibus nonnullas immunitates, quas eisdem concesserat, quibus „ ipsi utebantur, eorum malitiâ offensus revocat.

„ Interim cum præfatus Dominus Rex Joannes III. fidei negotia in dies rue- „ re, ac deterius habere cerneret, summumque Pontificem ea quodammodò „ non curare, adhibito Inquisitionis remedio in eâ formâ quæ rebus convenien- „ tior erat; ad eumdem Pontificem literas dedit, sancto quo ardebat zelo digniss- „ simas, quibus eum certiorem reddebat, se tum coram prædecessore suo Cle- „ mente VII. tum etiam coram ipso, de hac re per quindecim annos summâ „ solicitudine egisse. Quibus literis, rationibusque in eisdem contentis, summus „ Pontifex permotus, anno Domini CIↃIↃXXXVI. concessit. Ex quo tempore „ ad nos usque sacrum hoc Inquisitionis tribunal Inquisitorisque Generalis munus „ in hoc regno continuâ successione pervenit.

Et ad majorem dictorum suorum confirmationem addit seriem Inquisitorum Generalium in regno Lusitaniæ, quorum primus fuit D. Fr. Didacus de Sylvâ, (an ex Ordine Minimorum S. Francisci de Paulâ, an Minorum S. Francisci Assisiensis non consentiunt Scriptores) Septæ Episcopus, & regi Joanni III. à confessionibus; usque ad undecimum, à rege Catholico jam nominatum, & ab Urbano VIII. creandum: Cui subjungit seriem supremæ Generalis Inquisitionis deputatorum seu Consiliariorum, à singulis Inquisitoribus Generalibus creatorum. Porrò sequuntur institutiones tribunalium Inquisitionis in diversis regni Lusitaniæ civitatibus, Inquisitorumque qui in singulis tribunalibus deputati sunt,

sunt, nomina adscribit. Eborensis Inquisitio instituta est à Didaco de Sylvâ, primo Inquisitore Generali, anno CIↃ IↃXXXVII. primusque illius Inquisitor Joannes de Mello, Juris Pontificii Doctor, posteà Episcopus Silvensis seu Algarbiensis, ac tandem Archiepiscopus Eborensis, quem Didacus de Sylvâ anno superiore unum ex quatuor Consiliariis supremæ generalis Inquisitionis esse voluit. Ulyssiponensis instituta fuit à Cardinale Henrico, secundo Inquisitore Generali, anno CIↃ IↃXXXIX. eique primum Inquisitorem præfecit, Joannem de Mello, qui prius à D. Fr. Didaco de Sylvâ factus fuerat primus Eborensis Inquisitor. Ab eodem Cardinale Henrico anno CIↃ IↃXLI. instituta fuit Inquisitio Conimbricensis, in eâque duos Commissarios Inquisitores delegavit, nimirum D. Fratrem Bernardum de Cruce, ex familiâ Prædicatorum, sancti Thomæ Episcopum & Conimbricensis Universitatis rectorem, ac Gomezium Alphonsum, in jure Canonico Baccalaureum, & collegiatæ Ecclesiæ Vimarenensis Priorem. Tandem & in Indiâ instituta fuit Inquisitio Goënsis. Franciscus Xaverius per literas ad regem Joannem III. missas X. die Novembris anni CIↃ IↃXLV. significavit, Judai„cam perfidiam in partibus Indiæ Orientalis, regno Lusitaniæ aggregatis & sub„jectis, indies magis ac magis serpere; in iisque instanter ab eodem rege postu„lavit, ut in tantæ perfidiæ remedium Inquisitionis Officium in illam regionem „mittendum curaret. Quare Cardinalis Henricus, tunc in Lusitaniæ regnis In„quisitor Generalis, in civitate Goënsi, illius Provinciæ Metropoli, sanctæ In„quisitionis tribunal erexit, Inquisitores, Officiales, & ministros necessarios in „eas partes misit, qui fidei negotia diligenter tractarent. Inquisitorum primus „fuit, Alexius Diaz Falcano, missus à Cardinali Henrico XV. die Martii an„ni CIↃ IↃLX. qui in fine ejusdem anni Goam pervenit, cœpitque Inquisitoris „officium exercere.

Quibus fusè admodum commemoratis tandem Alphonsus de Sousa ita conclu„dit. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, atque ex Apostolicis Bullis, quarum „exemplaria in regiis archivis, & item in sanctæ Inquisitionis scriniis asservantur, „ex libris etiam particularium Inquisitionum hujus regni, manifestè colligitur, „falsum esse, quod supra relati autores referunt, nempe Sahavedram sacrum In„quisitionis tribunal in Lusitaniâ instituisse, vel saltem institutionis ejus causam „exstitisse. Patet enim prius Apostolicum breve pro ejus institutione anno Do„mini CIↃ IↃXXXI. secundum verò anno CIↃ IↃXXXVI. editum fuisse; cum tamen „Sahavedra, sicut præfati autores asserunt, tribus post annis, videlicet anno „CIↃ IↃXXXIX. extiterit: quod à Paramo, qui idem scribit, advertendum erat. Sed verò Paramus etiam affirmat, ante annum CIↃ IↃXXXIX. Inquisitionem in Lusitaniâ obtinuisse, eundemque Didacum de Sylvâ Inquisitorem fuisse narrat; dicit eam tantum quasi imaginem genuinæ Inquisitionis fuisse: fraude autem Sahavedræ Inquisitionem, qualis in Hispaniâ viget, introductam. Tandem & alia addit argumenta non contemnenda, quibus repugnantiam in dictis Parami „ostendit. Totamque hanc disquisitionem claudit hoc argumento: Quod cre„dibile non sit, fraudulentum hominem cum autoritate Cardinalis, ac Nuntii „à latere missi ad Inquisitionem instituendam, in hoc regno per sex menses po„tuisse commorari, absque eo quod cognosceretur. Nam eo tempore erant in „Curiâ Romanâ Oratores regis Joannis III. super negotiis Inquisitionis; quos „debuit Rex præmonere de adventu talis Nuntii, & ipsi de veritate eum certio„rem facere, cum ad hæc sex mensium tempus suppeteret: quod nequaquam con„tigit. Interim miratur (uti verè mirandum est) Paramum, qui unius Inqui„quisitionis, de quâ agere instituebat, non accuratius originem investigaverit, „cum tamen in eâ etiam hodiè minister reperiatur, qui ministros temporis illius „novit: non difficilè foret fundationis sive institutionis illius bullas, repliquas„que, quibus sine intermissione continuâ serie ad hodiernum usque diem per„venit, evolvere ac inspicere.

Nimis autem credulum putat fuisse Paramum, quod, cum fateatur Saha-

„vedram hominem fuiſſe nequam, fraudibus aſſuetum, falſarium, itemque „hujuſmodi eventum ſibi difficilem, ſuoque intellectui repugnantem videri, „reverâ tamen eo modo, quo narrat, contigiſſe credit, ac pro certo comper-„toque habet, ſolâ ipſius Sahavedræ autoritate ductus, qui de ſe ita ſcriptum „reliquit: Ac Paramum, qui in animum inducere non poteſt, quod ſibi Sahavedra tantum crimen imponere auderet, ita refellit: „Quaſi non ſummum ho-„norem reputaret homo fraudulentus, falſarius ac infamis, ſi propter tam mi-„rabile opus in omnium memoriâ viveret, illudque ſuæ punitionis ac damna-„tionis ad triremes cauſam fuiſſe aſſereret, ut vel ſic crimina, propter quæ hu-„juſmodi ſupplicium meruit, occultaret.

Souſa Aphor. Inq. l. 4. c. 15. Poſtquam Inquiſitio in regnum Luſitaniæ introducta fuit, tres veniæ generales in toto regno & partibus illi ſubjectis conceſſæ ſunt univerſæ nationi deſcendentium ex Hebræis converſis, quæ per totum regnum fuerunt publicatæ. Prima facta fuit à Clemente VII. per Bullam expeditam VII. die Aprilis anno 1533. Hæc tamen ſuum non eſt ſortita effectum. Poſtea Paulus III. qui Clementi in Pontificatu ſucceſſit, veniam generalem ab eo conceſſam confirmavit, & de novo conceſſit die XII. Octobris anno 1535. & poſteà anno 1536. literas dedit ad fundandum Sanctum Inquiſitionis tribunal: quarum epitomen ex Bzovio retulimus. Secunda facta fuit ab eodem Paulo III. diè XI. Maji, anno 1547. qui occaſione reducendi modum procedendi Inquiſitionis ad terminos juris (nam anteà, uti ajunt, magnis adhibitis moderationibus in favorem noviter converſorum procedebant Inquiſitores) bono Eccleſiæ exigente, ut ſervato juris rigore procederetur contra Judaizantes, ne noviter converſi & eorum filii pro præteritis erroribus rigoroſæ Inquiſitioni ſtatim ſubjacerent, veniam generalem conceſſit. Fuit illa publicata X. diè Junii anno 1548. Tertia conceſſa fuit à Clemente VIII. die XXIII. Auguſti anno 1604. quæ publicata fuit in regno Luſitaniæ XVI. die Januarii anno 1605. Cauſæ illius, quæ ex Bullâ hujus conceſſionis colliguntur, ſunt tres. Prima: Quod pœnæ contra hæreticos latæ abſque remiſſione executioni mandantur per Inquiſitores. Secunda: ne deſcendentes ex Hebræis, cum pro certo habeant præcluſum ſibi eſſe aditum conſequendi ſimilem veniam, efficiantur pejores, peccataque peccatis adjiciant. Tertia: quia conceſſâ hujuſmodi veniâ generali, abſque dubio ſperandum eſt, quod brevi tempore abſentes ad hoc regnum revertentur, retinentes cultum fidei Catholicæ ſub obedientiâ regis Philippi, qui (inquit Souſa) hoc maximè deſiderat, & inſtanter petit.

Qui harum veniarum cauſas attentè conſiderat, facilè videbit, ſub nomine veniæ majorem introduci ſævitiam ac rigorem. Id in ſecundâ veniâ nimis quam manifeſtum eſt. Voluerunt duriorem contra novos Chriſtianos Inquiſitionis rationem introducere, quare ut prætextus non deëſſet, & id abſque ullâ iniquitatis ſpecie fieri dici poſſet, priorem Inquiſitionem abrogarunt, ut ita novæ Aphor. Inquiſ. l. 4. c. 19. § 9. ac durioris introducendæ locus eſſet. Quod non obſcurè indicavit Antonius de Souſa, qui veniam hanc defendit, hac adhibitâ ratione, quod *abſque reprehenſione diſpoſitionem juris propter ea, quæ de novo emergunt, alterari & mutari videamus, eò quod novo indigent remedio.*

Ibid. c. 16 & 17. Sed & ipſæ veniæ, quantumvis videantur amplæ, multis limitatæ ſunt re-„ſtrictionibus. Sunt quidem conceſſæ omnibus utriuſque ſexus noviter converſis „ad fidem ex Judæis in regnis Luſitaniæ & eorum dominiis, prædictorum fi-„liis, nepotibus, vel deſcendentibus in eiſdem degentibus, forenſibus ac alie-„nigenis, tam præſentibus quam abſentibus, ſeu qui ab iiſdem regnis & domi-„niis aliàs receſſerunt, etiamſi banniti fuerint. Clem. VII. Paulus III. & Clem. „VIII. Non tamen hiſce gratiis gaudent abſentes, qui habitum & nomen „Chriſtianorum non retinuerunt, ſed à fide Chriſti manifeſtè receſſerunt. Clem. „VII. Paulus III. & Clemens VIII.

„Remittuntur prædictis omnia delicta hæreſis, apoſtaſiæ à fide, blaſphemiæ,

„ miæ, & aliorum quorumcunque delictorum, quantumcunque gravia sint, & „ qualificata.

„ Absolvuntur ab omni excommunicationis sententiâ, suspensionis & interdi- „ cti, & ab aliis ecclesiasticis censuris, etiamsi illis à quadraginta & ulterioribus „ annis insorduerint, aut Sedes Apostolica pro eis consulenda foret; ac etiam „ ab illis, quæ in Bullâ Cœnæ continentur.

„ Absolvuntur ab omnibus prædictis in foro civili, criminali, contentioso, „ conscientiæ & animæ: ab aliis verò criminibus pravitatem hæresis non sapien- „ tibus, in foro conscientiæ duntaxat.

„ Restituuntur ad illum statum, in quo erant tempore quo fuerint baptizati, „ liberanturque ab omni infamiæ notâ, quam per se, vel per suos consanguineos „ aut affines contraxerunt, ac si nunquam de Catholicâ fide deviassent. Resti- „ tuuntur denique ad omnem dignitatem, gradum, officium, beneficium & or- „ dinem, in quibus anteà erant; & insuper habilitantur ad omnes hujusmodi di- „ gnitates consequendas. Hanc tamen habilitationem Clemens VIII. eis non „ concessit.

„ Reddenda eis sunt omnia bona confiscata, & omnes fructus inde percepti, „ etiamsi ad alios jam pervenerint, dummodo fisco incorporata non sint.

„ Omnes carcerati, vel alias detenti, exules, & banniti, etiamsi ob prædicta „ crimina sententiati jam sint, à carceribus, detentione, exilio, & bannis omni- „ nò liberantur.

„ Exstinguuntur omnes processus, informationes, probationes, cautiones, fi- „ de-jussiones, & obligationes, sub quâcunque formâ, etiam cum juramento: „ omnes etiam denuntiationes contra ipsos factæ circa crimen hæresis, apostasiæ, „ blasphemiæ, & similium hæresim sapientium; ne de cætero pro illis accusari mo- „ lestarive ullo modo possint: neque ex prædictis criminibus indicium aliquod, „ etiam minimum, contra ipsos in posterum sumatur.

„ Non sunt eis imponendæ pœnitentiæ aliquæ publicæ, & à jam impositis li- „ berantur.

„ Qui de præsenti relapsi sunt, & pro crimine relapsiæ in hæresim vel aposta- „ siam in carceribus detinentur, curiæ sæculari tradendi non sunt ultimo suppli- „ cio plectendi, sed aliis pœnis judicio Inquisitorum impositis liberi dimittun- „ tur. His tamen Clemens VIII. nullam immunitatem concessit.

„ Qui hac gratiâ usi fuerint, quamvis in hæresin vel apostasiam relabantur, non „ habentur pro relapsis, nisi judicialiter abjuraverint.

Restrictiones autem, quibus gratiæ hæ circumscribuntur ac limitantur, variæ „ sunt. Qui à diè publicationis literarum veniæ generalis in aliquam hæresim in- „ ciderunt, vel in veteri errore perstiterunt, non gaudent immunitatibus à Cle- „ mente VII. concessis.

„ Absolutiones in foro animæ non consequuntur, nisi qui corde contriti, & „ verè confessi in Sacramento Pœnitentiæ à Confessario per ipsos eligendo, ex „ approbatis tamen ab Ordinario, absolvuntur.

„ Non liberantur à pœnitentiis per sententiam Inquisitorum injunctis, qui eas „ extra carceres non compleverunt.

„ Non dispensantur in irregularitate, qui in contemtum clavium, cum essent „ censuris astricti, Missas celebrarunt, aut illis aliàs se immiscuerunt.

„ Pœnitentias impositas ab Inquisitoribus iis, qui è carceribus liberantur præ- „ viâ abjuratione, ipsi abjurantes tenentur adimplere.

„ Ab abjuratione coram Inquisitoribus faciendâ non eximuntur, qui in carce- „ ribus detenti, vel sub fide-jussione dati, convicti erant vel confessi: Qui si- „ militer à relapsiâ non liberantur, si posteà relabantur in hæresim, vel aposta- „ siam.

„ Juxta bullam Clementis VII. ad consequendam gratiam in dictâ bullâ con- „ cessam, etiam in foro externo, necesse erat, quod crimina confiterentur coram

„ Nuncio, Inquisitoribus, Ministris ab eisdem deputatis, vel confessario ab „ ipsis, quibus concedebatur gratia, electo; & quod eorum nomina & cognomina in aliquo libro scriberentur. Hæc conditio ablata fuit à Paulo III. & Clemente VIII. quoad forum temporale, civile, criminale, & contentiosum, in „ quo prædicti homines eximuntur à confessione, abjuratione, renuntiatione, „ punitione, vel diligentiâ quâcumque.

„ Non gaudent prædictis immunitatibus, qui tempore publicationis literarum „ in regno & dominiis Portugalliæ nullo modo domicilium vel habitationem habentes, intra terminum in ipsis literis præscriptum ad dictum regnum, vel ad „ aliquod dominium illius non redierint.

„ Sententiæ contra prædictos homines jam latæ, & executioni mandatæ, non „ annullantur.

Præter has tres aliæ novis Christianis in regno Lusitaniæ non sunt concessæ veniæ; neque in posterum ullas esse concedendas multis rationibus Theologi Lusitani contendunt: inter alia allegantes, quod hujusmodi curationis modo, ab„ sque ullo fructu, sæpe usi sunt & summi Pontifices, & Inquisitores Generales in Lusitaniæ regno. „ A principio enim duplicatæ veniæ (verba sunt Anto„ nii de Sousa) lenitate non sunt sanati: posteà ab anno 1535. usque ad annum „ 1548. aliquibus suppliciis affecti, non tamen servato cum eis toto juris rigore, „ morbus perfidiæ invaluit: deindeque usque ad annum 1606. applicatâ juris se„ veritate, nullum in eis salutis signum apparuit: iterum benignitate veniæ ge„ neralis, & aliquibus gratiis etiam generalibus recreati, magis perfidia crevit, „ ita ut ferè incurabiles videantur. *Cum igitur nec misericordiâ, nec justitiâ curentur,* „ *cauteriis procedendum est, & juxta sacrorum Canonum severas sanctiones tractandi sunt:* „ *& quia Judaicis erroribus addicti adhuc inveniuntur, acerbissima pœna in eos excogitan-* „ *dæ sunt: ubi namque tot veniis interruptus non fuit Inquisitionis processus, ut in regnis* „ *Hispaniæ, videtur penè exstinctus Judaismus.*

Ibid. c. 21. n. 9.

Sebastianus Lusitaniæ Rex occasione infausti & exitialis profectus in Africam „ concessit descendentibus ex Judæis, multis datis pecuniis, quod per decen„ nium bona ipsorum non publicarentur, multum licet dissuadente avunculo „ ipsius Philippo II. Hispaniæ rege: immunitatem hanc concessit autoritate Gre„ gorii XIII. per Bullam expeditam VI. die Octobris anno 1579. Posteà vero „ debellato regis exercitu à Saracenis, successit in regiam dignitatem Cardina„ lis Henricus, ejusdem Regis patruus magnus, qui statim die XIX. Decembris ejus„ dem anni, annuente eodem Pontifice, dictam concessionem revocavit, dicens „ in diplomate revocationis, quod, *habito maturo consilio cum viris doctis, convenere* „ *omnes, teneri ipsum ad talem revocationem faciendam, quia bonum fidei id maximè po-* „ *stulabat.* Postquam Rex Philippus Lusitaniæ coronam adeptus est, oblatis mul„ tis pecuniis à novis Christianis sollicitatus est, ut generalem veniam in eorum favorem à Papâ impetraret: Verum ille preces ipsorum sprevit, cum tamen Franciæ & Angliæ bellis appeteretur; suggerentibus ipsi Theologis, *Deum hujusmodi pecuniis quam maximè offendi, & nullum ex illis prosperum eventum fuisse secutum.*

Ibid. c. 22. n. 4. 5.

Proximis hisce annis novorum Christianorum natio in Lusitaniâ plurimis supplicationibus abolitionem, aut saltem mitigationem Inquisitionis obtinere conata est. Cum enim expulso Rege Alphonso frater illius Petrus gubernacula regni capesseret, utque novam potentiam stabiliret, indulgentiâ ac benignitate subditorum animos sibi conciliare vellet, novorum Christianorum natio etiam Inquisitionis remissionem ab ipsius benignitate sperare ausa est. Deputavit itaque quosdam ex suis, qui anno CIↃIↃCLXXVI. die IX. Junii Celsitudini ipsius libellum supplicem totius nationis nomine obtulerunt, in quo narrant, se anteà ipsi libellum supplicem obtulisse, in quo veniam sibi concedi petunt, à Papâ Romano temperamentum aliquod circa Inquisitionem suppliciter postulandi; illumque ajunt adhibito plurium Theologorum ac Juris doctorum consilio, istud ipsis concessisse. Addunt: quod Legatum suum extraordinarium Romam eum

in finem miserat; & quod Officium Inquisitionis, ac Episcoporum Collegium, suos Deputatos, qui ambo Inquisitores erant, similiter Romam miserunt, Celsitudinis suæ literis instructos: Se verò literis Româ allatis certiores reddi, Legatum ipsius non tantum nullum ipsis præbuisse auxilium, sed cum Inquisitoribus Deputatis sociatâ operâ allaborasse, ut negotium hoc æterno prematur silentio; quoniam Inquisitionis leges ne quidem in minimâ parte mutatas cupiant. Requirunt itaque ab ipsius Celsitudine authenticum regium diploma, quo Papæ & Supremæ Inquisitionis Congregationi Romæ constare possit, Celsitudinis suæ intentionem minimè esse, ut causæ hujus decisio suspensa maneat: sed ipsam id unicè intendere, ut justitia fiat. Eodem die etiam Celsitudinis suæ Confessarium oblato libello supplice enixè orarunt, ut Celsitudinem suam ad petitioni suæ annuendum disponat.

Cum verò nihil proficerent, anno CIƆ IƆC LXXX. X. die Januarii Papæ Romano libellum supplicem obtulerunt; in eo ajunt, se accessisse missos ac deputatos à novis Christianis in regno Lusitaniæ, & præcipuè quidem à captivis in carcere Inquisitionis, quorum numerus sit circiter quingentorum, omnis generis & conditionis, quorum quidam duodecim, alii quatuordecim, nulli infra septem annos in carcere detenti fuerunt, & squallore ac situ contabuerunt: varias porrò novorum Christianorum miserias commemorant, & quâ ratione ab Inquisitoribus eludantur, ne ipsorum negotium expediatur: Orant ergo Papam, ut miserum populum benignè respiciat, illiusque misereatur; & Inquisitoribus iteratò præcipiat, ut causam ipsorum expediant: utque eò facilius moveatur, exhibent ipsi documenta aliquot, quæ se idoneis testibus probare posse ajunt, ex quibus liquidò constet, Inquisitores, non obstante interdicto Pontificio, in muneris sui administratione & miserorum vexationibus quotidiè pergere.

Eodem anno XI. die Martii alterum Papæ obtulerunt libellum supplicem, in quo narrant, se post oblatum priorem libellum Ulyssipone denuo literas accepisse, quibus varia contineantur, quæ in aulâ regiâ in favorem Inquisitorum acta erant, & ejusmodi quidem, quæ hoc rerum statu planè præter ipsorum exspectationem evenissent: multaque narrant illic, occasione mutationis regni, acta & gesta: & quod chartæ & scripta, quæ ipsi Papæ tradiderant, nec non scripta Curiarum & aularum, in manibus essent Inquisitorum Lusitanorum, qui de iis publicè loquerentur, eaque omnium manibus teri permitterent; atque hac ratione animos hominum præoccuparent: Orant itaque Papam, ut tandem ipsos respiciat, & miseriarum suarum finem faciat.

Tandem eodem anno VI. die Augusti tertio oblato supplice libello, narrant se Nuntio Apostolico, Ulyssipone degenti, obtulisse supplicem libellum, qui ipsos ad Archiepiscopum Ulyssiponensem remiserit; se itaque illi rescripto parentes adiisse Archiepiscopum: hunc autem cum Inquisitore Generali consilium communicasse: longam quidem habitam fuisse deliberationem, nihil verò conclusum: Archiepiscopum quidem se declarasse, haud ignotum sibi esse remedium requisitum, seque id quidem indicare posse; non posse autem de eo contendere cum Inquisitore, antequam à suo munere esset suspensus & depositus, ab eo, qui legitimâ eum suspendendi & deponendi autoritate præditus esset: Et quia in tanto negotio ad Nuntium recurrere non sufficiat, ideò sese conferunt ad Papam, utque hoc negotium tandem expediat enixissimè orant.

Ex quibus scriptis liquere videtur, spem quandam gratiæ deputatis hisce factam; verum illos inanibus verbis & blandis pollicitationibus esse delusos: perinde enim uti antehac, sine ullâ suppliciorum mitigatione, sub duro Inquisitionis jugo gemunt, & quotidie omnibus contra hæreticos statutis pœnis, ex Inquisitorum arbitrio, expositi sunt.

CAPUT XXVI.

De conatu introducendi Inquisitionem in regnum Neapolitanum.

Param. lib. 2. tit. 2. cap. 10.

POstquam Ferdinandus & Elisabeth Inquisitionem in omnia Hispaniæ regna invexerunt, eam etiam in alia, quorum in suâ manu sceptra erant, propagatam voluerunt. Cum enim in regnum Neapolitanum plures è Judæis oriundi, metu Inquisitionis ex Hispaniâ profugissent, regnumque illud à Ferdinando denuò subjugatum esset, Didacus Deza, tunc Generalis Hispaniarum Inquisitor, anno CIↃ IↃIV. illuc misit Petrum Belforatum Archiepiscopum Messanensem, Inquisitoris potestate ei delegatâ; ac Ferdinandus literas illi dedit ad præsidem, proceres, ac Universitatem Neapolis, ut omni auxilio ac favore illi in omnibus præstò essent; in quo memorat, ingentem hæreticorum catervam ab Hispaniarum regnis metu S. Officii Inquisitionis profugam illuc sese tanquam in tutam mansionem recepisse, quorum statuæ post ipsorum absentiam igni traditæ sunt: ideoque ut regnum illud ab hæresis crimine purget, se Petrum Belforatum hæreticæ pravitatis Inquisitorem constituisse: mandat porrò, ut eum tanquam Inquisitorem recipiant, & brachii sæcularis auxilio in omnibus præstò sint, neque ut illi, ejusve familiæ ulla molestia inferatur permittant. Sed verò pluribus suborientibus difficultatibus ac molestiis inceptum suum ad exitum perducere non potuit.

Anno CIↃ IↃXLVII. imperante Carolo V. Cæsare, Petrus de Toledo, Prorex Neapolitanus, jussu regis Caroli, Inquisitionem illuc introducere voluit: cum autem animadverteret difficilem rei exitum fore, munera publica iis credenda curavit, quos Inquisitionis introductionem promoturos noverat: deinde publicè proposuit, quantum id ad divini cultus confirmationem, & ex usu Reipublicæ foret, quam gratum etiam Imperatori accideret, si Hispanorum ac Siculorum exemplo Sanctum Officium reciperent. Neapolitani verò ita rei novitate repente commoti sunt, ut publicè dicerent, prius se vitam amissuros, quam illam Inquisitionis normam perferrent: clamabantque hæresium exstirpationem ad Pontificem & judices ecclesiasticos, non ad temporalem principem spectare. Intereà cum ea cognovisset Papa Paulus III. suâ bullâ Apostolicâ exposuit, ad se suosque judices, & non ad alium, Inquisitionem contra hæreticos spectare. Voluit nimirum Rex Inquisitionem Neapolitanam supremo Senatui Inquisitionis Hispanæ esse subjectam, perinde uti Siculam, Sardicam, & Indicam: Curia vero Romana eam sibi subjectam voluit, quoniam Neapolitani regni regimen, non tantum ecclesiasticum, sed & sæculare, penes Papam est. Nihilominus tamen Prorex, ne populari illi furori cedere videretur, Inquisitores ac Officiales S. Officii constituit: quo adeò Neapolitanorum animi jam irritati exarserunt, ut quâdam diè, cum duo ad custodiam ducerentur, exclamarentque ex Inquisitionis causâ capi, repentè publico exorto tumultu, arma festinanter ceperint, & se mutuo juramento obstrinxerint, adeò ut bellum quasi intestinum inter populum Neapolitanum & præsidiarios Hispanos exarserit, quo multi utriusque partis interierunt: tandem verò Hispanis, quoniam arces obtinebant, prædominantibus, & tormentorum explosione magnam ædificiorum deformationem edentibus, quievit seditio, & præcipui partim capite, partim exilio, pœnas luerunt. Inceptum tamen suum introducendi Inquisitionem Prorex omisit, non tam novi tumultus metu, quam intercessione Papæ & Cardinalium, qui Inquisitioni, suæ curiæ minimè subjectæ, adversabantur. Et quoniam Hispanis ea stat sententia, Inquisitionem suo Senatu subjectam Neapolin introducere, & curiæ Romanæ, istis Hispanorum conatibus se opponere, regnum Neapolitanum in hodiernum usque diem à duro Inquisitionis jugo immune est ac liberum. Si vero quædam

Paulus Serv. de Inquisit. Venet.

fidei

fidei negotia ibi judicanda sunt, fieri id solet ab Episcopo, aut à curiâ Romanâ alii Prælato demandari: qui tamen nihil hic inchoare audet, nisi veniâ ac potestate à Prorege obtentâ.

CAPUT XXVII.

De Inquisitione Siculâ, Sardicâ, & Mediolanensi.

IN Siciliâ jam olim Inquisitio introducta fuerat. Exhibet nobis Paramus, *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 8. Alphonsi regis privilegium, anni CIƆCCCCLII. in quo mentio fit Fr. Henrici Lugardi de Panormo Ordinis Prædicatorum, & hæreticæ pravitatis in illo regno Inquisitoris; quo privilegium, quod Fredericus Imperator Inquisitioni Siciliæ anno CIƆCCXXIV. Panormi concesserat, sibi ab Inquisitore prædicto exhibitum, confirmavit: Quo privilegio Imperator Fredericus statuisse dicitur, ut *attributâ fisco tertiâ solummodo bonorum confiscatorum parte, & tertiâ Apostolicæ Sedi reservatâ, alia pars tertia absque obstaculo contradictionis cujusquam eisdem Inquisitoribus assignetur, ne suâ mercede spiritualis agricola defraudetur, & propter necessariorum carentiam Inquisitio tam salubris ex inopiâ noxiè omittatur.* &c. Unde Paramus colligit, jam anno CIƆCCXXIV. Inquisitionem in Siciliâ fuisse introductam. Illud verò privilegium valdè mihi suspectum est: nisi forte in anno erratum sit: Nondum enim, uti in præcedentibus clarè ostensum est, illo tempore usquam Inquisitoribus tribunalia concessa fuerunt: illaque bonorum confiscatorum in tres partes distributio, posterioribns demum annis, uti in sequentibus fusius ostendetur, decreta fuit. Quicquid verò de hoc privilegio sit, constat saltem anno CIƆCCCCLII. Inquisitionem in Siciliâ jam fuisse stabilitam, &, sive hoc fuerit genuinum, sive suppostitium Friderici Imperatoris privilegium, id à rege Alphonso fuisse confirmatum. Illud posteà Ferdinandus & Elisabetha anno CIƆCCCCLXXVII. cum essent Hispali, reges Siciliæ se appellantes, cum tamen Joannes Aragonum Rex ac Ferdinandi pater superstes esset, confirmarunt. Hanc porro Inquisitionem Carolus V. Cæsar, multis privilegiis, quorum diplomata Paramus longâ serie exhibet, donavit.

Cum autem anno CIƆIƆXXXV. missus esset ab Inquisitoribus Officialis ad oppidum S. Marci ad capiendum quosdam hæreticos, eum Matthæus Garruba multis comitatus aggressus est, plures ex ejus familiâ occidit, ipsumquè Officialem humi prostratum semimortuum multisque vulneribus confossum reliquit. Prætereà nobiles Panormitani, aliique regni illius incolæ, Inquisitorem minis in fugam conjecerunt, ac nauim, quæ è portu jam jam solvere parabat, conscendere compulerunt, ipsumque Inquisitionis chartophylacium cum omnibus scriptis incenderunt: adeò ut Inquisitionis administratio integro decennio in illo regno interrupta sit & suspensa. Decennio elapso, Cæsar ex Consilii sui decreto anno CIƆIƆXLIII. eam restituit, voluitque ut omnibus, quibus anteà, privilegiis fruatur, eaque privilegia Philippus II. anno CIƆIƆXLVI. confirmavit. Hæc confirmatio effecit, ut Magnates, Barones, ac illustriores regni, quibus anteà Inquisitionis res omnes, & Ministri nomen invisa erant, ejus Officiales aut Familiares esse concupiverint, ac carceres reorum custodiæ accommodatissimos suâ liberalitate construi voluerint, qui anteà tenuibus vectigalibus & reditibus S. Officii tales construi non potuissent; ac in diebus illis, quibus edicta proponuntur, vel fidei acta visuntur, magnâ majestate illic assistant, ac Inquisitores per insulam incedentes comitentur, hospitaliter excipiant, & à grassatorum insultibus tueantur: ut jam nullâ populi seditione amplius concuti possit. Cum enim anno CIƆ IƆLXII. Inquisitor Horosius Fidei edictum Panormi esset publicaturus, populique obstrepentis tumultu impediretur, accedentibus Familiaribus titulatis ac Baronibus, seditio ea facilè pacata est, ut sequenti diè magno omnium

ap-

applausu, ac nemine contradicente edictum fuerit publicatum. Cum etiam postea inter Proregem & judices sæculares, ac Inquisitores de jurisdictione dissidia orta essent, Rex Philippus II. adhibito duorum Supremi Generalis Inquisitionis Consilii consultorum judicio, anno CIƆ IƆLXXX. omnes Inquisitionis prærogativas confirmavit: ac anno sequenti decrevit, ut Consultores S. Officii in omnibus civilibus & criminalibus causis, tam ipsi, quam ejus Familiares, tanquam locum tenentes Officialium salariatorum, S. Officii præeminentiis ac foro fruerentur. Ac tandem literis suis regiis XVIII. Septembris anni CIƆIƆLXXXVII. Proregibus imperavit, ut eo honore ac observantiâ, quibus tam sanctum ministerium dignum est, illud prosequantur. Anno vero CIƆ IƆXCII. Comes Albæ, regni illius Prorex, publicato edicto Magnatibus Familiaribus fori S. Officii prærogativam suspensam esse declaravit: & exinde Magnatum erga Inquisitionem studium elanguit, nec jam Familiarium functiones obeunt.

cap. 11. & 12. Iidem reges in Baleares insulas, & Sardiniam, Inquisitionem invexerunt, non tamen sine tumultu populari, qui ægrè comprimi potuit.

cap. 30. In ducatum Mediolanensem, ubi jam à multis annis Inquisitio viguerat, Rex Philippus II. eam ad modum Hispanicæ hortatu Pii V. introducere voluit. Verum tantâ animorum indignatione conatus ille à populo exceptus est, ut in apertam seditionem proruperit; passim omnibus clamantibus, tyrannidem sapere, normam Inquisitionis, quæ in Hispaniâ Maurorum ac Judæorum pessimæ gentis eruendæ causâ introducta esset, ingenuæ civitati imponere; præsertim cum ex antiquissimo Sedis Apostolicæ more in eam provinciam Inquisitores delegarentur. Cumque Senatus Mediolanensis hunc ferocientis populi tumultum prætexens, illam Inquisitionis formam, à quâ non tantum illa civitas, sed & tota Italia plurimum abhorreret, honestè declinaret, Philippus rem hanc silentio contexit.

CAPUT XXVIII.

Reductio Inquisitionis tempore Reformationis in Germaniam & Galliam.

CUm Lutherus Reformationis Ecclesiæ opus magno animo esset aggressus, variosque ac intolerandos Ecclesiæ Romanæ abusus acriter reprehenderet, & nec minis, nec anathemate ac fulmine Pontificio territus constanter in cœpto Reformationis opere pergeret; illumque mox secutus Suinglius, Oecolampadius, aliique, in Helvetiâ, aliisque in locis sese grassanti superstitioni opponerent, opusque Reformationis magno successu plurimis in locis ac regionibus propagaretur; Papa, ut prædicationis illius cursum sisteret, non tantum Cæsarem, Reges ac Principes contra Lutherum, omnesque Romanæ Ecclesiæ placita impugnantes, incitare non destitit: sed & Inquisitionem, quæ variis in locis, tum ob Inquisitorum sævitiam, tum deficientibus iis contra quos erecta erat, ac proinde quæ nullius amplius erat usus, languescere cœperat, passim reduxit, & contra exortas (uti vocant) hæreses summâ cum sævitiâ ac rigore procedere jussit. In Germaniâ Inquisitorum jam augebatur autoritas, & sancti sc. illius tribunalis sententiâ plures fuere hæreseos condemnati, qui Magistratui sæculari traditi ignis supplicium luerunt.

Ex Germaniâ in vicinam Galliam sanguinarium illud tribunal, quod nullis ibi amplius existentibus hæresibus jam sponte desierat, brevi propagatum est. Antonius à Prato, tituli S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Senonensis, Galliarum Primas, & Franciæ Cancellarius anno CIƆIƆXXVIII. mense Febr. Concilium Provinciale celebravit, in quo postquam Lutheri, Melanchthonis, Suinglii, Oecolampadii, & sequacium illorum doctrinam damnavit, generale decretum edidit, quo omnes antiquos Canones Concilii Lateranensis contra

Bzovius a. 1528. §. 41.

contra hæreticos, eorumque fautores ac defensores, de hæresi suspectos, nec non relapsos, qui in literis Decretalium exstant, declarat, renovat, & interdum adjectione pœnæ communit. Ordinat insuper, *quod Suffraganei, si viderint aliqua loca esse de hæresi suspecta, per se aut alios idoneos quam citius ad illa accedant, & ab illis de viciniâ exigant sacramentum de prodendis hujusmodi hæreticis, ac conventicula illicita facientibus: Quibus etiam districtè præcipit, ut ad hæc exsequenda diligenter invigilent, & in negotio hujusmodi hæreticæ pravitatis summariè & de plano procedant. Et si in expurgando hujusmodi fermento fuerint remissi aut negligentes, intelligant se pœnas incursuros, quæ in sacro generali Lateranensi Concilio continentur: pœnas insuper reformident, contra Inquisitores in officio delinquentes in sacro Viennensi Concilio promulgatas. Constitutiones autem Urbani V. Clementis V. & Bonifacii VIII. diligenter observent Suffraganei.* Obsecrat porrò regem, *ut à suis terris & dominiis universos hæreticos confestim repellat.* Novissime ordinat, *quod Rectores & Consules civitatum, juxta sacrum generale Lateranense Concilium corporaliter præstent sacramentum, quod fideliter & efficaciter ecclesiam in hujusmodi negotio hæresis, cum fuerint requisiti, juxta suum officium pro viribus adjuvabunt, manusque porrigent adjutrices. Episcopi autem vel Inquisitores, dum in hujusmodi negotio procedunt, & à secularibus judicibus forsan excommunicatis subsidia postulant, nullam ex participatione hujusmodi excommunicationem incurrant.* Hisce tandem, post variorum errorum condemnatorum enumerationem, adjicitur conclusio adhortatoria ad Principes Christianos, ut elaborent pro hæreticis exstirpandis, in quâ propositis exemplis Constantini, Valentiniani, Theodosii, aliorumque, qui postquam strenuè contra hæreticos laborarunt apud Deum gratiam invenerunt, & apud homines immortale sui nominis decus adepti sunt; & ab alterâ parte Licinii, Juliani, Valentis, aliorumque, qui hæreticorum erroribus non obsistendo, sed iis impendendo auxilium, iram Dei vindicem senserunt, & digna suæ perfidiæ reportarunt stipendia; *Christianos principes instanter rogat & in Domino exhortatur, si suæ saluti consulere, si suæ ditionis jura illibata custodire, si in pace & tranquillitate subditas sibi nationes continere exoptant, potenti brachio fidem Catholicam tueantur, ac ejus hostes viriliter satagant debellare. Id autem haud factu erit difficile, ubi antiqua Christianissimorum principum in hæreticos, eorum libros, & fautores edicta restaurabuntur. Quæ si salutari judiciorum severitate executioni demandentur, nulla prorsus hæreticorum monumenta, nulli libri, nulla scripta in suis provinvinciis reperientur. Malesanæ item conciones cessabunt, nec non clandestina conventicula, in quibus peregrinos cultus à Christianâ pietate degenerantes, inducere solent hæretici,* &c. *Hoc est quod totâ mente exposcimus, & assiduis precibus à Domino efflagitamus: sperantes, dum strenuè Christianissimi principes hæreticos debellant, & nos piis laboribus, ne creditæ nobis oves luporum morsibus trucidentur, prohibituros. Et tum demum donabit nobis Dominus suâ pietate tantopere à fidelibus exoptatam atque expetitam pacem & tranquillitatem in hac vitâ, & post hujus vitæ decursum consummatam fælicitatem. At verò quia scimus non satis esse, ad hæc obtinenda, fideles adhortari, nisi rebelles convenienti districtione reprimantur, salutari antidoto decrevimus huic negotio providere. Autoritate itaque, quâ fungimur, omnes in nostrâ provinciâ constitutos, qui tam impia dogmata ausu temerario asserere, docere, scribere præsumserint, his scriptis sententiâ excommunicationis innodamus; nec non & eos, qui illis auxilium, consilium aut favorem quovis modo fuerint impertiti.* An hujus Synodi occasione Inquisitio jam à multis annis collapsa in Galliam reducta fuerit, haud certò affirmare ausim. Illud constat, leges in Inquisitionis tribunali usitatas, per Synodi hujus decretum fuisse renovatas; quin & Inquisitorum expressam in illo fieri mentionem. Aliunde etiam constat, circa Synodi hujus tempora Inquisitionem in Galliâ denuò fuisse introductam. Francíscus I. enim ex ordine FF. Prædicatorum Inquisitores fidei delegit: In volumine Ordinationum illius regis fol. 408. habetur diploma, 30 Maii anno CIↃIↃXXXVI. quo Matthæum Orry Doctorem Theologum ex Ordine Fratrum prædicatorum, fidei Inquisitorem instituit. Refert etiam Ribadineira in vitâ Ignatii Lojolæ lib. II. cap. II. & XIV. ipsum coram Michaële Ory,

Du Cange in voce Inquisitio.

Theologo Dominicano, & Inquisitore fidei Lutetiæ circa illa tempora accusatum, ab eoque absolutum fuisse. Exstat porro in 2. volum. regis Francisci diploma simile, fol. 247. 10. Aprilis anno CIϽIϽXL. quo Josepho Corregié, ex eodem Ordine doctori, fidei perinde Inquisitoris in toto regno munus obeundi facultatem concedit. Præterea 3. volum. fol. 482. descriptum legitur statutum regium 23. Julii anni CIϽIϽXLIII. quo judicibus ecclesiasticis & fidei Inquisitoribus inquirendi in Lutheranos & hæreticos ita potestas attribuitur, dummodò laicos, & qui sacris Ordinibus non essent initiati, ad judices ordinarios remitterent. Prostat denique statutum aliud Hendrici II. datum apud Sanctum Germanum in Lajâ 22. Junii anno CIϽIϽL quo Francisci I. edicto derogando, Matthæum Orry fidei Inquisitorem ab eo onere liberat, quo tenebatur lites à se contra hæreticos instructas Curiis supremis, Baillivis & Seneschallis, communicare, dummodò eas Diœcesanis ordinariis, vel eorum Vicariis, communicaret: confirmatâ insuper, quâ donatus erat, potestate, à fide aberrantes ad sanam mentem doctrinâ vel monitis revocandi, pœnitentibus veniam & misericordiam impertiendi, & demum pervicaces puniendi & corrigendi. Quod quidem statutum in Acta Parlamentaria relatum est, hac appositâ conditione, ut idem Inquisitor in casibus privilegiatis cum regiis judicibus processus communicaret.

Quamdiu Inquisitio in Galliâ continuaverit, & quomodo ac quando desierit, exactè affirmare non possum. Credibile mihi est, dissidentibus ab Ecclesiâ Romanâ per Edicta regia libertate religionis concessâ, tribunal illud sponte evanuisse.

CAPUT XXIX.

Romæ sex Cardinales constituti Inquisitores Generales.

Bullarium IN Italiâ Papa modis omnibus providit, ut Inquisitio summo cum rigore officio suo fungatur. Cum anno 1530. Vicarius Generalis Ord. Fratrum Prædicatorum Papæ Clementi VII. significasset, quod Lutherana hæresis in grave Catholicæ fidei detrimentum invaluit in partibus Italiæ; Pontifex hic Bullâ editâ, cujus initium, *Cum sicut ex relatione*, &c. ne hæresis hæc serpat ut hæresis Arii, mandavit Inquisitoribus, ut desuper contra omnes, etiam Regulares cujuscunque Ordinis, procedant: Pœnitentes autem absolvant, & cum eis super irregularitate dispensent: Et Crucesignatis, pro sanctæ Inquisitionis servitio institutis, indulgentias largiantur. Episcopis mandat, ut in prædictis faveant Inquisitoribus: quibuscunque non obstantibus.

Paramus l. 2. t. 2. c. 1. n. 9. 10. 11. Ut autem Inquisitionis munus felicius absque ullo impedimento procederet, novum Cardinalium Inquisitorum Generalium Concilium instituit. Anteà in negotiis difficilioribus sæpe Inquisitores coacti fuerunt Romam proficisci ad consulendum Papam. Ne ergo per Inquisitorum absentiam Inquisitionis Officium interrumperetur, Urbanus Papa IV. anno CIϽCCLXIII. Inquisitorum omnium Generalem & quasi protectorem creavit Joannem Caëtanum Ursinum Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano, ne Inquisitoribus necessum esset tantis difficultatibus Papam adire, sed per literas Cardinalem consulerent, qui graviora quæque cum Papâ consultaret; rescripto, incipiente, *Cupientes.* Ubi inter alia ita præcipit: *Periculosa & gravia impedimenta, quæ in prædicto negotio vobis emerserunt, dilecto filio nostro Joanni, Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, quem eidem præfecimus negotio, significare curetis. Super aliis verò impedimentis quibuslibet, quæ sive ex defectu sociorum, sive alias ex quâcunque causâ vobis in ipso negotio emergere forte contigerit, & personaliter, si opus fuerit, ad Cardinalem recurratis eundem, & per literas vestras, seu nuntios, securè ipsi Cardinali omnia intimare curetis, ut nos per eum*

suffi-

sufficienter super præmisis instructi contra impedimenta hujusmodi provideamus de remediis opportunis. Hic Cardinalis cum ad Pontificale culmen evectus esset, & Nicolaus III. appellatus, Cardinalem Latinum Romanum, suum ex fratre nepotem, ac Ordinis Prædicatorum alumnum, eodem Generalis Inquisitoris munere cohonestavit, ad quem omnes Inquisitores fidei deferebant ea, quæ consultatione digna videbantur. Eo mortuo tempore Celestini Papæ v. in eo munere nemo substitutus est, usque ad tempora Clementis Papæ vi. qui illud munus Guilielmo Tholosano Cardinali tit. S. Stephani in Monte Cœlio delegavit. Hic hæreticos aliquos rogo imposuit, aliaque pro Inquisitione gessit. Sed quoniam dignitas hæc nondum Cardinalium collegio fuerat aggregata, neque mortuo primario Inquisitore continuò alius à Papâ creabatur, prout Ecclesiæ Romanæ necessitas postulabat, eisque difficultatibus, quas modò diximus, Inquisitores iterum implicabantur, eo præsertim tempore, quo Lutheri doctrina totam Germaniam pervagata etiam per Italiam diffluebat, Cardinales Joannes Petrus Caraffa & Joannes Alvarez Toledo cum Paulo III. Papa egerunt, ut Cardinales quosdam eo Inquisitoris Generalis munere donaret.

Anno itaque 1542. Papa Paulus III. constitutione, cujus initium, *Licet ab initio*, deputavit sex Cardinales Inquisitores generales hæreticæ pravitatis in omnibus Reip. Christianæ locis, tam citra quam ultra montes ubilibet existentibus: iisdemque dedit autoritatem contra quoscunque hæreticos, de hæresi suspectos, eorumque complices & fautores, cujuscunque status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ, absque Ordinariis procedendi, eosdemque puniendi, & eorum bona confiscandi: Procuratorem Fiscalem, Notarios, & alios Officiales, ad præmissa necessarios, deputandi: Clericos sæculares & regulares, in sacris constitutos, à quocunque ab eis deputando antistite degradari, & Curiæ sæculari tradi faciendi: Contradictores compescendi: Auxilium brachii sæcularis invocandi; Et quæcunque alia necessaria gerendi: Inquisitores ubique cum simili, vel limitatâ, potestate substituendi: Appellationes ab aliis Inquisitoribus ad ipsos interpositas cognoscendi: In curiâ, & extra, citandi, & inhibendi, appellantesque simpliciter, vel ad cautelam, à quibuscunque sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis absolvendi. Et ita, & non aliter judicari decernit; contrariisque derogat: Tandem sanctionem pœnalem apponit; quod, si quis illud decretum infringere, vel ei ausu temerario contraire præsumpserit, is indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Bullar. Bzovius a. 1542. §. 7.

Pius porro IV. hanc Cardinalium hæreticæ pravitatis generalium Inquisitorum potestatem postmodum auxit. Anno siquidem 1564. septimo idus April. Constitutione, quæ incipit, *Romanus Pontifex.* iis facultatem dedit, contra quoscunque, etiamsi Episcopali, Archiepiscopali & Patriarchali, & aliâ quacunque, etiam Cardinalatus, dignitate præfulgeant, hæreticos, eorumque fautores, de ejusmodi crimine diffamatos, certâ servatâ formâ, procedendi, & ipsi Papæ, ut ad sententiam devenire possit, in Consistorio secreto referendi. Et ita & non aliter judicari præcipit; obstantiaque rejicit; & tandem ordinariam sanctionem pœnalem subdit.

Bullar. Bzovius a. 1564. §. 15.

Ad hunc modum anno proximè elapso 1563. Papa Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus contra Odettum Cardinalem, & socios ejus Archiepiscopum Aquensem, & quatuor alios Episcopos Gallos, Romæ quæstionem exercere imperavit; ac tandem in Consistorio secreto sententiam in singulos pronuntiavit, quâ eos pronuntiat, judicat ac declarat, hæreticos, schismaticos, blasphemos, ab omni sive Cardinalatus, sive Archiepiscopatus, sive Episcopatus commodo & honore, & clericatus etiam privilegio à die commissorum criminum depositos, omnibus officiis, honoribus, dignitatibus, prælaturis privatos, & ad illa inhabiles ac perpetuò incapaces, eosque tanquam hæreticos & infructuosos palmites ab Ecclesiâ præcisos ulterius legitimè puniendos fore decernit, eorumque perso-

Bzovius a. 1563. §. 3.

nas à Christi fidelibus capiendas, & detinendas, & ad justitiæ ministrorum manus, ut debitis pœnis affici possint, tradendas exponit.

Pius V. porrò, ut hanc Cardinalium Inquisitorum Generalium decretis ubique pareatur, nemoque se ipsorum autoritati subducere possit, præcepit principibus, judicibus & justitiæ ministris, ut eorundem Cardinalium mandatis in omnibus quæ sanctæ Inquisitionis officium concernunt, pareant & obediant: editâ anno 1566. constitutione, quam, quia prolixa non est, integram hic exhibebo.

Bullar. *Sanctissimus D. N. D. Pius divinâ providentiâ Papa quintus, statuit, decrevit, & ordinavit, ac mandavit, ut negotia fidei omnibus ac singulis aliis præferantur, cum fides sit substantia & fundamentum Christianæ religionis. Idcirco omnibus & singulis almæ urbis ejusque districtus Gubernatori, Senatori, Vicario, & Cameræ Apostolicæ Auditori, & quibuscunque aliis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus Provinciarum, & terrarum, suæ Sanctitati & S. R. E. mediatè & immediatè subjectarum, ac eorum loca tenentibus, Officialibus, Barisellis, & aliis ministris, nec non aliis locorum ordinariis, cæterisque Magistratibus, & Officialibus, & cujusvis conditionis & status hominibus in omnibus & singulis terris, oppidis, & civitatibus, ac in totâ Republ. Christianâ existentibus, sub excommunicationis latæ sententiâ, ac indignationis suæ Sanctitatis, & aliis arbitrio suæ Sanctitatis & Illustrissimorum & reverendissimorum Dominorum Cardinalium Inquisitorum Generalium imponendis & exequendis pœnis, ut eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, ac eorum præceptis & mandatis in quibuscunque officium sanctæ Inquisitionis concernentibus pareant & obediant.*

Reges vero, Duces, Comites, Barones, & quosvis alios Principes seculares in Dei nomine rogavit, ut eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, eorumque Officialibus, faveant, auxiliumque præbeant, & à suis Magistratibus subditis auxilium præberi faciant, in negotiis ad dictum Officium spectantibus. Nec non carceratos quoscunque pro quibusvis delictis & debitis etiam atrocibus apud dictum Inquisitionis officium quomodolibet delatos, vel denunciatos, suspensâ aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eosdem Cardinales & Inquisitionis carceres, ibidemque ad criminis hæresis totaliter cognitionem & expeditionem retinendos, & posteà ad eosdem Officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, sine morâ transmittant.

Ejusmodi Constitutionibus ac decretis papalibus muniti Cardinales Inquisitores, potestatem suam magis magisque extendunt. Jam suo tempore questus est Paulus Servita, cum antehac ipse Papa Inquisitores cum brevibus Apostolicis mitteret ad principes, requirerentque ut eos favore suo protegant ac defendant (sicut etiamnum in confirmatione novi Episcopi ab ipsis observari solet) quod nunc Concilium Inquisitionis Romanum Inquisitores ejusmodi mandatis instruit, non aliter ac si in propria dominia ac territoria dimitteret, suisque mandatis contradici non fert. (Hist. Inq. c. 8.)

Tandem Sixtus V. anno 1588. Constitutione, incipiente, *Immensa æterni Dei*, &c. quindecim instituit Congregationes S. R. E. Cardinalium, singulisque certa negotia assignavit. Congregationem primam S. Inquisitionis hæreticæ pravitatis jam in Urbe institutam comprobat, omnemque ejus autoritatem super omnes Prælatos & Inquisitores circa hæresim, cum manifestam, tum etiam præsumtam, corroborat; ministrorum privilegia confirmat, ac Principes ad ei auxilium præstandum hortatur, ita tamen ut, ipso Papâ inconsulto nihil innovetur in Officio S. Inquisitionis in regnis Hispaniarum erecto.

Hisce Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus pro faciliore exitu & expeditione causarum criminalium, additi fuerunt Commissarius Generalis Sancti Officii, qui semper est ex Ordine Dominicano, & Assessor Generalis. Quod major pars horum Cardinalium decernitur, à totâ congregatione & ab omnibus decisum haberi vult Pius IV. constitutione editâ anno 1564. quæ incipit, *Cum nos per nostrum*, &c. imo quod major pars præsentium Inquisitorum statuit, aliquibus licet absentibus, perinde esse voluit, ac si omnes intervenissent. Absentium autem Cardinalium nomine non intelliguntur Cardinales ab urbe Romanâ absentes, quia alias difficillimum esset scire quæ pars Cardinalium abesset ab urbe; sed Cardinales ab hac Congregatione absentes. (Carena part. 1. tit. 2. § 4. § 5, 6, 7.)

Su-

Supremi hi Inquisitores bis in hebdomade congregantur: die Mercurii, alias § 14.
quidem in domo Cardinalis antiquioris supremi Inquisitoris, nunc autem in Ecclesiâ S. Mariæ supra Minervam, nisi aliud mandaret Papa; & die Jovis coram Papâ: Habenturque hæ Congregationes singulis hebdomadibus, solâ hebdomadâ sanctâ & majori exceptâ.

Sed hæc, ut ait Paramus *lib. 2. tit. 2. cap. 1. n. 13.* non ita principio fuerunt instituta. Primum enim cæteri Cardinales, Vicarius Pontificis, & sacri Palatii magister, cum Cardinale Caraffa conjuncti de Inquisitionis negotiis constituebant: sed cum postea V. kalend. Maj. anno CIↃ IↃLVI. Cardinalis Caraffa Papa esset electus, cœperunt prædictæ congregationes præstitutis diebus coram ipso frequentari. Quæ consuetudo Pii V. Gregorii XIII. & Sixti V. temporibus continuata, à Pii IV. tempore interrupta est, qui aliis summi ponderis rebus occupatus ei Congregationi interesse non poterat.

Habent hi supremi Inquisitores Advocatum Fiscalem, varios Consultores, § 15.
Prælatos & Regulares, videlicet Generalem Ordinis Dominicani, & socium Commissarii S. Officii, unum etiam Religiosum ex Ordine D. Francisci: habent etiam plures Theologos Qualificatores, qui in casibus occurrentibus propositiones qualificant.

Interea dum Papæ Bullis suis Inquisitioni ac Supremo Inquisitionis Senatui quamcunque autoritatem conferunt, Romæ varii ad Inquisitorum instructionem prodierunt libri. Anno namque CIↃIↃLXXXIV. Romæ typis editum fuit *Formulare Inquisitionis*: & eodem anno *Lucerna Inquisitorum* Fr. Bernardi Comensis, cum annotationibus Francisci Pegnæ: anno autem sequenti, *Directorium Inquisitorum* Nicolai Eymerici Ord. Præd. Inquisitoris Generalis in Aragoniâ, cum commentariis Francisci Pegnæ: Illi subjecta sunt, jussu Cardinalium Inquisitorum Generalium in universâ Republicâ Christianâ, Romanorum Pontificum Bullæ & Rescripta ad Inquisitores, aliosque, de fidei negotio.

CAPUT XXX.

De Inquisitione in Hispaniâ contra hæreticos.

IN Hispaniâ Inquisitionis tribunal, quod ad detegendos Judæos ac Mauros erectum fuit, nunc etiam contra hæreticos procedere incepit, eandemque contra illos, quam hactenus contra Judæos ac Mauros ostendit, sævitiam exercere. Carolus V. Hispaniarum Rex, qui Inquisitionem contra Lutheranos & Reformatos in Belgium magno molimine invexit, eandem etiam filio Philippo II. in testamento suo commendavit. Refertur à Cæsare Carena, è Ludovico Paramo in tractatu de Officio Sanctissimæ Inquisitionis, in Prælud. §. 63. clausula testamenti, in quâ Cæsar Carolus ita ait: *Pro eo quo omnipotenti Deo officio obstrictus teneor, & pro eo quo erga serenissimum principem Philippum secundum charissimum filium meum amore sum accensus, plus illum virtutum præsidio munitum, quam divitiarum amplitudine cupiens & affectans, hac, quâ possum, animi affectione in mandatis do, ut tanquam Catholicæ religionis studiosissimus Princeps, & divinorum mandatorum observantissimus, omnium rerum ad ejus decus & honorem spectantium curam suscipiat ardentissimè; & sanctæ Matris Ecclesiæ dictis ac præceptis semper sit audiens; & inter alia hoc præcipuè & obnixè illi commendo, ut Sanctæ Inquisitionis Officium contra hæreticam pravitatem divinitus institutum, illiusque Ministros & Officiales, omnibus favoribus & honoribus prosequatur, eò quod hoc uno remedio gravissimis in Deum offensionibus obviam itur. Item illi præcipio, ut omnibus ecclesiis & personis ecclesiasticis suas immunitates servandas curet.* Et iterum in ipsius Codicillo ita filio suo mandat. *Ab ipso obnixè peto, & cum quâ maxime possum contentione obtestor, & tanquam pater amantissimus pro illius erga me observantiâ præcipio, ut hujus rei (in quâ totius Hispaniæ salus agitur) ar-*

ardentissimè curam suscipiat, ut scilicet omnes hæresis labe infectos debita suis flagitiis pœna excipiat, ad cujus effectum sanctæ Inquisitionis officium omnibus favoribus prosequatur, cujus vigilantiâ in his regnis Catholica fides augetur & Christiana religio conservatur.

In his parentis sui jussis observandis minimè segnem se ostendit Philippus, qui, ut de ipso testatur Famianus Strada de bello Belgico, *Dec. I. lib.* 3. multis de libertate religionis in Belgio admittendâ postulantibus, humi ante Crucifixi imaginem prostratus, hæc verba protulerit; *Ego verò divinam Majestatem oro, hanc ut mihi mentem perpetuam velit, ne illorum, qui te Dominum respuerint, uspiam esse me aut dici dominus acquiescam.* Nec id cuiquam mirum videatur. Hoc enim regibus Hispanis persuasum voluerunt Theologi Pontificii, regnum sibi per Inquisitionem vindicari. Id Leonardus Vellius ex collegio Cremonensi Societatis Jesu Theologus toti orbi testatum voluit in epistolâ ad Cæsarem Carenam, illius tractatui de Sanctissimæ Inquisitionis Officio præfixâ: ubi ita ait: *Ex quo Reges Hispaniarum ditionem adiere, quam videmus per orbem propemodum universum latissimè pertinentem, nullam legimus exstitisse sectam, Romani Pontificis & Catholicæ Religionis hostem, quæ non bellum eodem tempore illis quoque indixerit. Ut eadem sit regibus Catholicis cum Catholicâ religione utilitas, & omninò causa communis. Et si Paulus V. Pontifex Optimus Maximus solitus erat Sanctissimæ Inquisitionis ministris tantum tribuere, ut diceret, illorum operâ Pontificiam sibi thiaram adsciri: non dubito, quin Reges prudentissimi longo temporis experimento docti, Austriacæ ditioni perniciem semper ab hæreticis intentari, dudum conceperint animo sensum eundem, ut reputent, ab iisdem sceptrum sibi regnumque vindicari.* Hac persuasione imbutos Hispaniarum Reges nemo mirabitur acerrimos Inquisitionis esse patronos, atrocissimisque in miseros hæreticos sævire suppliciis. Philippus II. non tantum in Belgio, sed & in Hispaniâ illius se vindicem, immanemque ejus crudelitatem sibi esse gratam ostendit. Horrenda illius specimina edita sunt anno 1559. duabus in urbibus Hispaniæ, quando „ Rex Philippus II. è Belgio in Hispaniam rediit: Statim enim (verba sunt Thua„ni) atque in Hispaniam venit, à Sectariorum castigatione initium fecit; & „ cum anteà singuli, aut plures, ut casus tulerat, ob pravas de religione opinio„nes post condemnationem mox carnifici traderentur, in ejus adventum servati „ passim totâ Hispaniâ damnati, & Hispalim ac Pinciam deducti sunt, qui„bus locis theatrali pompâ ad supplicium producerentur. Primus actus Hispali „ celebratus fuit VIII. calend. Octobr. in eoque ante alios quasi in triumphum „ ex Trianâ arce eductus Joannes Pontius Legionensis, Roderici Pontii Baile„lenii Comitis filius, isque pro hæretico Lutherano pertinaci (sub hoc enim „ elogio ducebatur) combustus est. Huic ut vitæ, sic & mortis socius additus „ Joannes Consalvus concionator; quem secutæ sunt Isabella Vænia, Maria Vi„roësia, Cornelia, & Bohorquia: plenum inde misericordiæ, inde invidiæ spe„ctaculum, ex eo auctæ, quod Bohorquia cæteris ætate minor (vix enim vi„gesimum annum attigerat) summâ constantiâ mortem subiit. Quod autem Væ„niæ ædes cœtibus ad sacras faciendas preces patuissent hæreticis, eâdem, quâ „ illa damnata est, sententiâ à fundamentis dirui jussæ sunt. Post eas produ„ctus Ferdinandus à Fano-Joannis, & Julianus Ferdinandus, ob corporis exigui„tatem vulgo Parvus dictus, & Joannes Legionensis, qui primò sartoriam Me„xici in novâ Hispaniâ exercuerat, dein in B. Isidori collegium cooptatus, in „ quo sodales puriori doctrinæ, ut illi jactabant, in occulto studebant. Auxit „ & eorum numerum Francisca Chauesia ex B. Elisabethæ cœnobio virgo Deo „ dicata, quæ à Joanne Ægidio concionatore Hispalensi, de quo mox dice„mus, instructa, eandem pœnam magnâ etiam constantiâ pertulit. Ex eadem „ scholâ prodiit Christophorus etiam Losada Medicus, & Christophorus Arel„lanius ejusdem B. Isidori cœnobii monachus, ac tandem Garsias Arias, qui „ primus in illud Isidori sodalitium ejusdem religionis scintillas intulit, assiduis „ suis monitis ac concionibus, ex quibus ingens ille rogus accensus est, & cœ„nobium ipsum ac bona pars urbis opulentissimæ pœnè conflagravit. Is raræ

„ eru-

„ eruditionis vir, sed parum constantis sibi ingenii, plerumque nutabat, & quæ
„ suis persuaserat ac præscripserat, cum ex eo illis ab Inquisitoribus periculum
„ creabatur, ipse acutus in disputando disceptator refellebat & evertebat: his ar-
„ tibus cum multos in errorem inductos manifesto periculo objecisset, se verò de-
„ testando fidei violatæ piaculo obligasset, à Joanne Ægidio, Constantino Pon-
„ tio, & Varquio aliquando monitus, quod parum sincerè in amicorum atque
„ adeò idem cum ipso sentientium causâ versaretur; ille prævidere se respondit,
„ brevi fore ut tauros in sublime spectaculum productos cernere cogerentur: In-
„ quisitorum theatrum hoc sermone significans. Ad quæ verba retulit Constan-
„ tinus; si ita Deo placeret, non eum è sublimi ludos despecturum, sed ipsum
„ in arenâ futurum. Nec Constantini augurio eventus defuit: nam Arias mox po-
„ stulatus est, & sive senectute suâ audacior, sive repentinâ mutatione ex meti-
„ ticuloso, qui hactenus fuerat, jam fortior effectus, inexspectatâ constantiâ in-
„ quisitorii tribunalis Assessores acerbissimis verbis objurgavit, aptiores esse asse-
„ rens, qui vili agasonum munere fungerentur, quam qui fidei, quam turpiter
„ ignorabant, censuram impudenter sibi sumerent: prætereà vehementer dolere
„ testabatur, quod veritatem, quam tunc tueri se ajebat, sciens ac volens adver-
„ sus pios illius defensores sæpe coram ipsis oppugnasset; quam pœnitentiam,
„ quamdiu in vivis esset, ex animo nunquam deponeret. Ita in triumphum du-
„ ctus, ac vivus flammis ustulatus, Constantini augurium firmavit. Restabant
„ ii, quos diximus, Ægidius & Constantinus, scenæ choragi, qui ultimum pompæ
„ agmen clauderent: Verum utrumque mors anticipata vivum spectaculo invi-
„ dit: siquidem ille ob eximiam pietatis & eruditionis opinionem, cum à Cæsa-
„ re Philippi parente Episcopus Drossensis esset designatus, posteà postulatus est,
„ & recantato, seu astu seu hortatu Dominici à Soto, publicè errore, concionan-
„ di munere ac sacris ad tempus interdictus est, & aliquanto tempore ante actum
„ illum obiit. Sed cum Inquisitores mitius cum illo actum putarent, cadaver in
„ jus vocant, & mortuum ad mortem damnant, eumque tanquam ex machinâ
„ excitatum ad spectaculum sistunt stramineâ effigie. Constantinus verò, qui à
„ sacris confessionibus diu Cæsari, eique in solitudine suâ post imperii ac regnorum
„ abdicationem, ac postremò animam agenti, semper præstò fuerat, ad idem
„ mox tribunal raptus in tetro carcere paulò ante exspiraverat: sed ne theatrum
„ Constantino careret, ejus quasi concionantis effigies circumducta est; atque
„ ita terribile per se spectaculum, quod primò plerisque astantium lacrimas ex-
„ cusserat, larvis his in scenam productis risum multis, ac postremò indignatio-
„ nem movit. Eadem severitate posteà Pinciæ Octobri insequente cum aliis
„ ejusdem criminis damnatis actum est, ubi, spectante ipso Philippo rege, vi-
„ ginti octo ex præcipuâ regionis nobilitate palis alligati ac cremati sunt. Insi- Bzovius
mulatus etiam fuit Bartholomæus Caranza Archiepiscopus Toletanus, vir alias a. 1559.
eruditione, vitæ probitate, ac sanctissimis moribus eo munere dignissimus, & in §85.
carcerem conjectus, amplissimisque vectigalibus exutus; cujus causam postea
Pius V. Romam, eo evocato cognoscendam curavit; Gregorius vero XIII. in
eâdem pronuntiavit.

Nec contentus Philippus crudelitatem hanc in terris exercere, etiam Inquisi- Param.
tionem in triremibus institui procuravit. Cum anno CIↃ IↃLXXI. ingentes trire- lib. 2.
mium copiæ sub auspiciis Joannis Austriaci convenirent, militibusque è variis natio- tit. 2.
nibus conscriptis instructæ essent, Rex Philippus, ne ullam fidei Pontificiæ tam cap. 14.
diversarum nationum ac religionum mixtura labem inferret, consulto Romano
Pontifice Pio V. unum ex Inquisitoribus Hispaniæ, quem Generalis Inquisitor
elegerat, deputavit, qui munus Inquisitoris exerceat, datâ ei facultate præsi-
dendi in omnibus tribunalibus, & actiones fidei exercendi in quibusvis locis &
civitatibus, ad quas eum appellere contigerit. Hancque Inquisitionis in bellis
navalibus institutionem diplomate suo concesso Generali Hispaniæ Inquisitori
confirmavit Pius V. cujus initium est: *Nuper charissimus in Christo filius.* Et ju-
ris-

risdictionem sibi concessam exercuit Hieronymus Manrique, habitâ actione publicâ fidei in civitate Messanâ, in quâ multi variis pœnis fuerunt castigati.

Quin & extra Europam, non tantum in insulas Fortunatas, sed & ipsum novum orbem Americam, eam introduxit, constitutis duobus illius tribunalibus; uno in provinciâ Peruanâ, in civitate Limâ; altero in Provinciâ Mexicanâ in civitate Mexico. Inquisitio Mexicana instituta fuit anno CIↃ IↃLXXI. & brevi tempore ingentia suæ crudelitatis specimina edidit. Refert Paramus anno cap. 21.
„ CIↃ IↃLXXIV. qui tertius erat post ejus initia, primum fidei actum novâ ac admirabili celebritate in foro Marchionis (ut vocant) ad latus Ecclesiæ majoris „ esse habitum, magno erecto theatro, quod universam prope fori aream occupans ecclesiæ contiguum erat, ubi adstiterunt Prorex, regius Senatus, Capitulum ac religiosorum conventus. Proregis, senatus regii, aliorumque plurium concomitantium catervâ stipati ad forum usque progressi fuere, quippe solemnibus supplicationibus, in quibus octoginta pœnitentes circiter erant: duravitque hic solemnis fidei actus ab horâ sextâ matutinâ, usque ad quintam vespertinam: in quo duo hæretici, Anglus unus, alter Gallus, relaxati sunt, nonnulli Judaizantes, polygami, ac præstigiis dediti reconciliati. Fuitque ea actus hujus celebritas, ut qui viderant Pincianum famigeratissimum actum anno CIↃ IↃLIX. habitum, dixerint, hunc illi non majestate, sed regiarum personarum, qui in illo intervenerunt, præsentiâ esse inferiorem. Ab illis temporibus quotannis solennes fidei actiones celebrantur, in quibus frequenter sunt Lusitani Judaizantes, infestis ac nefariis nuptiis polluti, strigesque ac lamiæ multæ.

CAPUT XXXI.

De Inquisitione Belgicâ.

IN Belgium jam anno 1522. Inquisitio introducta fuit, & Inquisitores instituti Magister Franciscus Hulstus, & Nicolaus Egmondanus Carmelita, de quibus ita Erasmus scribit ad Joannem Carondiletum Archiepiscopum Panormitanum, anno 1524. *Et jam gladius datus est duobus acerrimis bonarum literarum osoribus, Hulsto & Egmondano.* &c. *Homo cui malè volunt rapitur in carcerem, ibi inter paucos transigitur negotium, & innoxius debet indigna pati, ne quid illis decedat autoritatis. Ubi totâ aberratum est viâ, clamant, favendum est negotio fidei.* Et ad Bilibaldum Pirkheimerum, anno eodem. *Illic* (sc. in patria Erasmi) *regnat Egmondanus homo furiosus, armatus gladio, qui me duplo pejus odit quam Lutherum. Habet collegam Franciscum Hulstum mirum hostem bonarum literarum. Primum conjiciunt homines in carcerem, ac post quærunt quæ objiciant. Ista Cæsar nescit, quæ tamen operæ pretium esset illum scire.* Illorum sævitiâ plures indignis modis sunt tractati, ac crudeliter interfecti. (Epist. lib. 21.; Epist. lib. 30.)

Verum anno 1549. Cæsar Carolus edicto contra hæresin & hæreticos, apertius Inquisitionem, ad instar Hispanicæ, in Belgium invehere conatus est: quo mandat omnibus quibus justitiæ administratio commissa est, ac officialibus, ut requisiti ab Inquisitoribus fidei, & Ordinariis sive Episcopis, cupientibus simul seu conjunctim contra quempiam in negotio criminis hæresis procedere, illis præstent omne auxilium, ac favorem, eisque assistant in executione officii sui, & porro in capiendis, apprehendendis & detinendis iis, quos hæreticâ pravitate infectos repererint, juxta instructionem quam prædicti Inquisitores (ait) à nobis habent. In fine dicitur, procedendum contra transgressores per executionem, non obstantibus ullis privilegiis in contrarium, quibus per mandatum hoc derogatur. Decretum hoc miros animorum motus excitavit, præsertim Antverpiæ, ubi cum innotuit tale decretum jam conceptum & brevi promulgandum, plurimi

mercatores discessum in alias regiones meditabantur. Cum exinde grave civitati damnum immineret, omnisque negotiatio pessum iret, Magistratus Antverpiensis præcipuis mercatorum & civium ad se vocatis accuratè ex iis inquisivit, quæ damna civitas jam, solummodò metu Inquisitionis, passa esset, & quid porrò damni, si Inquisitio introducatur, exspectandum esset. Hæc omnia scripto comprehensa Magistratus Reginæ Mariæ, Caroli v. sorori, tunc Belgium gubernanti, exhibuerunt, & ex Edicto, Inquisitorum Instructione, privilegiisque Brabantiæ variis desumtis argumentis fusè ostenderunt quanta mala civitati totique regioni imminerent: oraruntque ut ipsa apud Cæsarem fratrem suum intercederet, ne tam opulenta ac florens civitas per Inquisitionem pessumdetur, à quâ, uti & à jurisdictione ecclesiastica, hactenus immunis fuerat, & vi privilegiorum suorum semper immunem esse oporteat. Adjunxerunt se Antverpianis Ordines Brabantini, illorumque rationibus, ac precibus regina permota, Augustam ad fratrem Cæsarem profecta est, effecitque ut aliud edictum conditum fuerit, quo judicibus ecclesiasticis, quando contra aliquem ob crimen hæresis essent processuri, potestas concedebatur, sibi aliquem adjunctum è supremis Cæsaris Curiis petendi: in reliquis autem priori decreto mitius neutiquam erat. Receptum illud fuit ægrè admodum, ac reluctantibus animis, & Antverpiæ non promulgatum, nisi cum protestatione, quod per hoc decretum nihil derogaretur suis privilegiis & statutis. Wesenbec de stat. rel. in Belgio p. 20.

Non obstante autem hac Magistratus declaratione, incolarum animi, quos consideratio crudelitatis Inquisitorum totos occupaverat, non acquieverunt; potissimum, quia videbant, nihilominus illos, qui à Papâ ac Cæsare clam ad exercendum munus Inquisitoris delegati erant, tam ipsos, quam per suos Commissarios, variis in Provinciis ac civitatibus Inquisitionis officium exercere. Multi quippe passim in variis civitatibus ab Inquisitoribus hæreseos condemnati, gladio, laqueo, igne vitam finierunt, vel culeo inclusi aquis submersi sunt, frustrà Ordinibus ut à tam gravi servitute liberentur supplicantibus apud Regem ad omnes ipsorum preces surdum, & cui ea animo stabat sententia, potius regnis suis excidere, quam ea retinere hæresi infecta. Cum sensim majores exinde motus orirentur, & Inquisitorum sævitiâ indies aggravescente res jam in apertam seditionem erupisset, imagines à plebe passim è templis essent dejectæ, plurimaque per tumultum gererentur, Rex, ut specie juris Belgium subigat, & pro arbitrio leges in eo figere ac refigere possit, summi Senatus Inquisitionis in Hispaniâ judicium de Belgis requirit; hic visis informationibus & probationibus ab inferioribus Inquisitoribus è Belgio transmissis, declaravit omnes Belgas, iis quorum nomina ad ipsos transmissa erant exceptis, hæreticos aut hæreticorum fautores, & vel committendo vel omittendo læsæ Majestatis esse reos. Hoc ubi obtinuit responsum Rex, Ducem Albanum valido cum exercitu in Belgium misit; qui, ut erat homo ferox & crudelis, armatâ manu Belgium intrans, omniaque sibi obnoxia videns, toto Belgio immanem in modum sæviit: videre erat per omnes civitates homines senes, juvenes, viros, mulieres, puellas, sine ullo dignitatis, ætatis, aut sexus discrimine, passim ad laqueos, enses, rogos, aliaque supplicia rapi: Donec tandem misera gens, libertatis pristinæ memor, resumtis animis arma arripuit, atque libertate vindicatâ Inquisitionem toto Belgio exegit.

HISTORIA INQUISITIONIS.

LIBER SECUNDUS,

De Ministris Officii Inquisitionis.

CAPUT I.

De Ministris Inquisitionis in genere.



Actenus Inquisitionis originem, illiusque in varia regna ac regiones propagationem descripsimus: Restat nunc interior illius facies exhibenda. Tria hic à nobis sunt præstanda. Primò, Ministri Inquisitionis, tam Inquisitores ipsi, quam omnes qui in Officio Inquisitionis ipsis inserviunt, eorumque munera ac officia sunt describenda. Secundò, explicanda sunt crimina, quorum judicium Inquisitionis tribunali est demandatum, quot modis eorum reatus contrahatur, & quæ in singula delicta constituta sit pœna. Tertiò, quis procedendi modus coram Inquisitionis tribunali observetur. Quæ singula singulis libris explicabuntur.

Quod itaque primum attinet, non necesse hic est ea repetere, quæ libro primo de Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus in omnibus Reip. Christianæ locis, nec non de supremis Inquisitionis in regnis Hispaniæ & Lusitaniæ consiliis, satis fusè tradita sunt: Inquisitores solummodò, & qui eis inserviunt describendi sunt. Quamvis enim horum Consiliorum erectio non levem in Officio Inquisitionis mutationem introduxerit, illa tamen magis procedendi modum spectat, quam ipsos Inquisitionis ministros: Quare quæ hic ab antiquo procedendi modo diversitas obtineat, illic, quantum ex variorum scriptis eruere licuit, explicabitur.

Est tamen in Inquisitione Hispanicâ & Lusitanâ ministeriorum quædam diversitas, quæ non per omnia convenit cum ministeriis antiquæ Inquisitionis, & hodiernæ Italæ. Quoniam autem duæ illæ Inquisitiones hodie sunt præcipuæ, & maximè celebres, quicquid in illis occurret diversum à reliquis Inquisitionibus, quantâ possum diligentiâ, adscribam, & ministeria, prout à Doctoribus Hispanis traduntur, exhibebo.

Ministros itaque Inquisitionis Hispanicæ nobis hos tradit Simancas *de Cathol. Inst. tit.* XLI. §. 3. „In unaquaque provinciâ Hispaniæ duo aut tres Inquisito-„res esse debent, Judex bonorum publicatorum unus, Executor unus, Nota-„rii tres, duo scil. à secretis, tertius sequestrationum, Custos carceris unus, „Nuntius unus, Custos januarum unus, & Medicus unus. Præterea neces-„sarii sunt Assessores & Consultores periti, Familiares, & alii. In Italiâ autem vocari solent Cruce-signati, quorum ferè idem cum Hispanorum Familiaribus munus est. Est præterea Promotor Fiscalis, est Receptor bonorum publicatorum, ac tandem etiam sunt Visitatores Inquisitorum. Singulorum munera explicanda sunt.

CAPUT II.

De Inquisitoribus.

IN Ecclesiâ Romanâ duo sunt genera judicum in causâ fidei: Ordinarii, ut summus Romanus Pontifex, & Episcopi locorum, qui cum ordinantur, seu consecrantur, creduntur jure divino in hæreticos accipere potestatem & jurisdictionem: Et Delegati, quibus à Papâ Romano hoc munus judicandi hæreticos in specie datum est; quos jura Inquisitores vocant. Sunt ergo Inquisitores Apostolici, judices à Pontifice Maximo (qui supremus Fidei Judex creditur) delegati, quibus jure Pontificio data est jurisdictio plena contra omnes hæreticos & apostatas: & sunt delegati ad universitatem causarum. Eymeric. Direct. p. 3. q. 1.

Ut officium Inquisitionis alicui delegari possit, requiritur, ut quadragesimum ætatis annum attigerit: per cap. *Nolentes.* de hæret. in Clement. *Hoc sacro Concilio approbante statuimus nullis ex nunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerint, Officium Inquisitionis prædictæ committi.* Sed quia nonnunquam scientia & prudentia defectum ætatis supplet, Pontificis Maximi generali decreto constitutum est, ut qui trigesimum annum attigerit Inquisitor Apostolicus in Hispaniâ esse queat, nec non in Lusitaniâ. Etiam hoc sæculo Congregatio Cardinalium Baptistam à Martinengo Inquisitorem Cremonensem creavit, quamvis vix excederet annum trigesimum. Observari etiam solet, ut in civitatibus eligantur Inquisitores non cives, sed exteri. q. 2. Carena p. 1. t. 5. n. 18. q. 3.

Hi Inquisitores potestatem officium hoc exequendi accipiunt à Papâ, qui interdum immediatè vivâ voce Inquisitorem instituit, aliquando per literas suas Apostolicas. Sic in literis Clementis, quarum initium est, *Licet ex omnibus mundi partibus.* ad Inquisitores scriptis, legitur: *Ut igitur Inquisitionis officium contra hæreticos possit efficacius adimpleri, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, in remissionem vobis peccatorum injungentes, quatenus in Charitate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, prædictum officium, quod Apostolicâ vobis autoritate committimus.* &c. Interdum committit alicui Cardinali seu Legato.

Olim Papa ordinariè id commisit Magistro & Prioribus Provincialibus Ordinis Prædicatorum; Generali ac Provincialibus Ordinis Minorum, quatenus in partibus ipsis traditis valeant è Fratribus sui Ordinis de Inquisitoribus providere: uti habetur in eorum privilegiis: Quod etiam multis Pontificum rescriptis constat; Innocentii IV. Clementis IV. Alexandri IV. quæ incipiunt, *Licet ex omnibus. Discretioni tuæ per Apostolica scripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de consilio aliquorum discretorum fratrum ipsius Ordinis eligas octo de fratribus ejusdem Ordinis tuæ Provinciæ idoneos ad hujusmodi opus dominicum exequendum, eisque in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipere Apostolicâ autoritate procures, ut Inquisitionis officium,* &c. Et rationem hanc reddunt; quia ipsi majorem notitiam præsumuntur habere de Fratribus suis; & propterea facilius judicare queunt, qui sint magis idonei, ut tanto muneri præficiantur. Hodie autem in totâ Italiâ Apostolici Inquisitores non eliguntur à Prælatis Ordinum prædictorum; sed vel immediatè à Papâ; vel per breve, quomodo eligi solet Inquisitor Mediolani & Genuæ; vel per literas patentes à Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus in universâ Republicâ Christianâ. In Hispaniâ etiam Præses Inquisitonis Inquisitores constituit.

Sicut Inquisitorum potestas dependet à Papâ, ita etiam à solo Papâ, & iis quibus potestatem hanc Papa commisit, ab officio suo removeri possunt. Olim Papa potestatem hanc concessit Magistris Ordinum Generalibus & Provincialibus: ut liquet ex his Innocentii literis. Q. 5.

Innocentius Episcopus Servus servorum Dei veneralibi Fratri Joanni Episcopo quondam Bosinensi Magistro, & dilectis filiis Fratribus Ord. Prædicatorum salutem & Apostolicam bene- Bzovius a. 1245. § 12. n. 10.

benedictionem. Odore suavi Ordinis vestri continuè recreati, eum non immeritò favore speciali prosequimur: & ipsius exaltationem plenis desideriis affectamus, quietem ei & alia diligenti procurare solertiâ intendentes, per quæ semper optatum autore Domino suscipere valeat incrementum. Hinc est quod nos vestris supplicationibus annuentes, ut tu Frater Joannes Episcope ac Magister, tuique successores Fratres tui Ordinis, qui ad prædicandum crucem vel inquirendum contra pravitatem hæreticam, seu ad alia hujusmodi negotia sunt, vel fuerint à sede Apostolicâ deputati, removere seu revocare, penitus transferre, ipsisque quod supersedeant injungere, aliosque substituere cum expedire videritis, licitè ac liberè valeatis, & in eos si contravenerint censuram ecclesiasticam exercere; ac quilibet Prior Provincialis ejusdem Ordinis id ipsum in suâ Provinciâ circa Fratres ipsius Ordinis, quibus in illâ similia contingit ab eâdem sede committi, facere possit, autoritate præsentium indulgemus. Lugduni V. Idus Junii. Pontif. a. tertio.

Nunc vero Cardinales Inquisitores Generales in universâ Republ. Christianâ eos removent, mutant, ac de uno, cum expedit, ad alium locum transferunt.

Eymer. direct. part. 3. qu. 11. Officium hoc Romani Pontifices voluerunt ab omni impedimento esse liberum: cum autem unum ac præcipuum impedimentum nasci potuerit à prælatis Religionum, si cum regulares Inquisitores creantur suis prælatis obedire in suo officio tenerentur; propterea Romani Pontifices ipsos quoad hoc eorum jurisdictione exemerunt: ut patet ex Bullâ Clementis IV. quæ incipit. *Catholicæ fidei. Et si forsan Magister & minister Generales, aliique Priores & Provinciales, ac custodes seu Guardiani aliquorum locorum vestrorum Ordinum, prætextu quorumcunque privilegiorum seu indulgentiarum ejusdem sedis, dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis, vel vestrum alicui, seu aliquibus, injunxerint, seu quoquo modo præceperint, ut ad tempus, vel quoad certos articulos certasve personas in negotio supersedeatis eodem: Nos vobis universis & singulis autoritate Apostolicâ districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte, vel intendere quomodolibet præsumatis: Nos enim privilegia seu indulgentias hujusmodi (quantum ad hunc articulum) tenore præsentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos, vel vestrum aliquos hac occasione ferri contigerit, irritas prorsus decernimus & inanes.* Qu. 12. In officio itaque Inquisitionis nullo modo subsunt suis præsidentibus, sed soli Papæ: Adeo quidem, ut si Inquisitor aliquem indebitè vexaret pro hæresi, non posset captivus appellare ad præsidentem illius Religionis, sed ad solum Papam; nec Inquisitor præsidenti suæ Religionis, petenti ut sibi respondeat de iis quæ ad officium suum pertinent, ei in ullo eorum obedire teneatur, sed soli Papæ cujus immediatè gerit vices.

Et ne ipsi Ordinum præpositi aliquam sibi in Inquisitores ratione muneris sui Inquisitorii potestatem arrogarent, ad Inquisitores Urbanus IV. in privilegio Catholicæ fidei scripsit. *Nam si prædicta sedes interdum Prælatis aliquibus vestrorum Ordinum per suas literas sub certâ formâ committat, ut ad exercendum officium Inquisitionis contra hæreticam pravitatem aliquos suorum Ordinum fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint amovere, ac alios subrogare; non tamen per hoc quod ipsis eâ duntaxat de causâ in hac parte committitur, quia de Fratrum suorum Ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam præsumitur, aliqua etiam super hujusmodi negotio vobis immediatè à prædictâ sede commisso & committendo facultas vel jurisdictio attribuitur, seu potestas.*

Hæc solummodò locum habent, quando Inquisitores sunt Ordinis alicujus, sive Prædicatorum, sive Minorum Fratres: nullum verò hodie usum habent in Tit. 41. §. 3. Hispaniâ, ubi, uti docet Simancas, experientiâ jam olim compertum est, longè utilius & commodius esse, ut Inquisitores eligantur juris-periti, quam Theologi.

Similiter in favorem fidei voluerunt Papæ Romani munus Inquisitorum esse perpetuum, adeò ut nec morte committentis Papæ terminetur, etiamsi nondum jurisdictione delegatâ usi fuerint. Ita constitutum est per Clementem IV. & legitur in Sexto decret. *Ne aliqui dubitationem sollicitam excitantes in dubium revocent, an officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis sollicitudini vestræ intra certos limites*

ab

ab Apostolicâ sede commissum exspiret per mortem Romani Pontificis qui commisit, præsenti declaramus edicto, ipsum officium non solum propter negotia vivente mandatore incepta, immò & quoad integra & non cœpta, & quod plus est, quantum ad ea quæ tunc nequaquam emerserant, in favorem fidei post committentis obitum perdurare. Hac ratione etiam in Hispaniâ durat particularium Inquisitorum officium, Inquisitore Generali mortuo, quamvis ab eo delegati esse videantur: & eò magis, quia sub hac formâ eliguntur: *Committimus vobis vices nostras, donec specialiter ad nos duxerimus revocandas.* Quo casu, mortuo delegante, jurisdictio judicis delegati durat. cap. *Si delegatus,* de offic. deleg. lib. 6. Simancas de Cathol. Instit. tit. 34. § 14.

Munus hoc tantæ habetur in Ecclesiâ Romanâ dignitatis, ut Inquisitoribus, perinde atque Episcopis, titulus Reverendissimorum attribuatur: Quoniam enim à Summo Pontifice delegati sunt ad jurisdictionem, ad præcipuam partem muneris Episcopalis assumti sunt: ac proinde æquali cum Episcopis dignitatis titulo honorandi creduntur. Unde & porrò inferunt, Inquisitorem præcedere debere Vicarium Generalem Episcopi, non tantum in causis hæresis, sed etiam extra actus & causas S. Officii. Caren. p. 1. t. 5. n. 57.

In Hispaniâ sæpe plures unò Inquisitores deputantur, & quando id contingit, illud caveri volunt, ne in eadem provinciâ duo Inquisitores consanguinei creentur, neque habeant Officialem aliquem in famulum aut familiarem. Simanc. tit. 34. § 21.

„ Si quid arduum aut difficile contigerit in provinciâ, Inquisitores ad Senatum „ ea referre debent. § 15.

„ Sex horis quotidiè sedeant Inquisitores in tribunali; & si quid invenerint, „ quod ad Inquisitores alterius provinciæ pertinere possit, ad eos id mittant, & „ nuntiis solvantur itineris expensæ ab iis Inquisitoribus ad quos missi fuerint. „ 4. *Instruct. Tolet. cap.* 28. & 3. *Instruct. Valdolit. cap.* 9. § 16.

„ Præterea Inquisitores assiduè legant eos libros, in quibus testimonia contra „ hæreticos scribuntur, ut ex his colligentes nomina reorum, & scelera, de cri- „ minibus uniuscujusque seorsim cognoscant: quâ in re uti possunt operâ Pro- „ motoris Fiscalis, & Notariorum. De hoc autem Visitatores nominatim in- „ quirere debent, & ad Inquisitorem Generalem referre, si forte Inquisitores „ negligentes fuerint. 5. *Instruct. Hispal. cap.* 3. § 17.

„ Summâ ope niti debent Inquisitores, ut amici sint & concordes: si qua „ verò inter ipsos contentio orta fuerit, eam occultent, & ad Inquisitorem Ge- „ neralem referant, ut causâ cognitâ rem componat, & inter illos judicet. 1. *In-* „ *struct. Hispal. cap.* 26. § 18.

Cessat Inquisitoris munus adeptione dignitatis: Si enim Inquisitor fiat Episcopus, utique ex harum dignitatum incompatibilitate, cum utraque personalem requirat residentiam, cessat munus Inquisitoris. Carena p. 1. t. 5. n. 102.

Si Inquisitores delinquant, pecuniam injustis modis extorquendo, olim cautum est in Clement. de hæret. cap. *Nolentes.* ut à Prælatis sui Ordinis punirentur: *Qui equidem prælati Inquisitores & Commissarios prædictos reos inde repertos ab officiis removere, & amotos aliàs punire debitè seu corrigere teneantur.* Cæterum hodie, sicut nec Prælati Ordinum constituunt aut removent Inquisitores; ita nec eos puniunt; sed ea res ad Cardinales Inquisitores Generales in universâ Republ. Christianâ delata est. In Hispaniâ Præses Inquisitionis (quem Majorem Inquisitorem vocant) Inquisitores delinquentes coërcet: quod ipsi diplomate quodam Leonis X. expressè indultum est. Hisce tamen minimè obstantibus, quoties Papæ visum fuerit, ad Romanam Curiam liberè potest quoslibet Inquisitores quorumcunque regnorum vocare, citare, & punire: cum sit omnium Judex, & Inquisitores ab eo sint delegati, & ad eum spectet eorum causas delictaque cognoscere & coërcere. Quod si alii de eis cognoscant, id ex potestate à Papâ concessâ faciunt, quam quotiescunque voluerit, & auferre poterit, & ad se negotium evocare. Pegna in part. 3. Direct. Comm. 61.

Quando vero aliquis Inquisitor ob delictum est puniendus, caveri volunt, ne

ne ex condemnatione aut punitione alicujus eorum derogetur in opinione hominum dignitati & autoritati sancti Officii Inquisitionis; quod ajunt periculosius esse, quam impunitum relinquere aliquem peccatorem: nisi tale esset delictum, unde scandalum oriretur, ac propterea non esset impunitum relinquendum: Et hanc reddunt rationem; quod Inquisitores Apostolici multis, ac præsertim sceleratis hominibus sint formidabiles & invisi; si itaque facilè ac publicè punirentur, non difficulter eorum delicta à populo stulto & insanâ plebe in odium & dedecus sancti Officii traherentur. Itaque cum necessitas punire Inquisitores cogit, cautè id fieri volunt; ne in superiora incommoda prolabantur.

Tavern. Itinerar. lib. 1. cap. 15. Interim ex ejusmodi legibus liquet, non adeo sanctum atque irreprehensibile esse Inquisitionis tribunal, uti in Hispaniâ & Lusitaniâ credi volunt; sed Inquisitores nonnunquam injustis modis homines innocentes affligere, in carcerem conjicere, & indignis modis vexare. Cujus recens exstat exemplum in Inquisitione Goanâ contra Patrem Ephraimum Capucinum, quem ex mero odio ac vindictâ, per insidias ac fraudes interceptum, Goam abduxerunt, & in Inquisitionis carcerem detruserunt. Res hoc modo gesta narratur. Pater Ephraimus, ab Anglis mercatoribus invitatus, in civitate Madrespatan, vicinâ civitati Divi Thomæ, Ecclesiam erexit: illuc aliquot Lusitani, relictâ urbe Divi Thomæ, ut Ephraimi institutione fruerentur, confluxerunt. Hoc facto odium in se Lusitanorum provocavit: itaque excitatâ quadam contentione, ad cujus compositionem Ephraimus evocabatur divum Thomam, à ministris Inquisitionis comprehenditur, & Goam manibus pedibusque ligatis abducitur, & noctu è navi in carcerem Inquisitionis detruditur, mirantibus omnibus Capucinum, cujus nota erat probitas & pro religione Romanâ zelus, coram Inquisitionis tribunali captivum tanquam hæreticum constitui. Multi liberationem ejus desiderabant, & imprimis Frater Zenon ejusdem Ordinis nihil intentatum reliquit. Cum illius captivitatis fama in Europam transvolasset, varii admodum animorum fuere motus. Dominus Chateau des Bois frater ipsius Legatum Lusitanum Lutetiæ Parisiorum urgere non destitit, donec Lusitaniæ regem literis datis monuerit, ut Inquisitoribus Goanis dimitti è carcere Ephraimum mandet. Quin & ipse Papa literis Goam missis Ephraimum dimitti jussit, additâ excommunicationis sententiâ nisi mandato suo pareant. Rex etiam Golcondæ, cui gratus erat, quoniam aliquâ ab ipso Matheseos cognitione imbutus erat, civitatem divi Thomæ obsideri, omniaque ferro ac flammis vastari præcepit, nisi Ephraimus quamprimum libertati restituatur. Inquisitores omnibus hisce impedimentis superandis impares, illi nuntiari curarunt, apertam esse januam carceris, ipsique liberum patere egressum: Verum ipse carcere non exiit, nisi solenni ecclesiasticorum Goanorum processione inde eductus. At verò licet ejusmodi injustitiæ satis frequentes sint, rarum tamen admodum est Inquisitorum injustitiam ac violentiam ita publicè coargui, ne illorum autoritas, quam sacrosanctam esse volunt, in animis hominum vilescat.

CAPUT III.

De Vicariis & Sociis Inquisitoris.

Eymer. 42. CUm olim initio constitutæ Inquisitionis delegatæ nulli essent Inquisitores Cardinales Generales in totâ Republ. Christianâ quos per literas liceret consulere, & ab iis etiam in arduis responsum, habitâ prius cum Papâ debitâ consultatione, accipere; sæpe cogebantur privati Inquisitores Romam proficisci, in quorum absentiâ negotia fidei non poterant expediri; ideo, ut negotium Inquisitionis procedat, potest Inquisitor tali in casu instituere in totâ Provinciâ Vicarium generalem, etiam cum potestate procedendi ad sententias defini-

43. Pegna in Eym. p. 436.

finitivas impœnitentium ac relapsorum. Urbanus IV. ut huic incommodo occurreret, anno Domini 1263. Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano Inquisitorem creavit Generalem, seu quasi protectorem Inquisitorum, quem possent particulares Inquisitores consulere, sive ipsum accedendo, sive per literas dubia sua proponendo, rescripto incipiente, *Cupientes.* Hodie vero incommoda hæc sublata sunt, institutis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus in totâ Rep. Christianâ, quos per literas consulere licet, & quibus principes omnes in hac causa subjiciuntur; uti constat ex Bullâ Pii V. a. 1566. editâ. In Hispaniâ autem Inquisitores singularum urbium Generalem eorum regnorum Inquisitorem, seu Inquisitionis Præsidem, consulunt; is verò cum cæteris aliarum provinciarum Cardinales Inquisitores Generales.

Nihilominus tamen & quotidiana praxis omnium Inquisitorum hæc est, ut habeant Vicarios Generales, qui ipsis absentibus negotium Inquisitionis promoveant. Hi ordinariè ab ipsis Inquisitoribus institui solent. Potestatem siquidem habet Inquisitor Vicarium sibi seu Commissarium constituendi: per Bullam Clementis VII. missam ad Paulum Bugitellam quæ incipit, *Cum sicut.* Ubi ita legitur: *Decernimus insuper ut vestros Vicarios sive Commissarios instituere valeatis; viros vestrâ sententiâ providos, aptos, & idoneos, dummodò ætatis trigesimum annum attigerint.* Qu. 13.

Imò non unum tantùm aut alterum, sed plures interdum Vicarios seu Commissarios sibi constituere potest, cum ejus diœcesis seu provincia latè patet, ac multæ in eâ civitates continentur: nam cum tunc Inquisitor singulis per se interesse non possit, necesse est Commissarios in eis constituere. Creabit verò in singulis unum Commissarium virum prudentem, doctum, Christianum veterem, pium, & negotio aptum, sui vel alterius Ordinis religiosum, aut clericum sæcularem, nimirum aliquem in ecclesiâ principali ejus civitatis in dignitate constitutum, aut Canonicum, quem procul dubio credat negotia fidei diligenter & juxta canonicas sanctiones esse curaturum. Pegna Comm. 63.

Vicario huic Generali Inquisitor vices suas plenè committere potest, ut habeat potestatem denuntiationes & informationes, seu accusationes, à quibuscunque & contra quoscunque recipiendi, & procedendi; ac super & pro eisdem tam testes quam reos citandi, arrestandi, compediendi, confessiones seu testimonia recipiendi, ea probandi, examinandi, & ad testificandum cogendi, atque pro dicendâ veritate unà cum Domino Episcopo seu ejus Vicario quæstionibus exponendi & tormentis; ac etiam ponendi ad carcerem, qui magis ad pœnam quam ad custodiam videatur; consilium peritorum, quando ipsi videbitur, convocandi; & generaliter omnia alia faciendi, quæ ipse Inquisitor, si præsens esset, facere posset. Definitivam solummodo omnium impœnitentium & relapsorum sententiam sibi reservare solet Inquisitor: Licet enim & eam committere possit Vicario, tamen ordinariè eam sibi reservare solet. Imò in Hispalensi instructione anni 1484. cap. 17. cautum est, ut *Inquisitores per seipsos recipiant & examinent testes, nec committant eorum examen Notario vel alteri personæ; nisi testis esset ita infirmus, quod non posset ante Inquisitorem comparere, & Inquisitori non esset honestum ire ad recipiendum testis dictum, vel esset impeditus; nam eo casu posset Inquisitor committere examen testis judici ordinario & Ecclesiastico loci, & alteri personæ providæ & honestæ, quæ sciat bene examinare cum Notario, & referat modum, quem tenuit testis in deponendo.* Rarò tamen potestas sententias definitivas pronuntiandi Commissario seu Vicario deferri solet, nisi prius consulto Inquisitore, cujus est, processus, etiam suorum Commissariorum, quâdam decentiâ defensare. Nec etiam potestatem illi conferre potest, alium sibi Vicarium substituendi. Nonnunquam & duos instituunt Commissarios, qui contra reos pariter & conjunctim procedant. Eymer. p. 3. 37. 38. Pegna p. 434. 41.

Institutum hunc à se Vicarium solus Inquisitor deponere potest, & nullo modo id possunt Religionum præfecti.

Aliquando ipse Papa Commissarium constituit: adeo ut duo sint Commissa-

rios

riorum genera, quidam sunt constituti ab Inquisitore, alii ab ipso Papa. Horum autem potestas est inæqualis: Commissarius enim ab Inquisitore constitutus, nec Ordinario præfertur, nec indistinctè omnibus aliis privilegiis gaudet, quibus Inquisitor: Si verò nominatim autoritate Papæ sit constitutus, per omnia ipsi Inquisitori æquatur.

Carena p. 1. t. 7. n. 15, 16. Quæritur inter Doctores, an morte Inquisitoris finiatur jurisdictio Vicarii. Verum licet id controverti olim potuerit, hodie omnis videtur dubitatio esse sublata. Congregatio enim Cardinalium Inquisitorum Generalium decrevit, quod Vicarii Inquisitorum Generales nominarentur seu eligerentur ab Inquisitoribus; ita tamen, ut confirmari debeant à suâ Congregatione. Quo stante decreto, cum dicantur Vicarii habere jurisdictionem à Congregatione, ex quo actus solet tribui confirmanti, utique per mortem vel remotionem Inquisitorum jurisdictio Vicariorum non exspirabit. Atque ita observatum fuisse ait Carena in civitate Papiâ, in qua, mortuis ibi duobus Inquisitoribus, Vicarii Generales S. Officii omnia Inquisitionis negotia pertractarunt.

Caren. p. 1. t. 11. n. 5, 7. Quod attinet Vicarios in singulis civitatibus constitutos, quos Vicarios foraneos vocant, regulariter iis non solet concedi, nisi sola instructio offensivi processus; ita tamen, ut in eo instruendo sæpius de his quæ peraguntur moneant Inquisitorem: Unde & neminem possunt carceribus mancipare, nisi re cum Inquisitore communicatâ, vel nisi summa & inevitabilis adsit necessitas; puta si tractaretur de hæretico formali, & periculum esset in morâ, quia se præpararet ad fugam.

Eymer. part 3. qu. 20. Si Inquisitor in officio suo Socio indigeat, mandatur Prioribus Ordinum per Bullam Clementis IV. cujus initium, *Ne Catholicæ fidei negotium*, ut singulis fratribus, in Inquisitores electis, singulos socios, Fratres videlicet ipsius Ordinis, providos & discretos, ac eidem negotio congruentes, de quibus hi quibus consignati fuerint meritò valeant consignari, sublatâ difficultate quâlibet, assignari procurent: & quoties ab Inquisitoribus fuerint requisiti etiam provideant de aliis fratribus ejusdem Ordinis, præter illos qui jam in Socios deputati fuerint. Gregorius etiam XI. per Bullam incipientem *Catholicæ fidei negotium.* Inquisitoribus liberam confert potestatem, ad curiam Romanam eundi, illic morandi, & Socium assumendi absque Ordinis sui licentiâ, & Socium hujusmodi mutandi, & alium de suâ Provinciâ assumendi, & secum tenendi quoties fuerit oportunum, non obstantibus quibusvis prohibitionibus Prælatorum aut Capitulorum in contrarium.

CAPUT IV.

De Assessoribus & Consultoribus necessariis pro Officio Inquisitionis.

Eymer. 3 part. qu. 77. Pegna comm. 126. QUoniam olim Inquisitores erant Fratres Religiosi, in Theologiâ solum periti, jura autem ignorabant; & quia in ordine judiciario facilè decipi poterant, & propterea absolvere damnandos, & damnare absolvendos; ideò ipsis mandatum est, ut advocent peritos, hoc est, Theologos, Canonistas, & Legistas, ut eos consulant, & ad consulendum, si opus esset, compellant in virtute obedientiæ; uti habet cap. *Ut Commissi.* §. *Advocandi.* de hæret. lib. VI. *Advocandi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut vobis assistant, & in hujusmodi ferendis sententiis præbeant consilium opportunum, ac eis, quod super his vobis humiliter pareant, in virtute obedientiæ injungendi.* Atque ita sæpius in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ in sententiarum pronuntiatione legimus: *Nos præfati Episcopus & Inquisitor, communicato & habito consilio multorum bonorum virorum peritorum tam in jure Canonico quam Civili, & Religiosorum plurium discretorum* &c. Eorum numerum certâ lege præcisè definitum non invenio. Carena *part.* 1. *tit.* VIII. *n.* 12. in congregatione Cremonensi regulariter adesse ait, quatuor Re-

Regulares Theologos, quatuor Clericos sæculares Canonistas, & quatuor Jurisconsultos laicos. Quia ibi Inquisitor semper est Magister in Theologia, ideo non egent tot aliis Qualificatoribus, prout egent Inquisitores Hispaniæ, qui sunt Jurisconsulti. Ibid. n. 35.

Mirari quis posset, officium inquirendi hæreticos eosque judicandi commissum esse hominibus juris ignaris. Verum si hodierni Inquisitores considerentur, eosque cum antiquioribus conferre, & ex horum imperitiâ de illorum imperitiâ judicium ferre liceat, non tantum juris, sed & Theologiæ dogmatumque Theologicorum ignorantiam in ipsis ut agnoscamus necesse est. Autor historiæ Inquisitionis Goanæ dubitabat, an baptismus flaminis conciliari posset cum verbis Domini, *Joann. III. 5. Nisi quis renatus sit ex aqua & spiritu non potest intrare in regnum cælorum.* Inquisitor, qui ipsum de fide inquirebat, ad loci hujus citationem planè obstupuit, & quæsivit, ubi exstaret? Æquè ignarus erat Canonis Synodi Tridentinæ de cultu imaginum. Unde concludit, tantam esse rerum fidei ignorantiam in hominibus, quibus judicium de fide committitur, ut omnem superet fidem. Idem aiebat pater Ephraimus, sibi nihil in carcere Inquisitionis molestius fuisse ignorantiâ Inquisitoris, ejusque Assessorum, quando ipsum interrogabant, quam tantam fuisse ajebat, ut crederet, neminem ipsorum unquam Scripturam Sacram legisse. Tales itaque imperiti Inquisitores non tantum virorum in utroque jure peritorum, seu Canonistarum & Legistarum (uti vocant) sed & Theologorum consilio quammaximè indigent. Solent hi Assessores & Consultores vocari. cap. 22.

Singulis suæ sunt partes. Non enim omnes de quibusvis negotiis consuluntur, sed singuli de illis, quorum cognitionem habere præsumuntur. Theologi advocantur, ut propositiones examinent, & earum explicent qualitatem: Jurisperiti, ut de punitione vel absolutione reorum, ac de aliis causarum meritis, consilium præbeant opportunum. Inquisitores cum his peritis simul, & non seorsim, consultare ac deliberare solent; ut quibusdam epistolis Senatus Hispani cavetur.

Quando itaque in cognitione causarum hæresis in fidei tribunali quæstio incidit de qualitate propositionum, quæ ab hæreticis vel suspectis reis prolatæ sunt, illius decisio ad Theologorum officium pertinet; unde & illi *Qualificatores* sunt dicti. Horum munus accuratius nobis describit Simancas *tit.* LIV.

„Theologorum responsa, quibus propositionum qualitates continentur, actis „judiciarii processus, ab eisdem subscripta, inserenda sunt, perinde ac dicta te„stimoniaque aliarum rerum peritorum. § 2.

„Propositio vel est hæretica, quæ contraria est Scripturæ; aut ecclesiæ; aut „decretis Concilii Generalis rectè congregati, in his quæ sunt fidei; aut defini„tioni sedis Apostolicæ; aut communi sententiæ Doctorum Ecclesiæ. § 6.

„Vel sapit hæresim, quæ primâ verborum significatione & primâ facie sensum „habet hæreticum, quamvis piè intellecta possit habere sensum Catholicum. Ut „illa propositio: *Ridiculum est Eucharistiæ sacramentum solemni ritu per vias publicas „circumferre*; ea enim propositio Lutheranorum & Sacramentariorum hæresin sa„pit, & quidem manifestam.

„Vel est erronea, quæ est assertio contra veritatem ab Ecclesiâ nondum plane „definitam; vel contra veritatem Catholicam, non omnibus manifestam, aut „certè ab eo ignoratam qui propositionem erroneam dixit. Verum de hac pro„positione admodum variant Doctores. § 9.

„Vel est malè sonans & pias aures offendens, quæ auditoribus sive lectoribus „piis scandalum & occasionem ruinæ præbet. Cum autem aliqui offensi fuerint „talibus propositionibus, illorum assertor ab Inquisitoribus cogendus est, ut „publicè verum sensum earum exponat, ut ab eo datum scandalum cesset. Quod „si is, qui talem propositionem dixerit, alioqui suspectus erat, vocandus est à „judicibus, atque interrogandus; qui si probabilem sensum eorumdem verbo- § 10, 11.

 rum

„rum attulerit, non est cogendus ut publicè illum explanet, si modò nullus scandalizatus fuerit; monendus tamen est, ne talia deinceps dicere audeat.

§ 12. „Vel est temeraria, quæ nullâ gravi autoritate, aut justâ ratione, insolenter „vel audacter, contra ecclesiasticam modestiam asseritur. Ut si dicatur: *Dies „supremi judicii erit intra proximum mensem.* Interdum tamen ejusmodi propositiones non censentur temerariæ, præsertim cum modestè dicuntur, & aliquam verisimilitudinem habent, & piam audientium aut legentium utilitatem: qualia „sunt multa, quæ viri contemplationi dediti gesta fuisse verisimiliter imaginantur.

§ 13. „Vel est scandalosa, in quâ scandalum notari potest, etiamsi alioqui hæretica non sit. Ut, enumeratio incommodorum sacræ confessionis, ecclesiæ „Romanæ abusus coram plebe narrare; tum illæ propositiones; *Prælatus malus „est verè fur & latro*; *Universitates & Collegia vanitate hominum sunt inducta*; *Leguminibus & piscibus venter inflatur & ad concubitum redditur aptior.*

§ 14. &c. „Vel est schismatica, quæ divisionem Ecclesiæ inducit. Vel est seditiosa, „quæ in Ecclesiâ est seditionis causa vel occasio. Vel est blasphema, quâ Deo „vel Sanctis irrogatur injuria. Vel est favens hæreticis, quæ personis aut erroribus hæreticorum quoquo modo favet; ut hæc: *Hæretici non sunt puniendi.* „Vel est injuriosa, quæ alicui fidelium statui, vel illustri personæ, vel dignitati detrahit, vel injuriam facit; quales sunt quæ contra Cardinales & Monachos insani & impii effutire solent.

§ 19. „Eadem autem propositio varias simul potest habere qualitates. Una enim „propositio potest esse erronea, & hæretica, & schismatica, & seditiosa, temeraria, & injuriosa, & unam, duas, aut plures habere qualitates.

§ 20. „Quamvis quæstiones in fide ambiguæ à summo Pontifice vel Generali Concilio definiendæ sint; per modum tamen doctrinæ explicari ac definiri solent „à viris doctis atque prudentibus, quæ propositio sit hujus vel illius qualitatis; „quod munus propriè Theologorum est: sed nonnunquam etiam Jurisperiti ex „Pontificum, Conciliorum & sanctorum Patrum decretis hæc facilè dijudicare „poterunt.

„Cæterum quia multi cum propositiones à se dictas negare non queunt, eas ita „interpretari conantur, ut crimen excludant, diligenter observandum docent, „quales illorum sint interpretationes: Si sint justæ ac verisimiles, & omni modo, aut certè magnâ ex parte crimina objecta diluere possint, admittendas docent. Si verò absurdæ, non credibiles nec verisimiles, neque congruant cum „antecedentibus aut consequentibus, neque cum ratione recti sermonis, neque „cum circumstantiis personarum, temporum, & locorum, rejiciendæ sunt; præsertim quæ sub prætextu interpretationis verum sensum propositionis perimunt „atque corrumpunt.

Part. 1. § 400. &c. Joannes Royas autem in dijudicatione propositionum etiam aliquas Canonistarum esse partes ait: & quid singulorum Assessorum officium sit, & de quibus consuli debeant, paucis complexus est.

„Si in dubium vertitur, aliquam assertionem esse expressè damnatam ut hæreticam, hujusmodi cognitio ad juris Canonici peritos pertinet, quia hæreses „damnatæ, in Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extravagantibus, & Conciliis Generalibus reperiuntur. Sin autem expressè decisa non est hujusmodi „assertio, tunc ad sacræ paginæ confessores pertinet. Sed de usu & consuetudine jam diu receptâ indistinctè & absolutè cujusvis propositionis declaratio ad „Theologos attinet & spectat, & ab eorum assertionibus in causis fidei judicandis „minimè est recedendum, *Instruct. Madril.* a. 1561. *cap.* 1. Quod etiam per Consiliarios supremi Consilii Generalis Inquisitionis plenius decretum est. Proprium verò Inquisitorum hæreticæ pravitatis munus & officium est, ordinem „judiciarium contra hæreticos præsentes & absentes servare in eorum capturis,

„ac-

„accusationibus, testiumque publicationibus, & in sententiis, tam diffinitivis „quam interlocutoriis, cum consilio jurisperitorum, qui Consultores vocantur. „De his omnibus sacræ paginæ professores penitus sunt ignari. Sub his Consul„toribus etiam laici conjugati, qui sunt in jure Canonico & civili periti, com„prehenduntur. Idque suo exemplo confirmat Carena, qui de se ait; *Ego qui sum judex, Conservator jurium S. Officii, Consultor & Advocatus Fiscalis, sum conjugatus.* Putat autem hoc non procedere in regno Lusitaniæ, quia ibi Consultores habent votum decisivum, & in sententiis subscribunt. p 1. t. 8. n. 7.

Non tamen tenentur Inquisitores necessariò sequi peritorum consilium; sed liberum ipsis est, postquam eorum sententias audiverunt, statuere quod ipsis visum fuerit statuendum; quanquam aut contrarium sit, aut diversum ab eo quod periti senserint: Quia ipsorum vota non sunt decisiva, sed solum consultiva. Hoc etiam exinde evincitur, quia dari potest casus (inquit Camillus Campegi„us in Zanchinum cap. 15.) ut aliquorum precibus devicti, minus rectum, ne „dicam iniquum consilium præbeant. Adeò quippe charitas Christi refriguit, „ut vix pauci adinveniantur, qui in his ferendis consiliis Deum solum præ ocu„lis habeant. Qui enim reorum partes tuentur, ita Doctores ipsos importunis „precibus quotidie vexant, ut â recto proposito eos plerumque avertant. Ac„cedit, quod Inquisitores in Italiâ adeò pauperes existunt, ut nec certos & de„terminatos Consiliarios sibi delectos alere, nec salarium aliquod, etiam tenue, „eis præbere possint. Quo fit ut de hujus Officii sacri negotiis parum curare vi„deantur. Pegna Comm. 127.

Quin & Instructio Madriliana anni CIↃ IↃLXI. idem definivit. *cap.* LXVI. *In omnibus casibus, in quibus contigerit discordia sententiarum seu opinionum inter Inquisitores & Ordinarium, vel aliquem ipsorum, vel in definitione causæ, aut in quolibet alio actu, vel sententiâ interlocutoriâ, causa ad Senatum mitti debet: Sed si Inquisitores & Ordinarius fuerint conformes, quamvis Consultores discrepent, & sint numero plures, decretum Inquisitorum & Ordinarii executioni mandetur.* Exstat etiam epistola Senatus apud Inquisitores Cordubenses, quâ decretum est, ut si concordes sint Inquisitores & Ordinarius Judex, eorum sententia præferatur, quamvis diversum sit Consultorum omnium consilium: est enim jurisdictio Inquisitorum & Ordinarii judicis, & ipsi auditis peritorum sententiis, & actis causarum penitus conspectis, & circumstantiis omnibus plenius excussis, certius & melius definire possunt. Sed apud Inquisitores Valdolitanos nisi plures in eandem sententiam convenerint, etiamsi prædicti judices concordes fuerint, nihilominus ad Senatum causa mittitur. In Lusitaniâ vero Consultores votum habent decisivum, simulque cum Inquisitoribus determinationes in causis, & sententias subscribunt: ac cum illis conditionibus eliguntur, quæ ad Inquisitores necessariæ sunt, ætate quadraginta annorum, â jure communi requisitâ, exceptâ. Sousa. lib. 1. c. 1. § 14. Simanc. tit. 41. § 14.

Quamvis autem hæc potestas concessa sit Inquisitoribus, tutius tamen facient, si peritorum consilium sequantur. Hunc in finem etiam totum reorum processum peritis integrè communicare debent: per cap. *Statuta.* § *Jubemus.* lib. VI. *Quando vero procedit Episcopus coram Inquisitoribus, si haberi commodè possit copia eorumdem* (testium) *ac nihilominus sive Episcopus, sive Inquisitores processerint, aliquibus aliis personis providis & honestis jurisque peritis (quas ad hoc vocari, & eis per totum processum super quo deliberandum est seriosè manifestari, ac integraliter explicari, & de ipsorum consilio ad sententiam vel condemnationem procedi volumus) exprimantur: sicque (non obstante quod illis, contra quos hujusmodi deposuerunt, nomina ipsorum non fuerint publicata) adhibeatur ad cognitionem judicis instituendam plena fides depositionibus testium eorumdem.* Consuetudine tamen Inquisitorum receptum est, testium nomina Consultoribus non publicari. Inquisitoris tamen partes sunt notare testium qualitates; ut, an religiosi, periti, graves fuerint & probati: aut contra, an minus probati, plebeji, pauperes, juvenes, imperiti, aut similes; ut his qualitatibus in genere cognitis, facilius intelligant periti, quantum sit dictis singulorum tribuendum, Pegna in part. 3. Comm. 128.

aut detrahendum. Si verò probabiliter timetur testes inimicos esse reo, & periti utrosque cognoscant, quia melius scire possunt an sint vel fuerint invicem inimici, nec ne, possunt Inquisitores tali in casu testium & delatorum seu reorum nomina explicare: ne autem temerè ea indicent, quia secretum, uti ajunt, præcipuus est nervus causarum S. Officii, per juramentum aut sententiam excommunicationis eos constringere possunt ut secretum teneant. Cap. eodem. *Et ut eorumdem accusatorum & testium periculis efficacius occurratur, & cautius in Inquisitionis negotio procedatur; præsentis constitutionis autoritate permittimus, quod Episcopus vel Inquisitores secretum possint indicere illis, quibus (ut præmissum est) processum hujusmodi explicabunt; & in eos, si arcana Consilii, seu processus, sibi sub secreto ab eisdem Episcopo vel Inquisitoribus patefacta præter eorum licentiam aliis patefecerint, excommunicationis sententiam, quam ex secreti violatione ipso facto incurrunt, si eis expedire videbitur, promulgare.* Consultores etiam juramentum præstare solent se secretum servaturos, nec de rebus in Congregatione pertractatis revelandis, sub pœnâ excommunicationis ipso facto incurrendæ, à quâ non possint absolvi, nisi à Cardinalibus Supremis Inquisitoribus; & pariter jurant sub eâdem pœnâ, de non loquendo, seu tractando verbo vel scriptis, aut alio quovis modo, de his quæ concernunt causas S. Officii, nisi cum DD. Consultoribus aliisque Officialibus S. Officii. Et licet non expressè jurent, tamen ad id servandum obligati sunt per multas leges, jubentes ne causæ fidei propalentur ob periculum ingens quod inde nasci potest. Quod si non jurati propalaverint, extra ordinem puniri possunt per Inquisitores. Si verò per malitiam revelaverint, præsertim illis qui impedire possunt fidei negotium, aut alias causæ obesse, velut impeditores sancti Officii puniri possent, magis quidem vel minus pro culpæ qualitate, secundum quam pœnæ mensura imponenda est.

Caren. p. 1. t. 8. n. 65.

Si tamen Episcopi vel Inquisitores secreta S. Officii revelarent, nullam quidem censuram incurrerent, peccarent tamen mortaliter; nisi etiam ipsi in Congregatione suorum Consultorum juramentum præstitissent secreti, uti eos facere debere Congregatio Cardinalium supremorum Inquisitorum decrevit; qui & ipsi simile secreti juramentum præstant.

Camil. Campeg. in Zanch. c. 15.

Camillus Campegius autem contendit, quod nec ipsis peritis totus processus „integraliter cum nominibus & circumstantiis publicandus est. Quia & ipsi „suas factiones & passiones habent, cum ut plurimum concives seu aliter ipsis „reis, aut reorum amicis vel propinquis, conjuncti existant, & ob id testium „saluti juxta Canonis decretum non bene consuleretur. Nec valet, si dica- „tur, quod per Inquisitorem vel Episcopum peritis secretum indici possit, sub „excommunicationis sententiâ, quam ipso facto secretum violantes incurrunt: „Quia ipsi periti id ægrè ferrent, ac si injuria maxima illis irrogaretur. Se- „cundò laqueus illorum animabus imponeretur: nam citò in excommunicatio- „nem laberentur, saltem ob importunam curiosorum instantiam. Nec ob eam „causam aliquid fidei processui, aut testium dictis, detraheretur: immò im- „minens periculum à judicibus arbitratum ita excusat à publicatione faciendâ „peritis, sicut & à publicatione faciendâ reo. Quare tutius erit, consuetudinem „jam diu introductam servare, & nomina testium nec etiam ipsis peritis publi- „care. Idem Campegius, procul dubio ut secretum tantò melius observetur, „ibidem ait, opus non esse ut multi convocentur, sed sat esse aliquos, non omnes, „sed paucos ex melioribus eligere.

p. 1. t. 8. n. 55, 56.

Quæri solet inter Canonistas, an Inquisitores ante sententiam Consultorum vota teneantur requirere; ita ut, si non requirantur, sententia sit nulla. Carena eos ad id obligatos non putat; & in Inquisitione Cremonensi pluries se vidisse ait causas minimè graves ab Episcopis & Inquisitoribus simul, sine ullâ requisitione Consultorum expediri: additque Inquisitores non tantum debere fidere suis Consultoribus, ut se ipsos putent immunes à revolutione processus, librorum, & studio causæ; cum enim ipsi sint judices, ipsis etiam munus merita

rita processus examinandi incumbit. „Atque hinc est, quod si hæreticæ pra- J. Royas part. 1. § 424.
„vitatis Inquisitores, suo vel Consultorum judicio ducti, in diffiniendis fi-
„dei causis erraverint, animadversione digni sunt, neque peritorum suffragia
„eos excusant: Quia explorare debuerant, an consilium illud sibi expediret,
„vel non. Sed si quæstio esset nimis difficilis & ardua, propter facti contin-
„gentiam, vel varias Doctorum opiniones, aliquo modo Inquisitores ob juris
„obscuri ignorantiam excusantur. Hunc tamen mirabilem effectum operatur 433.
„Consultorum consilium etiam injustum, quod propter errorem non est in In-
„quisitoribus præsumendus dolus, sed tantum culpa. Ut autem omnis culpa
„evitetur, in rebus arduis & ambiguis, ut in capturâ nobilium & Religioso-
„rum, & in relaxatione reorum, ad superiores negotium omnibus narratis me-
„ritis atque suffragiis instructum remittere, & ante ejus executionem eos con-
„sulere oportet. *Instruct. Granat. a.* 1499. *cap.* 13. *Instruct. Hispal. a.* 1500. *& In-*
„*struct. Madril. a.* 1561. *c.* 5. *&* 66.

Quamvis hi Consultores, seu Assessores S. Officii, de jure eligi possint ab Inquisitoribus, & de facto in multis civitatibus ab eis deputentur, ut Papiæ, & in reliquis dominii illius civitatibus; attamen Cremonæ tam Consultores, quam Advocatus Fiscalis, & Cancellarius, ad nominationem Inquisitorum eliguntur à Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, perinde uti & Mediolani. Unde hi Consultores à congregatione illâ dependent, nec nisi ab eâ removeri possunt; quia actus tribuitur confirmanti. Carena p. I. 8. n. 3, 4, 5.

Non solent pater & filius simul eligi in Consultores S. Officii: attamen congregatio supremorum Inquisitorum Generalium, ob bene merita Francisci Caucii J. C. deputavit Joan. Baptistam J. C. ejus filium in Consultorem S. Officii, seu potius in coadjutorem patris sui, jam supra triginta annos ejusdem Officii Consultoris; hac tamen conditione, ut in congregationibus simul non intervenirent; quia vota Consultorum in his congregationibus omninò debent esse libera. n. 32.

Locus proprius istarum congregationum est aula S. Officii. Audivisse tamen se ait Carena à viris fide dignis, exstare super hoc literas Inquisitorum Generalium, mandantes, ut ejusmodi congregationes, cum fiunt coram Episcopis, habeantur in Episcoporum palatio; ubi vero Episcopus non potest, vel non vult intervenire, tunc fiat in S. Officio, & ibi accedat Vicarius Generalis Episcopi. Et licet ipse literas illas non viderit, ita tamen in suâ Inquisitione Cremonæ ad unguem observari ait. n. 38.

In votando hic servatur ordo in Congregatione Romana, ut juniores Consultores prius votent, ne minores formident declinare à sententiis majorum. In congregatione vero Cremonensi servatur contrarium, nam dignior primo loco votat. n. 44. 45.

Modus votandi hic est. Propositis meritis processus Consultor primò examinat, num intentio Fisci sit plenè probata, vel quomodo. Secundò considerat, an Fisci intentio maneat elisa ex probationibus & exemptionibus rei. Tertiò, his perpensis votum suum proponet. n. 48.

CAPUT V.

De Promotore Fiscali.

„PRomotorem Fiscalem vulgò appellant Officialem Inquisitionis, qui officio Simanc. tit. 53. § 1, 2.
„accusatoris fungitur. Is eligendus est vir probus, diligens, industrius,
„& juris peritus. In eâ provinciâ, ex qua quis originem ducit, officium
„fiscale administrare prohibetur; ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos
„esse videatur.

§ 3. &c. „Ad hujus officium pertinet, dicta testium exquirere, & reos ad Inquisitores deferre, sive denuntiare illos judicibus, ac petere ut comprehendantur, & in carcerem conjiciantur. Deinde comprehensis & admonitis reis eos accusare debet. In Sancto Officio Hispaniæ Fiscales non porrigunt accusationem contra reum, nisi postquam aperta est via Inquisitoribus ad procedendum contra eos. Carena, p. 1. t. 9. n. 15. Et quamvis rei dum admonentur confessi fuerint omnes suas hæreses, nihilominus Promotor Fiscalis de iisdem eos accusare debet, ut judicium ex accusatore, reo, & judice constet. Libellus accusatorius edendus est à Promotore judicibus, addito juramento, quod ejus capita non ab eo malitiosè proferuntur, sed ut jus suum persequatur, quia ea probare intendit.

§ 7. &c. „Ubi autem à Judicibus fuerit concessa dilatio ad probandum, producet contra reum testes, petetque ut examinentur, & eorum dicta rata fiant, & testimonia publicentur. Quod si testes aliarum hæresium quocunque tempore supervenerint, adjicietur id accusationi, ac de his hæresibus Promotor Fiscalis reum accusabit. Observare præterea debet, ut omnes reorum confessiones, omniaque dicta & responsa eorum diligenter perscrutetur, ut inde colligere possit, quæ ad eorumdem vel aliorum hæreticorum causas pertinere videantur.

§ 10. „Cum autem dicta testium scribuntur, & rata habentur, & cum Judices & Consultores de sententiâ ferendâ deliberant, abesse debet Promotor Fiscalis; præsens tamen esse poterit relationi actorum processus, & ex facto & jure allegare quicquid expedire putaverit. In Inquisitione Cremonensi Fiscalis quidem non interest examinibus testium, nisi ab Inquisitore vocetur; attamen interest examinibus testium ad defensam, & repetitioni testium, ac etiam esse debet præsens congregationibus, etiam dum in causâ votatur, & semper esse præsens torturæ, unà cum Inquisitore, qui sedet medius inter Vicarium Generalem à dextris, & Advocatum Fiscalem à sinistris. Carena p. 1. t. 9. n. 41.

§ 11. „Olim Promotor Fiscalis causas fisci defendere tenebatur coram Judice bonorum publicatorum: quod in quibusdam provinciis etiam nunc est in usu; in plerisque tamen hodie ad fisci Advocatum ea res pertinet.

Tit. 52. § 6. „Præterea in Hispaniâ eligitur aliquis qui sit Procurator Generalis sanctæ Inquisitionis Hispaniæ, ut in Romanâ curiâ negotia hujus sacrosancti Officii gerat, cui justum salarium solvendum est ex bonis publicatis. 2. *Instruct. Hispal. cap.* 2. Ad hoc munus eligi volunt virum peritum & probum.

CAPUT VI.

De Notariis Inquisitionis.

Simanc. tit. 41. § 7. Cam. Campeg. in Zanchin. c. 9. TAbelliones, quos & Notarios & Secretarios appellant, denuntiationes, accusationes, & omnia causarum acta scribere debent. Non tantum judex debet curare, ut Notarius dicta testium, seu reorum responsiones scribat, sed etiam, ut diligenter explicet & extendat in processu accidentia testificantis & denunciantis, vel inquisiti; ut, si faciei color mutatus est, si trepidat, si balbutiendo loquitur, si frequenter excreando aut expuendo interrogationem divertere conatur, si vox tremula redditur, aut quid simile patitur: quæ omnia judex cum omnibus circumstantiis in actis extendi faciat, ne possit argui, quod inquisitum absque indiciis torqueri fecit.

Pegnæ prax. Inq. lib 2. cap. 20. n. 12. &c. Quæ verò ex ore reorum vel testium annotat Notarius eâ linguâ scribere debet, quâ loquitur testis, vel reus, & nihil mutando, addendo, minuendo, transponendo vel invertendo eadem verba scribere. Si reus vel testis nesciat Latinè loqui, nec Notarius aut Inquisitor linguam rei aut testis intelligat, quia nempe coram Inquisitore Italo examinatur Gallus, vel Hispanus, vel Anglus, vel

vel Germanus, tunc adhibet Inquisitor peritum interpretem. Depositiones testium & confessiones reorum à Notariis iisdem quibus prolatæ sunt verbis scribendæ sunt: Et quando plures testantur, non sufficit ut Notarius, quando primi testis dicta per extensum scripsit, de secundo aut tertio adscribat, ille per omnia deposuit sicut primus, sed ipsa singulorum testium verba adscribenda sunt; quoniam in hoc tribunali frequenter de hæresi formali probandâ agitur. Et speciatim Clemens VIII. die IX Novembris anni CIƆIƆC in generali Congregatione Inquisitionis, servari ab Inquisitoribus præcepit, ut interrogationes, quæ in examinatione testium & reorum à judice fiunt, non prætermittantur, sed per extensum scribantur.

„Hi Tabelliones sunt eligendi laici: sed in causis hæresis hoc munere fungi possunt clerici & monachi, in sacris etiam Ordinibus constituti. Et quamvis in Hispaniâ laici creari soleant, fortassis tamen (ait Simanchas) expediret, ut clerici eligerentur, quia minus indigerent, quam hi qui uxores & filios habent; nam salarium vix uni sufficit. Hi quoque scribere tenentur in libro quodam omnia mandata Inquisitorum data Executoribus & Receptoribus contra hæreticos, & eorum bona, ut, si quæstio de his emerserit, illinc assumi queat quicquid ad eam dirimendum sit necessarium. Præterea, hi salario contenti nihil pro scripturis accipere debent, excepto Notario bonorum publicatorum, cui licet jura legitima petere, quia non habet salarium. Suis quoque sumtibus proficisci debent intra provinciam suam, ad faciendum testium ratificationem, & probationem defensionum, & exceptiones adversus testes, ut quodam senatusconsulto continetur. c. *Ut officium.* § *ad conscribendas.* de hæret. lib. 6. 2. *Instruct. Hispal. c.* 13. *&* 4. *Instruct. Tolet. cap.* 18.

Olim ob Inquisitorum inopiam, qui Notarium certum, & huic officio destinatum alere non poterant, multis modis providerunt Romani Pontifices, ut non deessent qui Inquisitionis acta conscriberent: interdum dispensantes cum clericis & religiosis, qui prius Notarii fuerant, ut officium tabellionis in causâ fidei possint exercere: interdum concedentes, ut duæ idoneæ personæ gesta conscriberent, quibus plena fides adhiberetur. Quod etiam definivit Concilium Biterrense, cap. IV. *Ab illis, qui sic citati coram vobis infra tempus gratiæ comparuerint assignatum, recipiatis juramenta, de merâ & plenâ super facto labis hæreticæ, tam de se, quam de aliis, vivis & mortuis, dicendâ, quam noverint, veritate: ac postmodum per vos, vel per scriptores diligenter interrogantes eosdem de singulis, de quibus requirendi videbuntur, faciatis confessiones ac depositiones ipsorum fideliter scribi, & in Actis Inquisitionis reponi: aut per publicam, si potestis habere, personam, aut per aliam idoneam & juratam, cui & alius vir idoneus juratus similiter adjungatur: Ut sic scripta hujusmodi, vel per manum publicam, vel per duos, ut tetigimus, viros idoneos, in actis reposita & conscripta, ac ei qui confitetur & deponit coram Inquisitore & Notario, vel dictis duobus viris idoneis recitata, robur obtineant firmitatis.* Illo etiam tempore Notarios sibi creare non poterant Inquisitores, sed assumere debebant Notarios publicos Episcoporum, vel dominorum temporalium illorum locorum, in quibus officium Inquisitionis ipsis est commissum, qui processus conficiant, aliaque ad negotium fidei pertinentia exequantur. Aut à Papâ petere potuerunt, duos vel tres, quos nominarunt, sibi creari in Notarios. Qui verò jam Notarii erant, per Inquisitorem compelli poterant ad id munus exequendum, tametsi Religiosi facti sint, per Bullam Urbani IV. quæ incipit, *Licet ex omnibus.* § *ad conscribendas.* Cæterum hodiè quodam Pii IV. rescripto, incipiente, *Pastoralis officii cura.* dato anno 1561. sexto cal. Septemb. cautum est, ut Inquisitores & eorum Commissarii in quibusvis fidei causis, cum viderint expedire, auctoritate Apostolicâ possint unum vel plures, etiam clericos singulares, vel quorumvis Ordinum regulares, in Notarios eligere, assumere, & creare. Religiosus autem aut clericus non statim creatur Notarius, quando ab Inquisitore jubetur Officii sacri acta conscribere, sed ut cuncta valida sint, coram alio Notario hunc

Pegna in direct. part. 3. comm. 20.

Eymeric. part. 3. qu. 18.

Pegna Commi. 67.

hunc Religiosum Notarium creare oportet, testibus adhibitis, tradito ipsi de more calamo & atramentario, additoque solenni jurejurando, & verbis consuetis, videlicet, *Esto Notarius & fidelis.* De quibus omnibus Notarius, qui huic creationi interfuit, publicum conficere debet instrumentum. Et licet cum primum Notarii fuerunt creati semel juraverint cuncta fideliter exercere, nihilominus quoties Inquisitores Notarios quoslibet de novo advocant ad conscribenda acta sancti Officii, denuò ab illis exigere debent juramentum de officio fideliter exercendo, & custodiendo secreto; quod est in causâ fidei particulare. Adeò quidem, ut si Notarius, vel alius minister Inquisitionis, revelet secretum sibi commissum, non tantum puniri, sed etiam veluti falsi criminis autor damnari posset, quin & in aliquam fautoriæ suspensionem incidere.

Comm. 68. Campeg. ad Zanch. c. 9.

§ 8. „Hodie etiam in Hispaniâ, si necessitas urgeat, possunt Inquisitores alium „Tabellionem creare, eique salarium justum solvere; ut epistolâ quadam Sena„tus cavetur. Is autem qui est à secretis tenetur Promotori Fiscali & aliis li„tigantibus fidem facere, ac testimonium scriptum tradere, de tempore con„demnationis, & commissi criminis. Neque enim exhiberi volunt copiam to„tius processus, ne lites oriantur ex litibus, & totius causæ retegantur arcana: „unde consequeretur, ut omnibus manifesta fierent nomina testium, & saluti „eorum parum consultum esset, ac exceptiones plurimæ à calumniatoribus ad„versus eos proponerentur. Quare his damnis occursum est epistolâ quâdam „Generalis Inquisitoris. Prætereà hi omnes Notarii quotidie debent sex horis „ad tribunal Inquisitorum assistere. Quod si quispiam eorum in officio deli„querit, puniendus est pro mensurâ delicti pœnâ pecuniariâ, vel officii su„spensione, aut privatione, vel exilio, Generalis Inquisitoris & Senatus arbi„trio moderando. *Epistolâ datâ Granatæ 4 Septemb. A. D.* 1499. & 4 *Instruct. To„let. cap.* 28. & 13.

§ 9. „Scripta sanctæ Inquisitionis sub tribus clavibus custodienda sunt, quas Pro„motor Fiscalis & Notarii servare tenentur, neque legi aut ostendi cuipiam „debent, nisi coram illis omnibus. Prætereà, scripturæ actorum diligenter „sunt custodiendæ in auditorio Inquisitorum, ut præsto sint, quoties illis opus „fuerit; neque licet Notariis eas ostendere alicui, neque in alium locum trans„ferre: quod si contrarium fecisse convicti fuerint, officio sine spe veniæ pri„vandi sunt. Inquisitores tamen à regiis judicibus, vel ab his quorum interes„se constiterit, requisiti, præcipere debent Notariis, ut exemplum earum ex„hibeant, ita tamen, ut secreta Officii, quæ occulta esse oportet, propterea „non retegantur: quod epistolâ quâdam Senatus cavetur. Exemplum autem „Actorum, quæ publicè legi solent, dari debet, videlicet, confessionum, sen„tentiarum, & aliorum ejusdem generis, neque prætereà quicquam. 3 *Instruct. „Valdolit. cap.* 7. & 4 *Instruct. Tolet. cap.* 13.

Brunus l. 4. c. 3. § 11. „Habent & substitutos suos Notarii, qui veluti coadjuvæ scribendo & exci„piendo illis ministrant.

Carena p. 1. t. 12. n. 7. „Quoad salaria Notarii, si certa sunt, definiri solet illorum quantitas ab In„quisitoribus S. Officii: si vero incerta, tunc non possunt excedere taxam Su„premorum Inquisitorum.

n. 9. „In Inquisitione Cremonensi adsunt unus Notarius, qui ad nominationem „Inquisitoris eligitur à Supremis Inquisitoribus, cum salario certo aureorum „sexaginta, quod postea ex ordine eorumdem solet Notariis bene meritis au„geri; & unus Notarius regularis, qui eligitur ab ipso Inquisitore. In dioe„cesi verò singulis Vicariis foraneis solet Inquisitor unum etiam Notarium de„putare.

CA-

CAPUT VII.

De Judice & Receptore bonorum publicatorum.

„JUdex bonorum publicatorum is eligendus est, qui sit vir probus, & juris „peritus, non ex genere Judæorum, Mahumedanorum, vel hæreticorum, „sed qui Assessoris officio fungi queat. Hujus officii est, judicare inter fiscum „& privatos de his causis, quæ de bonis hæreticorum tractantur. Sed & co„gnoscere poterit inter privatos cum causa fuerit connexa. Ab ejus sententiis „ad Senatum appellari debet, non autem ad alios judices. Sed si lis fuerit in„ter fiscum & Ecclesiam ream, vel inter ecclesiasticas personas, vel de rediti„bus beneficiorum, tunc Inquisitores cognoscere debent, ut quodam senatus„consulto plenius continetur. Hunc autem Judicem & omnes alios ministros In„quisitor Generalis consilio Senatus eligit. Simanc. tit. 41. § 4.

„Receptor vulgo appellatur in Hispaniâ, quem in Italiâ Thesaurarium S. „Officii vocant. Is bona publicata recipit, & mandato Regis procurator fisci „est, & bona confiscata petit, defendit, vendit, & salaria & alias impensas „sancti Officii solvit. Is eligendus est ad hoc munus, qui vir probus & locu„ples sit, & rationes conficere & referre sciat, & fidejussores idoneos dare „debet, ut persolvant reliqua. Is per Inquisitores eligitur, testante Carena „p. 1. t. 13. n. 1. Simanc. tit. 43. § 1. &c.

„Ad officium Receptoris pertinet, adesse bonorum sequestrationibus. Ea „autem fieri non debet, nisi antecedente jussu Inquisitorum: fieri autem debet „per Executorem coram Receptore & Notario sequestrationum, & alio tabel„lione, & omnia bona reorum, quæ in eorum potestate inventa fuerint, & ab „aliis non possidentur, scribenda sunt sigillatim in indice, sive inventario, & „ejus bina exemplaria conficienda sunt, ab utroque Notario servanda. *2. In„struct. Hispal. cap.* 8. Ea omnia bona tradenda sunt sequestro, cum inventario „subscripto ab Executore, & eodem sequestro & Notariis; alterum autem exem„plar custodiendum est à Notario sequestrationum: & eligendus est ab Execu„tore & Receptore sequester, civis aliquis idoneus, qui non sit consanguineus „hæretici, neque malo genere natus. Sed quando proceditur contra mortuum, „non debent sequestro tradi bona illius, sed scribenda & obsignanda sunt, & „fidejussoribus datis relinquenda sunt possessoribus. Si bona aliena conscripta „fuerint cum bonis hæretici, confestim dominis eorum restituenda sunt. Æs „quoque alienum solvendum est ex bonis sequestro traditis, non exspectato „totius causæ exitu. Demum, si reus fuerit absolutus, omnia ejus bona pro„tinus ei reddenda sunt. *4. Instruct. Tolet. cap.* 22. Res tempore perituras, & „& quæ deteriores fiunt, item ea quæ nimium sumtuosa sunt (velut jumenta „aut venalitia) Receptor distrahere debet jussu Inquisitorum, neque enim sine „permissu eorum quicquam facere potest.

„Deductis necessariis impensis, pecunia quæ superfuerit ex venditione ea„rum rerum deponenda est apud eundem sequestrum, & nihil de eâ Receptor „attingere debet, donec reus damnatus sit. Cæteræ autem res, quæ servari „possunt, locandæ sunt justis pretiis à Receptore atque sequestro. Sed ea bo„na, & quæ fuerint confiscata, non sunt vendenda nisi auctione constitutâ, „& præconio addicenda sunt plurimo licenti. Idem erit servandum in loca„tione. *2. Instruct. Hispal. cap.* 9. In his autem venditionibus fides & diligentia „exigenda est à Receptore, & quamvis duplum, vel triplum Receptor pro evi„ctione promiserit, re tamen evictâ fiscus simplum duntaxat præstabit.

„Hæretico damnato sequester statim tradere debet bona omnia Receptori co„ram duobus Notariis, neque quicquam recipere aut vendere potest, nisi co-

„ram eis. Judex verò bonorum publicatorum, inſtantiâ Receptoris præconibus conclamare jubeat auctionem futuram. Quiſquis ſuâ intereſſe putaverit, ſciat bona publicata vendenda eſſe, ac ſi quid petere voluerit ad judicem veniat, & jus ſuum perſequatur. Nemine autem veniente bona immobilia diſtrahenda ſunt, & in auctione addicenda trigeſimo die, præconiis & aliis ſolemnibus antecedentibus, id eſt, Receptore, & cæteris quorum intereſt, citatis. 4 *Inſtruct. Tolet. cap.* 24.

„Res verò quæ in controverſiâ ſunt non debent à Receptore diſtrahi, ſed differenda eſt eorum venditio, donec lis finita ſit: res autem nexas pignori diſtrahere poſſunt Receptores, ita tamen ut non lædatur jus creditorum, ſed ſi quid ſuperfluum eſt in re, eâ lege vendatur, ut imprimis creditoribus præcedentibus ſatisfiat, & ſi quid ſuperfuerit, fiſco inferatur. 4. *Inſtruct. Tolet. cap.* 23. Verum propter temerarias lites non eſt differenda diu bonorum publicatorum diſtractio, ſed ea bona vendi poterunt, & deponenda eſt apud ſequeſtrum quantitas pretii æqualis æri alieno in judicium deducto, & æſtimationi litis. Bona prætereà communia fiſco & aliis, ſi commodè dividi poſſunt, dividenda ſunt; ſi verò commodè dividi nequeunt, aut utilius eſt ut integra & indiviſa vendantur, id fiſci privilegium eſt, ut, etiamſi minima portio ad eum pertineat, univerſa à Receptore diſtrahantur, ſed pretium ſuæ partis tantum fiſco tribuendum eſt, reliquum aliis dominis reſtituendum. 4. *Inſtruct Tolet. cap.* 23.

„Nihil horum prætermittere debent Rectores; ſi enim ſecus fecerint, in ſententiam excommunicationis incurrent, & centum aureorum pœnâ plectentur, & prætereà damna omnia fiſco reſarcient. *eod. cap.* 23.

„Receptores unius provinciæ non debent occupare bona hæreticorum, quæ ad alios Receptores pertinent, ſed eos certiores earum rerum facere; qui ſecus fecerint, officio privati & damnum & duplum ſolvent. 2. *Inſtruct. cap.* 11.

„Omnes nummos receptos à ſequeſtro, & pecuniam ex bonorum venditione redactam, Receptores intra tres dies proximos deponere debent in arcam publicam tribus clavibus occludendam. Quod ſacer Senatus excommunicatione & pœnâ pecuniariâ ſanxit.

„Receptores fiſci debitoribus pecunias remittere nequeunt, & ſi quæ ſint ab eis remiſſæ, revocantur: Sed neque tranſactionem facere poſſunt. 4. *Inſtruct. cap.* 23.

CAPUT VIII.

De Executore & Officialibus Inquiſitionis.

Simanc. tit. 41. § 5.

„EXecutor eſt, qui præcepta Inquiſitorum exequitur. Hujus officium præcipuè verſatur in comprehendendis & cuſtodiendis reis, quos etiam abſentes perſequi & vincire tenetur, ſalario ſibi conſtituto contentus. Sed ſi opus fuerit, ut Familiares illum comitentur, taxandum eſt illis ſalarium ab Inquiſitoribus, & à Receptore ſolvendum ex bonis fiſci. Et cum ſit merus executor mandati, fines cuſtodire diligenter debet, ac præcepta judicum ad unguem executioni mandare. Hos & Apparitores & ſtatores appellant. 4. *Inſtruct. Tolet. cap.* 26.

Bzovius a. 1252. § 3.

Munus eorum idem eſt cum munere illorum, qui aliàs Officiales vocantur, de quibus Innocentius IV. Conſtitutione quæ incipit, *Ad exſtirpanda.* hæc ſancivit, prout hæc in hunc ordinem digeſta ſunt in libello, cui titulus eſt *Forma procedendi contra hæreticos*, qui Joanni Calderino attribuitur.

Poteſtas ſeu Rector infra tertium diem poſt introitum regiminis ſui duodecim viros probos & Catholicos, & duos Notarios, & duos ſervitores, vel quotquot fuerint neceſſarii, inſtituere teneatur: quos Diœceſanus, ſi præſens exſtiterit & intereſſe voluerit, & duo Fratres Prædi-

Prædicatores, & duo Minores ad hoc à suis Prioribus, & si Conventus ibi fuerint eorumdem Ordinum deputati, duxerint eligendos. Instituti autem hujusmodi & electi possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in civitate, quam in totâ ejus jurisdictione atque districtu plenariè adimpleri, & eos ducere, & duci facere, in potestatem Diœcesani, vel Vicariorum ejusdem.

Ipsorum autem officium duret tantummodò per sex menses; quibus completis Potestas teneatur totidem subrogare Officiales secundum formam præscriptam: qui prædictum officium secundum formam eandem in sex aliis mensibus sequentibus exequantur.

Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat, vel impedire possit ullo modo, officium, vel etiam exercitium, compellantur. Nullum etiam statutum conditum, vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

Officialibus verò prædictis plena fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito juramento, probatione aliquâ in contrarium non admissâ, ubi duo vel plures præsentes fuerint ex eisdem. Porrò cum Officiales hujusmodi eliguntur, iurent hæc omnia exequi fideliter, & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem, quibus ab omnibus, in his quæ ad officium eorum pertinent, plenius pareatur, & tam dicti duodecim, quam servitores & Notarii prætaxati, simul vel divisim, plenariam præcipiendi sub pœnâ & banno, quæ ad officium suum pertinent, habeant potestatem. Potestas autem vel Rector teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officii sui fecerint, & pœnam exigere non servantium.

Potestas prætereà militem suum, vel alium assessorem, si Diœcesanus vel ejus Vicarius, aut Inquisitores à sede Apostolicâ deputati, seu dicti Officiales petiverint, cum ipsis Officialibus mittere teneatur; & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet etiam si præsens in terrâ, vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate, quam in jurisdictione, vel in districtu quolibet, dare ipsis Officialibus, vel eorum sociis, consilium & juvamen, quando voluerint hæreticum, vel hæreticam, capere, vel spoliare, aut inquirere: seu domum, vel locum, aut aditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, sub viginti quinque librarum Imperialium pœnâ vel banno; universitas autem Burgi sub pœnâ & banno librarum centum; Villa verò librarum quinquaginta imperialium pro quâlibet vice solvendâ in pecuniâ numeratâ.

Alexander IV. anno 1255. rescripsit Inquisitoribus in Liguriâ & Insubriâ. *Possunt prædicti Officiales communitati, Burgo & Villæ, præcipere sub pœnâ & banno usque ad ducentas marchas argenti, & ultrà, ad arbitrium Potestatis loci ejusdem, quod Potestati, vel Diœcesano, aut ejus Vicario, seu Inquisitoribus hæreticorum præsentabunt infrà præfigendum eis terminum competentem, omnes hæreticos & hæreticas, quos sibi dicti Officiales duxerint assignandos; & Potestas loci à non servantibus pœnam hujusmodi exigere teneatur.*

Addit Innocentius IV. in eâdem Bullâ: *Quod si dictis Officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis vel rebus, pro suis officiis exsequendis, à communi civitatis vel loci per restitutionem plenariam serventur indemnes; nec ipsi Officiales, vel eorum hæredes possint aliquo tempore conveniri de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eidem Diœcesano & Fratribus videbitur expedire.*

Et si quis horum Officialium propter ineptitudinem vel inertiam, vel occupationem aliquam, vel excessum, Diœcesano & Fratribus supradictis visus fuerit amovendus, ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amovere Potestas aut Rector, & alium secundum formam præscriptam substituere loco ejus.

Quod si quis eorum contra fidem & sinceritatem officii sui in favorem hæresis deprehensus fuerit excessisse, præter notam infamiæ perpetuæ, quam tanquam fautor hæreticorum incurrat, per Potestatem vel Rectorem ad Diœcesani loci & dictorum Fratrum arbitrium puniatur.

CAPUT IX.

De Familiaribus sive Stipatoribus.

INnocentius III. ut Inquisitionis munus recens institutum felicius procederet, indulgentias & privilegia liberaliter impertivit eis, qui Inquisitori ad inquirendos & puniendos hæreticos auxilium & comitatum præstarent. Hinc factum est, ut milites, qui opem Inquisitori ferentes se adjutores adhibebant, veluti ex Inquisitoris familiâ, Familiares vulgo appellarentur. Hi autem in aliquot Italiæ Provinciis Cruce-signati, in aliis vero, Sancti Petri Martyris Scholares communiter nuncupantur, crucemque in extimâ veste præ se ferunt.

Pegna prax. Inq. c. 5. § 3. Olim aliqui constitui debuerant quorum officium fuit, omnem in investigandis hæreticis diligentiam adhibere; & huc applicari solet decretum Concilii Biterrensis cap. XXXIV. *In singulis etiam parochiis, tam in civitatibus, quam extra, Sacerdos unus, vel duo, vel tres bonæ opinionis laici, vel plures, si opus fuerit, juramenti vinculo astringantur amovendi vel mutandi, quando vobis* (Inquisitoribus) *visum fuerit, qui diligenter, fideliter & frequenter investigent hæreticos in villis, & extra domos singulorum, & cameras subterraneas, & capannas, & clusellas, & alia latibula perquirendi, quæ omnia obturari vel destrui faciatis.* In horum locum nunc successerunt Familiares, seu Cruce-signati. „ Et hisce potissimum locus est, quando Episcopi „ vel Inquisitores habent Diœceses contiguas vel proximas oppidis vel terris hæ„ reticorum, vel de hæresi suspectorum, cum quibus vix potest mutuum evita„ tari commercium: Nam quia tunc plusquam verisimiliter creduntur timere pos„ se subditos suos, ad suam jurisdictionem pertinentes, ab hæreticis infestandos „ & corrumpendos, omnem sedulam diligentiam adhibere debent, ut intelli„ gant, apud quos divertant hæretici, in quorum domibus recipiantur: & vi„ cissim, an aliqui subditorum ad proxima hæreticorum oppida proficiscantur, „ & quâ de causâ, & utrum inde, vel in doctrinâ verbo acceptâ, vel in libris, „ hæreticæ pravitatis venenum deferant. Adeò in omnem occasionem intenti sunt, ne vel minima de ecclesiæ suæ dogmatibus disquisitio instituatur.

§ 4, 5. Hodiè vero Familiares in Hispaniâ, etiam cessante illo, quod Pegna tam sollicitè indicat, periculo, semper Inquisitoribus præstò sunt. Illorum officia & immunitates nobis describit Simancas, tit. XLI.

Simanc. tit. 41. § 15. „ Familiares sive Stipatores necessarii sunt, ut Inquisitores comitentur, & „ eos, si opus fuerit, ab hæreticorum insultibus tueantur, & ut Executorem „ sequantur, cum reos voluerit comprehendere, & ut alia faciant, quæ ad Of„ ficii sanctæ Inquisitionis munus melius exequendum judices expedire decreve„ rint. His Familiaribus concessum est, ut armis uti queant, sed eis abuti non „ debent. Eligendi autem sunt viri boni & pacifici, & qui uxores habeant, „ ut epistolâ quâdam Senatus cavetur; neque plures admitti debent, quam of„ ficii necessitas postulaverit. *Clement. 2. § ult. de hæret.*

§ 16. „ Et quia salaria non dantur Familiaribus, & nemo gratis servire tenetur, ne„ cesse est ut eis privilegia aliqua concedantur; quâ in re diversis mandatis re„ giis jam pridem variatum est, modò concessis immunitatibus, modò propter „ Familiarium excessus, & effrænatam eorum multitudinem, abrogatis. Tandem „ jussu Regis convenientes in unum quidam ex regio Consilio, cum Senatu san„ ctæ Inquisitionis, constitutionem promulgarunt, quâ Familiaribus immunita„ tes quædam conceduntur, & eorum numerus præfinitur, & ordo etiam præ„ scribitur, quo dissensiones & contentiones inter Inquisitores & regios judices „ in causis Familiarium deinceps supprimantur & componantur. 4 *Instruct. Tolet.* „ *cap. 5. Constitut. regiâ promulgatâ die 19 Martii A. D. 1553.*

§ 17. „ Ac primò de numero Familiarium constitutum est, ut in Toletanâ civitate

„ ab

„ ab Inquisitoribus eligantur quinquaginta Familiares; in civitate Hispalensi, „ totidem: & alii quinquaginta in Granatensi, & non plures: in Cordubensi „ & Conchensi, & municipio Valdolitano quadraginta: in civitate Murciæ tri-„ ginta: in Calagurriâ & Ilerenâ, viginti quinque: in quolibet oppido trium „ millium municipum, sex: in singulis aliis quingentorum, quatuor; in cæte-„ ris vicis minoribus duo tantum in unoquoque illorum. Sed in quolibet vico „ maritimo aut limitaneo eligi queant quatuor. Quod si plures electi fuerint, „ nullo privilegio fruentur.

„ Eadem constitutione cavetur, ut in unaquâque provinciâ detur consisto-„ riis civitatum matricula Familiarium, ut Præfecti urbibus & Decuriones co-„ gnoscant ipsos Familiares, & videant, ne numerum excedant; & si forte se-„ ditiosi fuerint, aut officio indigni, ut id significent Inquisitori Generali & Se-„ natui. Quod fieri quoque debet, quoties quispiam in alicujus Familiaris lo-„ cum subrogatur. Præstereà constitutum est, ut in omnibus causis civilibus „ Familiares coram Judicibus sæcularibus conveniantur, perinde ac si Familiares „ non essent. §. 18.

In causis vero criminalibus Familiares eximuntur à jurisdictione judicum secu-„ larium, & puniri debent ab Inquisitoribus, excepto crimine læsæ Majestatis, „ & nefando crimine contra naturam, & rebellionis vel seditionis publicæ. I-„ tem à laicis judicibus coërcendi sunt Familiares, qui contra literas securita-„ tis à principe concessas deliquerint; & qui rebelles & contumaces fuerint „ adversus mandata regia, & proditores & raptores mulierum, & publici la-„ trones, & effractores ecclesiarum, monasteriorum, vel aliarum ædium, & „ incendiarii, & qui alia crimina, vel his majora vel atrociora commiserint, „ & qui procaciter aut pertinaciter contemnunt regios judices, & qui eis resi-„ stunt, & qui officia secularia exercentes in officio suo delinquunt. § 19.

„ Cæterum seculares judices comprehendere possunt Familiares, propter illa „ etiam crimina, quorum cognitio ad Inquisitores pertinet; sed tunc statim „ eos remittere debent ad suos judices, cum probatione summariâ delictorum, „ idque sumtibus Familiaris delinquentis. Item eâdem constitutione cavetur, „ ut quoties Familiares deliquerint in urbe, aut loco, ubi non resident Inquisi-„ tores, toties teneantur ostendere judicibus loci in quo Familiaris deliquit, „ exemplum sententiæ adversus eum ab Inquisitoribus latæ, cum testimonio „ publico, quo planè constet satisfactum esse sententiæ contra eum super illo „ crimine latæ. § 20.

„ Si verò lis oriatur inter Inquisitores & sæculares judices super cognitione „ criminis à Familiare commissi, tunc referenda causa est ad regiam curiam, „ cum probatione delicti summariâ, ut causâ cognitâ per duos Consiliarios re-„ gios, & alios duos Senatus sanctæ Inquisitionis, simpliciter & sine strepitu & „ figurâ judicii causa remittatur ad illos judices, ad quos ejus cognitio pertine-„ re visa fuerit; & ab hac sententiâ supplicare non licet. Præstereà, si discor-„ des fuerint hi supremi judices in remittendis reis, nec tres in unam sententiam „ consenserint, Rex ipse consulendus est. Interim autem custodiendus est Fa-„ miliaris ab eo judice, qui comprehendit illum, sed supersedendum est in cau-„ sâ; donec remittatur ad suum judicem, cui factâ declaratione statim restitu-„ endus est, si forte ab alio judice vinctus fuerit. Hactenus regia constitutio, „ data die 10. & confirmata die 19. Martii A. D. 1553. § 21.

Casum eximium litis de Jurisdictione inter Inquisitores & Judicem sæcularem legimus in Nicolao Rodrigues Fermosino, qui subjicitur Tractatibus illius de Judiciis, & foro competenti. Fuit hic Fermosinus functus officio patroni Fisci in Inquisitione Valisolitanâ, & Inquisitor creatus, ac à rege Philippo IV. Judex bonorum confiscatorum dictæ Inquisitionis intitulatus. Casus autem hic est. Magistratus Valisolitanus jussit exstrui parietes cæmentitios, ad itinerantium ingressus in illam civitatem arcendos ob metum pestis. Exstructionem il-

lam impediverunt Antonius Moreno, domus pœnitentiæ in illâ civitate præfectus, ejusque amita Mariana de Pareda, uxor quondam cujusdam Secretarii Inquisitionis Ilerenæ: ideoque Hieronymus Antonius de Toresillas, civitatis prætor, utrumque anno Domini 1648. tertio Calend. August. è pœnitentiæ domo extractum, in carcerem publicum detrusit, ac compedibus vinclisque oneravit. Inquisitio eum primò, secundò, & tertiò requisivit, ut incarceratos exhiberet, & Inquisitionis tribunali, tanquam eorum judici competenti, restitueret, cum omnibus originalibus actis & processu. Prætor primò se restituturum, post autem, non nisi eorum transumtum traditurum respondit, sub conditione, quod tribunal ad nullum alium actum procederet. Cum sic non satisfaceret Inquisitioni, variæ contestationes hinc inde adhibitæ fuerunt: Inquisitio mandata misit ad Prætorem: Prætor verò varia responsa Inquisitionis jussibus & mandatis opposuit: & eò usque contentio hæc invaluit, ut Inquisitio, cum post declaratoriam denuntiationem ipsum excommunicatione & anathemate feriisset, ipseque nihilominus omnem jurisdictionis actum exerceret, ei interdictum generale locale indixerit; quo tamen nihil promovit: Prætor enim respondit, Inquisitionis tribunal nullam in se habere jurisdictionem, nec illius excommunicationem, præsertim cum ipse ab omnibus Inquisitionis censuris appellasset, ipsum comprehendere posse, intereà dum disceptaretur ad quem incarceratorum cognitio pertineat. Tandem Inquisitio parata fuit cessationem à divinis promulgare; verum Aula regia, ut molestæ isti contentioni finem imponeret, jussit Prætori incarceratos solvere; & tribunali Inquisitionis, ut abolitis omnibus actis & processu Prætori absolutionem impendat, interdictumque tollat. Inquisitio tamen non acquievit; sed per suum Fisci Advocatum Fermosinum coram Rege contendit, ut Prætor asperè puniatur, hac additâ ratione, ne via his infinitis similibus litibus ac extorsionibus aperiatur; præsertim cum indies cæteri judices hæc impunita considerantes, incompetentias inducent nullas cognoscendo hujus Tribunalis censuras in contemtum justitiæ.

CAPUT X.

De Cruce-signatis.

PRæter Familiares, aliud est Familiarium seu Cruce-signatorum genus à Dominico institutum, quibus constitutiones & leges condidit ad vitam sic instituendam, ut acerrimè hæreticos insectarentur, & impetu quam possent maximo (cum opus esset) in illorum perniciem irruerent. Hi voto in Inquisitorum manibus emisso, fidem Catholicam etiam cum rerum & vitæ discrimine „tueri promittunt. Qui etiam ad voti executionem compelli possunt. Horum confraternitatem summi Pontifices quam plurimis gratiis, indulgentiis „atque favoribus illustraverunt. Quæ legi possunt apud Campegium: sed summam eorum compendiose complectitur Bernardus Comensis in *Lucernâ Inquisitorum.*

Campeg. in Zanchin. cap. 9. f. 241. c. 1.

„Indulgentia Crucesignatorum est, quia primò habent plenariam remissionem „omnium peccatorum: hanc habent ab Alexandro IV. in privilegio quod incipit, *Præ cunctis.* Etiam à Gregorio IX. & Clemente IV. Etiam Extra. de hæret. cap. *Excommunicamus.* § *Catholici vero.* Et hoc, dummodò votum emissum „in subsidium Officii Inquisitionis usque ad mortem efficaciter prosequantur. Secundò: Omnis talis Crucesignatus potest absolvi ab Inquisitore ab omni sententiâ excommunicationis, suspensionis, & interdicti canonis, & ab illis præsertim, quas pro incendiis ecclesiarum, vel injectione manuum violentâ in „personas ecclesiasticas incurrisset, & ab omnibus aliis sententiis generaliter ab „Apostolicâ sede promulgatis. Tertiò: Potest Inquisitor dispensare cum Clericis Crucesignatis super irregularitatibus quas celebrando divina ligati senten-

In voce Indulgentia Crucesignatorum.

„tiis

„ tiis Canonis contraxissent. Quartò: Omnia vota Crucesignatorum per Inqui-„ sitorem possunt commutari, votis terræ sanctæ & perpetuis duntaxat exceptis. „ Quintò: Possunt Inquisitores concedere Crucesignatis, quod tempore gene-„ ralis interdicti valeant interesse divinis officiis, & ecclesiastica recipere sacra-„ menta in locis in quibus ex indulto Apostolico hujusmodi divina celebrantur. „ Hæc omnia patent per privilegium Innocentii IV. quod incipit, *Malitia hu-„ jus temporis*. Eaque privilegia, quatenus decretis Concilii Tridentini non repugnant, confirmavit Papa Pius V. Constitutione quæ incipit, *Sacrosancta Romanæ & universali Ecclesiæ*. datâ XIII. Octob. anno CIƆIƆLXX.

Ex omnibus illis privilegiis liquet, quando fideles cruce signandi sunt, quod votum non qualitercunque, sed in Inquisitorum aut Vicariorum manibus emittere debeant, & quod nihil ex illis percipiunt, nisi Inquisitorum concessio accedat. Hæc & similia alia Camillus Campegius Crucesignatis prædicari vult, ne ignorantiam aliquam prætendere possint. Dicit enim, se in quâdam Inqui-„ sitionis suæ urbe plurimos errores & abusus Crucesignatorum deprehendisse: „ invenisse enim se ingentem Crucesignatorum numerum, qui non per ostium „ in hac militiâ ingressi erant, nec ab Inquisitore, nec à Vicario aliquo crucem „ acceperant, sed ipsimet laici ejusdem assertæ confraternitatis ministri, quos „ officiales aut massarios vocant, alios in Crucesignatorum libro venientes scri-„ bebant, & Inquisitionis locum injustè occupabant. Addit porro: *Quod ego susti-„ nere non valens, juxta veterem Inquisitorum stylum, concionem de cruce in cathedrali „ habui, consuetam indulgentiam auditoribus concedendo, & de illorum publico errore pu-„ blicè illos admonui, quidque deinde facere deberent disertè explicavi. Qui veritate de-„ nique post multas contentiones, etiam advocatis adductis, super his habitas agnitâ succu-„ cubuerunt. Volebant enim, me etiam invito, ut examinibus aliqui ex his assisterent, ac „ si de jure id sibi competeret. Ego verò Inquisitorem Cruce-signatorum caput & ducem „ esse declaravi, noluique ut ipsi Inquisitioni praeessent, sed ut juxta æquitatem sub-„ essent.* Campeg. cap. 37. fol. 267. verso.

Cruce-signatorum officium est, Inquisitoribus de necessariis providere. Ita-„ que sunt excommunicati, quando Inquisitori indigenti pecuniâ pro officio In-„ quisitionis, & petenti, dare recusant: quia privatæ personæ, quæ juramen-„ to, vel voto, se adstrinxerunt, ex omissione dicuntur fautores, puta, si non „ manifestant, vel non faciunt id, quod promiserunt ex voto. Lucerna Inquisit.

Ritibus quibusdam cruce signari solebant: quos nobis accuratè descripsit Camillus Campegius.

De modo cruce signandi F. Camilli Campegii instructio.

„ Quicunque fidei Catholicæ amore crucem assumere voluerit, ab Inquisito-„ re, vel ab ejus Vicario, de voti vinculo & obligationis onere diligenter instru-„ atur, illique præsertim declaretur, quod pro fide sanctissimâ ad Inquisitoris, „ vel ejus Vicarii, præceptum non modò facultates externas effundere, sed & „ vitam dare tenebitur; quodque crucem semel voto susceptam absque summi „ Pontificis speciali dispensatione deponere non poterit. Quod si ille ad hæc „ omnia observanda paratus invenitur, Inquisitor vel ejus Vicarius ad votum cru-„ cis eum admittat. Et quoniam cruces dandæ prius benedicendæ sunt, ideo be-„ nedictionem ipsam constituamus. Tr. tr. tom. XI. p. 2. fol. 269. verso.

Vers. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*
Resp. *Qui fecit cœlum.*
Vers. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
Resp. *Et salutare tuum da nobis.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Ore-

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui crucis signum precioso Filii tui sanguine consecrasti, per eandem crucem & mortem ipsius Filii tui Jesu Christi mundum redimere voluisti, ac per ejusdem venerabilis crucis virtutem hominum genus ab antiqui hostis tyrannide liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris hanc crucem tuâ pietate bene † dicere, & cælestem ei virtutem & gratiam impertiri, ut quicunque eam super se gestaverit, cælestis gratiæ plenitudinem recipere, & Christum contra omnes animæ & corporis inimicos protectorem habere mereatur: qui tecum vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

„Cruce benedictâ, ille, qui signandus est, ante Inquisitorem aut ejus Vicarium genua flectens, votum reverenter emittat hoc modo.

Ego N. votum facio Deo, & beatæ Mariæ, & beato Petro martyri, accipiendi & portandi crucem ad honorem Jesu Christi Domini nostri, fidei Catholicæ exaltationem, & ad hæreticorum eorumque fautorum exterminium, in totâ Diæcesi F. & promitto exponere substantiam meam temporalem & vitam propriam pro fidei defensione, cum opus fuerit, & fuero requisitus, & quod ero obediens reverendo Patri Inquisitori, & successoribus, vel Vicariis suis, in omnibus quæ pertinent ad officium Inquisitionis.

„Quo facto, Inquisitor, aut ejus Vicarius, det illi crucem rubeam benedictam, dicendo: *Accipe signum crucis Domini nostri Jesu Christi. In nomine † Patris, & Fi † lii, & Spi † ritus Sancti, in figuram & memoriam crucis, passionis & mortis Jesu Christi redemtoris nostri, ad animæ & corporis tui salutem, & Catholicæ fidei defensionem, ut divinæ bonitatis gratia te ad cælestia regna perducat. Amen.*

Oratio super assumentem crucem dicenda.

Vers. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
Resp. *Et salutare tuum da nobis.*
Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum spiritu tuo.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Oremus.

Prætende Domine famulo tuo dexteram cælestis auxilii, quem pro gloriâ nominis tui signo sacratissimæ crucis insigniri, & propugnatorem sanctæ fidei tuæ contra perfidos hæreticos fieri voluisti, ut te toto corde perquirat, fidem Catholicam viriliter defendat, & quæ dignè postulat sic assequatur, ut agone dignè peracto regni Filii tui cohæres esse mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. &c.

Modus & forma absolvendi Crucesignatos in mortis articulo.

fol. 170. *Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis*: Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cælo; *de quorum numero, quamvis indignum, me esse voluit: Ipse te absolvat per ministerium meum ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, atque operatione qualitercunque commisisti; & quantum mea fragilitati permittitur, autoritate ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non Domini Urbani Papæ III. & secundum privilegia, quæ Romani Pontifices Inquisitionis officio concesserunt; privilegii testimonio Innocentii IV. Pontificis, cujus tenor talis est*: Ut vobis & hujusmodi fidelibus, qui ejusdem crucem, ob hoc votum assumserint, copiosè mercedis præmium afferatur, illam indulgentiam illudque privilegium elargimur, quæ transeuntibus in terræ sanctæ subsidium in generali Concilio conceduntur. *Prætextu hujus indulgentiæ & privilegii, quod Clemens* IV. *& Clemens* VII. *sive alii quicunque Romani Pontifices omnibus Crucesignatis concesserunt, quo perseverantibus usque ad ultimum vitæ in voto crucis assumto, & Inquisitoribus pro fidei Catholicæ defensione auxilium ferentibus, in articulo mortis plenam omnium peccatorum indulgentiam & remissionem elar-*

elargitur : Ego te absolvo ab omni sententiâ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & restituo te sacramentis sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ : Eâdem autoritate ego absolvo te ab omnibus & singulis peccatis tuis, de quibus corde contritus es, & ore confessus ; & do tibi plenam remissionem peccatorum tuorum, quantum in conspectu divinæ majestatis gratum existit, ut sis absolutus ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. Amen. In nomine † Patris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti. Amen.

Hi Cruce-signati olim maximo usui fuerunt Inquisitoribus: Verum cum labente tempore armis opus non esset ad subigendos hæreticos, militiæ nomen cum armis deponentes, nonnullisque mutatis constitutionibus, de S. Dominici pœnitentiâ, in fundatoris etiam gloriam, nuncupantur; quæ religio tertia est ex his quas Dominicus instituit; cujus quoque constitutiones à Romanis Pontificibus confirmatæ sunt. Param. l. 2. t. 3. c. 3. n. 7.

CAPUT XI.

De Visitatoribus Inquisitorum.

„Cum Inquisitorum aliorumque ministrorum officia soleant esse perpetua, „necesse est ut interdum rationem suorum munerum reddant. Solet igi- „tur creari Magistratus, qui visitet Inquisitores, & omnes alios ministros, „quem ob eam causam Visitatorem appellant. Is visitare omnes Inquisito- „rum provincias, & quicquid correctione dignum cognoverit ad Inquisitorem „generalem & Senatum referre debet. Fines mandati diligenter observet, nec „sit hospes eorum quos visitat, neque ab eis aliquid accipiat, neque per inter- „positas quidem personas. Si verò unus non sufficit, alter vel plures eligendi sunt. Addit verò Simancas, avunculum suum magnum Franciscum Simancam, Ecclesiæ Cordubensis Archidiaconum, solum hoc munere sine collega hactenus functum esse, nam privatim hodie creari solere Visitatores, quoties in aliquâ provinciâ id expedire videtur. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 3. Simanc. tit. 41. § 27. 28.

„Omnes ministri Sanctæ Inquisitionis jurare tenentur coram Inquisitoribus & „Episcopo, seu ejus vicem gerente, quod officia commissa fideliter exerce- „bunt. Jurant præterea Inquisitores, Consultores, & cæteri, quod arcana „omnia fideliter celabunt; quæ si quis eorum prodere ausus fuerit, dignus „profectò est qui officio privetur, & aliis etiam pœnis pro criminis qualitate „puniatur. § 30. § 31.

„Instructionibus etiam continetur, ut Inquisitores & cæteri omnes ministri „per seipsos officiis inserviant, non autem per substitutos. Ministri autem „abesse non debent, nisi prius veniam ab Inquisitoribus impetraverint, quam „illis concedere possunt usque ad viginti dies duntaxat: qui verò absens fue- „rit ultra viginti dies, aut veniâ non impetratâ discesserit, salario privetur, „& absentiæ ministrorum scribantur, & salaria illis non solvantur à Recepto- „re, nisi libro absentiarum inspecto. Et ita Senatus epistolis quibusdam scripsit. § 35. § 36.

„Ad hæc, nemo esse debet minister hujus sancti Officii in eâ provinciâ, in „quâ Inquisitor sit ejus consanguineus, vel Dominus. Prohibitum quoque est, „ne quispiam ministrorum alicui negotiationi se immisceat, neque id facere pos- „sit per interpositas personas; qui verò contra fecerit, officio privetur, & vi- „ginti millibus nummis mulctetur, & qui hoc non prodiderit excommunicetur. „4. Instruct. Tolet. cap. 12. & in fine omnium Instructionum scriptarum, & in „impressis fol. 21. § 38.

„Si quid levius commiserint hi ministri, ab Inquisitoribus puniri debent, si „verò aliquid gravius in officio admiserint, ad Inquisitorem generalem & Se- „natum referendum est, ut, si causa id expostulet, officio illos privet. 1. *In-* § 39. § 40.

§ 40. „*struct. Hispal. cap.* 27. Prohibitum quoque est iisdem Instructionibus, ne quis „duobus officiis præsit, neve duobus fruatur salariis. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 18.

CAPUT XII.

De Officio seu Potestate cujuslibet Rectoris.

HActenus ministros, qui omnes Inquisitioni hæreticorum inserviunt, recensui. Nullæ hic sunt Magistratus sæcularis partes: illum enim à cognitione criminis hæreseos penitus excludunt. Ita docet Simancas; Cognitio hæresis „ad solum ecclesiasticum judicem pertinet, quia crimen hoc adversus fidem & „religionem committitur: de iis enim criminibus, quæ sæcularis administratio „ignorabat, & Christiana religio ostendit crimina esse, solus cognoscit eccle„siasticus judex, ut sunt hæresis, schisma, & id genus alia. In quacunque igi„tur parte judicii sæcularis inciderit ejusmodi criminum cognitio, protinus ad „ecclesiasticos judices remittenda est.

Tit. 36. § 1.

§ 2. „Hoc amplius jure regio hodiè in Hispaniâ prohibetur, ne quispiam sæcula„rium judicum, quantacunque dignitate ac potestate sit præditus, cognoscere „ullo modo præsumat de causis civilibus aut criminalibus, quarum cognitio „pertinet ad Inquisitores, & judices bonorum publicatorum, ne sub prætextu „quidem sublevandi vi oppressos, quod alioqui saluberrimum & præsentissimum „remedium esse solet, ad propulsanda gravamina judicum ecclesiasticorum. Si „qui tamen appellare voluerint in suprascriptis causis, adire debent senatum san„ctæ Generalis Inquisitionis. Mandatum regium datum Burgis die Martii 7. „anno salutis CIↃ IↃ VIII. renovatum anno CIↃ IↃLIII.

Nihilominus armis ac potestate Magistratus indigent, ut hæreticos supplicio afficiant, sententiasque suas in hæreticos pronuntiatas executioni mandent. Ecclesiasticis enim non licet quemquam occidere. Quare Magistratus jussibus ac nutibus suis obsequentes habere cupiunt, nec ullam hæreticis libertatem conscientiarum per illos concedi, sed promptos paratosque esse volunt, ad mandatum Papæ gladium in hæreticos stringendi. Hoc docet Maldonatus Comment. in *Matth.* XIII. 26. explicans parabolam de zizaniis inter triticum seminatis. Postquam dixit Calvinistas & Lutheranos tanquam manifestos hæreticos esse exscindendos; hæc addit: *Neque verò hæc ideò dico, quod non malim eos converti, quam occidi: sed tantum principes, aut, quia principes ista lecturi non sunt, eos, qui principes monere possunt, admoneo, non licere illis istas, quas vocant, conscientiæ libertates, nimium nostro tempore usitatas, hæreticis dare, nisi priùs Ecclesia, aut is, qui Ecclesiæ caput est Romanus Pontifex, Christi persona, & tanquam pater familias judicaverit, non posse evelli zizania, nisi simul & triticum evellatur; & è re Ecclesiæ esse, ut usque ad messem permittantur utraque crescere. Hujus enim rei non principes, qui patris familias servi sunt, sed ipsius patris familias, id est, Ecclesiæ gubernatoris, judicium esse debet. Nec debent principes patrem familias rogare, ut sinat utraque crescere usque ad messem: sed an velit, ut eant & evellant zizania. Ita eos affectos & paratos esse oportet, ut à patre familias coërceri potius opus sit, quam incitari.*

Quia autem raro tanta in regibus & principibus ad exstirpandum hæreticos reperitur promtitudo, ideò Ecclesiastici eos sine intermissione incitare solent, donec sibi per omnia obsequentes habeant: Quin hoc officium Papæ Romani, reliquorumque Episcoporum esse docent: Uti legere est apud Conradum Brunum de hæreticis & schismaticis: *Ad officium Romani Pontificis aliorumque Episcoporum pertinet, quoties opus est, Imperatorem aliosque reges & principes, sub quorum imperio hæreses & schismata emergunt, diligenter admoneant: primum, ut veram & Catholicam religionem & fidem custodiant, & mandata Dei observent. Deinde, ut quod sacerdotale officium per doctrinæ sermonem & ecclesiasticas censuras non potest, ipsi disciplinâ & sæcula-*

Brunus lib. 3. c. 8. § 1.

cula-

cularis potestatis rigore hæreticam ubique impietatem supprimant & exstinguant: Ita Leo Papa Imperatoris auxilium adversus hæreticos implorat Epist. 55. ad Martianum Imperatorem, & Epist. 36. ad Pulcheriam Augustam, & Epist. 23. ad Theodosium II. principem.

Ad eandem etiam curam & solicitudinem Romani Pontificis pertinet, ut in aulâ principis bonos aliquos & fideles foveat, qui & hæreses & quicquid ad tuendam Catholicam fidem & conservandam unitatem pertinet inquirant, & adversus hæreses Imperatoris auxilium postulent, & quicquid ad pacem necessarium fuerit illi suggerant, ac de his quæ unoquoque tempore acta fuerint ad Romanum Pontificem referant. Leo Epist. 34. 80. ad Julianum Episcopum, & Epist. 55. ad Martianum Imperatorem, & Epist. 73. ad Leonem Imperatorem. § 14.

Nec hoc contenti Romani Pontifices, decretis, bullis ac rescriptis suis Magistratibus quibusvis mandant, ut Inquisitoribus quodvis auxilium præstent, additis severis gravissimarum pœnarum comminationibus, si officio suo desint. Quæ omnia collecta exstant in libello de formâ procedendi contra hæreticos, qui Joanni Calderino attribui solet.

„Officium cujuscunque Potestatis, seu Rectoris, describitur in Constitutionibus Clementis, & in 6 Decret. satis perfectè, licet Imperator aliqua etiam tangat, & Gregorius, & Alexander, & Innocentius. Ea autem quæ facere debent Potestates & alii Rectores ponentur non sub illo ordine quo scribuntur, sed eo qui maximè accommodatus est ut memoriæ mandentur. Clemens ita scribit Potestatibus, & Rectoribus, Consulibus, Antianis, Consiliis & Communitatibus civitatum aliorumque locorum per Italiam constitutis, „*Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli constitutiones nostras cum quibusdam adjectionibus, modificationibus, & declarationibus, per dictum Alexandrum prædecessorem nostrum, &c. per nos factas conscribi in vestris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hæresim se adversus sanctam hanc Ecclesiam extollentem sine omissione aliqua procedatis. Alioquin dilectis filiis Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratribus Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, & eorum singulis per Italiam deputatis autoritate Sedis Apostolicæ, & in posterum deputandis, damus nostris literis in mandatis, ut infra designatos eis limites singulos vestrum ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terras appellatione remotâ compellant.* Tr. tr. tom. XI. p. 2. f. 412.

„*Statuimus, ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, seu Consules, seu quivis alii qui civitati præsunt, vel loco alii ad præsens aut pro tempore præfuerint in futurum in Italiâ, juret præcise ac sine tenore aliquo attendere inviolabiliter, & observare, & facere ab omnibus observari toto tempore sui regiminis, tam in loco vel civitate, quam in terris suæ jurisdictioni subjectis, omnes & singulas infra scriptas Constitutiones, & super iis præcisè servandis recipere à quibuslibet sibi in potestariâ vel regimine succedentibus juramenta. Quæ qui præstare noluerit, pro Potestate, Capitaneo, seu Consule, vel Rectore, nullatenus habeatur, & quæ ut Potestas, Capitaneus, Consul vel Rectore fecerit, nullam penitus habeant firmitatem, nec ullus teneatur ac debeat sequi eos, etiamsi de sequela præstandâ eis præbuerit juramentum.* 1.

„*Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut Potestas, seu Consules & Rectores, quibuscunque funguntur officiis, pro defensione fidei præstent publicum juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab Ecclesia denotatos bonâ fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod à modò, & omninò, quandocunque quis fuerit in perpetuam Potestatem assumtus, hoc teneatur juramento firmare, alioquin nec pro Potestatibus, nec pro Consulibus, seu consimilibus habeantur, eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles & inanes.* 2.

„*Idem quoque Potestas, & Capitaneus, Consules, Rector, vel quivis alii ad regimen cujuslibet civitatis vel loci assumpti, in principio sui regiminis in publicâ concione more solito congregatâ banno civitatis vel loci supponant, tanquam pro maleficio, omnes sexus utriusque hæreticos, quocunque nomine censeantur, & teneantur bannum hujusmodi à suis prædeces-* 3.

„ *soribus positum confirmare; præcipiant etiam, quod nullus hæreticus vel hæretica*
„ *de cætero habitet, vel moretur, aut subsistat in civitate, seu aliquo jurisdictionis*
„ *loco aut districtus ejusdem.*

4. „ *Ad hoc notanter fieri volumus, Fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum* „ *pro fidei negotio in partibus Imperii nostri contra hæreticos deputatos, cæteros quo-* „ *que qui ad hæreticos judicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint* „ *præscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri imperii speciali defensione re-* „ *ceptos, & quos apud omnes sub opere & recommendatione fidelium imperii esse volu-* „ *mus inoffensos: Universitati vestræ mandantes, quatenus quocunque & apud quem-* „ *cunque vestrum pervenerint benignè recipiatis, eisdem omne consilium, ducatum, &* „ *auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exsequendis: Hæreticos* „ *vero quos ostenderint vobis in jurisdictione vestrâ singuli capientes diligenti custo-* „ *diâ detinendos, donec per ecclesiasticæ damnationis judicium pœnam subeant quam* „ *merentur.*

5. „ *Teneatur prætereà Potestas, seu Rector, vel quis alius huic regimini præsidens, unum* „ *de assessoribus suis, quem elegerit, Diœcesano, si fuerit præsens, & Inquisitoribus, seu* „ *Inquisitori, prædictis autoritate sedis Apostolicæ deputatis mittere cum eis, quando-* „ *cunque voluerint, in jurisdictione civitatis vel loci, ac ejus districtu, qui Assessor,* „ *secundum quod prædictis Inquisitoribus, seu Inquisitori, visum fuerit, ibi tres aut* „ *plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compel-* „ *lat, quod si quos ibidem hæreticos sciverint, vel bona eorum, vel aliquos occulta* „ *conventicula celebrantes, seu à communi conversatione fidelium vitâ & moribus di-* „ *screpantes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hæretico-* „ *rum, eos dictis Inquisitoribus, sive Inquisitori, studeant indicare.*

6. „ *Ipsi autem Potestates, Consules, seu Rector, & quicumque alii regimini præsi-* „ *dentes, purgare teneantur ab hæreticâ fœditate civitatem vel locum cui præfuerint,* „ *totamque terram vel districtum suæ jurisdictionis, secundum leges per Fredericum* „ *olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ Ecclesiæ persistentem, Pa-* „ *duæ promulgatas contra hæreticam pravitatem, & earum tenores facere annotari in* „ *suis capitularibus, nullis temporibus abolendas.*

7. „ *Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesiâ terram suam pur-* „ *gare neglexerit ab hæreticâ pravitate, post annum à tempore admonitionis elapsum,* „ *terram ipsius exponimus Catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis* „ *absque ullâ contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure* „ *Domini principalis, dummodò super hoc nullum præstet obstaculum, neque aliquod* „ *impedimentum opponat: eâdem nihilominus lege servata contra eos, qui non habent* „ *Dominos principales.*

8. „ *Teneantur autem Potestas, Capitaneus, Consul seu Rector, vel alii ad hujusmodi* „ *regimen deputati quilibet in expensis communis, cui praeest, facere duci eosdem hæ-* „ *reticos ita captos, quocunque Dioecesano vel ejus Vicario, seu Inquisitoribus, vel* „ *Inquisitori, prædictis intra jurisdictionem vel districtum Diœcesani Episcopi, seu* „ *civitatis vel loci, placuerit illos duci.*

9. „ *Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consul seu Rector, vel alii, omnes* „ *hæreticos vel hæreticas qui capti à modò fuerint, custodiri facere sub expensis com-* „ *munis vel loci cui præsunt, per viros Catholicos ad hoc electos per Dioecesanum,* „ *si præsens fuerit, vel ab Inquisitoribus, seu Inquisitore, in aliquo speciali carcere* „ *tuto & securo, in quo ipsi soli teneantur seorsim à latronibus & bannitis, donec de* „ *ipsis fuerit diffinitum.*

10. „ *Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consul seu Rector, vel alii hujusmodi,* „ *cum bono & securo comitatu omnes hæreticos, quocunque nomine censeantur, infra* „ *dies duodecim postquam capti fuerint, Diœcesano vel ejus spirituali Vicario, vel hæ-* „ *reticorum Inquisitoribus, vel Inquisitori præsentare, pro examinatione de ipsis &* „ *eorum hæresi facienda.*

11. „ *Teneantur prætereà Potestas, Capitaneus, Consules, vel alii hujusmodi, omnes hære-* „ *ticos, quos captos habuerint, cogere, citra membri diminutionem, & mortis periculum,*

„ tan-

,, *tanquam verè latrones & homicidas animarum, & fures Sacramentorum Dei & fidei* ,, *Christianæ, errores suos expressè fateri, & accusare alios hæreticos quos sciverint, & bo-* ,, *na eorum, & credentes, & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures &* ,, *latrones rerum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia quæ fecerint: da-* ,, *mnatos verò de hæresi per Diœcesanum, vel ejus Vicarium, seu Inquisitores, vel Inqui-* ,, *sitorem, prædictos Potestas, Capitaneus, vel alii eorum supradicti, vel ejus seu eorum* ,, *Nuntius specialis animadversione debitâ puniendos sibi relictos statim recipere teneantur.*

,, *Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consul, seu Rector, vel quivis alius præsidens* 12. ,, *regimini civitatis vel loci, nomina istorum omnium, qui de hæresi fuerint diffamati, seu* ,, *infamati, vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere annotari, quorum unum* ,, *commune civitatis vel loci habeat, alium Diœcesanus; & tertium Fratres Prædicatores,* ,, *& quartum Fratres Minores. Et ipsorum nomina ter in anno in concione publicâ sole-* ,, *mniter faciant recitari.*

,, *Teneantur insuper Potestas civitatis, seu Rector quivis loci quocunque vocabulo nuncu-* 13. ,, *petur, in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis vel* ,, *occupatis consignandis & dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies post accu-* ,, *sationem seu denuntiationem factam, hæc omnia exsequi cum effectu, & condemnationes* ,, *omnes in pecuniâ numeratâ infra tres menses exigere & dividere illa, sicut inferius conti-* ,, *netur.*

,, *Insuper teneantur Potestas & Capitanei unum de assessoribus suis, quemcunque Diœce-* 14. ,, *sanus, vel ejus Vicarius, & dicti Inquisitores, seu Inquisitor, hæreticorum voluerint,* ,, *ad hæc peragenda fideliter assignare & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportu-* ,, *num: Omnes autem condemnationes vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, nec* ,, *per concionem, nec per consilium, nec ad vocem populi ullo modo aut ingenio aliquo tem-* ,, *pore valeant relaxari.*

,, *Teneantur insuper Potestas, Capitaneus, Consul seu quivis alius Rector, omnia bona* 15. ,, *hæreticorum & receptatorum eorum, quæ per dictos Officiales fuerint occupata seu inven-* ,, *ta, & condemnationes pro iis exactas, nec non & ligamina, lapides & tegulas domo-* ,, *rum & turrium, quæ occasione hæresis destruentur, & bona tam mobilia quam immobi-* ,, *lia, quæ eâdem occasione confiscabuntur, dividere tali modo, ut prima pars veniat in* ,, *commune civitatis seu loci; secunda pars in favorem & expeditionem Officii, & detur* ,, *Officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerunt: tertia ponatur in aliquo loco tuto, secun-* ,, *dum quod dictis Diœcesano & Inquisitoribus, vel Inquisitori, videbitur reservanda, &* ,, *expendenda per consilium eorumdem in favorem fidei, & ad hæreticos exstirpandos, non* ,, *obstante in contrarium statuto aliquo condito vel condendo.*

,, *Teneatur prætereà Potestas, vel Rector civitatis vel loci alterius, vendere bonâ fide* 16. ,, *cum consilio & assensu Inquisitorum, vel Inquisitoris, bona quæ confiscantur occasione hæ-* ,, *reticæ pravitatis infra tres menses post confiscationes hujusmodi: quod si non fecerit, præ-* ,, *missas pœnas eo ipso incurrant, & nihilominus Inquisitores, vel Inquisitor, liberè ista ven-* ,, *dere valeant, requisito consilio Diœcesani, vel ejus Vicarii, si præsens non fuerit, &* ,, *duorum Fratrum Prædicatorum, & totidem Minorum Ordinum, quos Prior & Guar-* ,, *dianus, si conventus ibidem fuerint eorumdem Ordinum, ad hec duxerint eligendos, &* ,, *emptores bonorum ea liberè ac licitè habeant & possideant, & verum ipsorum dominium* ,, *per emtionem hujusmodi transferatur ad ipsos.*

,, *Si quis autem de cætero aliquid istorum statutorum seu constitutionum attentaverit delere,* 17. ,, *diminuere, vel mutare, sine autoritate Sedis Apostolicæ speciali, potest Capitaneus, seu Consul,* ,, *seu alius quivis Rector qui pro tempore fuerit in illâ civitate, vel locum teneant, eum, tan-* ,, *quam defensorem hæreticorum publicum & fautorem, secundum formam præscriptam per-* ,, *petuò publicè infamare, atque punire in libris L. Imperialibus in pecuniâ numeratâ;* ,, *quam si exigere non poterit, eum malefici banno supponat, de quo eximi non valeat, nisi* ,, *solverit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.*

,, *Cæterum teneantur Potestas, seu Capitaneus, Consul, aut quivis Rector cujuslibet ci-* 18. ,, *vitatis & loci, delere seu abradere penitus de statutis & capitularibus communis quodcun-* ,, *que statutum, conditum vel condendum, inveniatur contradicere istis constitutionibus,*

„*seu statutis & legibus memoratis quomodolibet obviare : Et in principio & in medio sui regiminis hæc statuta seu constitutiones & leges in publicâ concione solemniter facere recitari, & etiam in aliis locis extra civitatem suam, seu locum, sicut Diœcesano, seu Inquisitoribus, sive Inquisitori, videbitur expedire.*

19. „*Porro hæc omnia statuta, sive constitutiones & leges præfatæ, & si quæ aliæ contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo autoritate sedis Apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri, quorum unum sit in statutario communis cujuslibet civitatis vel loci, secundum apud Diœcesanum, tertium apud Fratres Prædicatores, quartum apud Fratres Minores, cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari.*

20. „*Teneatur sane Potestas, sive Capitaneus, Consul, seu quivis Rector infra duodecim dies sui regiminis syndicare præcedentem proximum Potestatem, Capitaneum, Consulem, vel Rectorem, & ejus etiam assessores, per tres viros Catholicos & fideles, quos infra tres dies regiminis supradicti eligant unà cum Diœcesano Fratres Prædicatores & Minores, suis Priore & Guardiano pariter assignati, seu Inquisitores, vel Inquisitor, hæreticæ pravitatis, de omnibus iis quæ in statutis istis, seu constitutionibus & legibus ante dictis contra hæreticos & eorum complices continentur, & punire eos, si excesserint, in omnibus & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propriâ facultate, non obstante, si per aliquam licentiam Consilii, vel alterius cujuslibet, à syndicatione fuerint absoluti. Jurabunt autem prædicti tres viri bonâ fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.*

„Supra dicta autem omnia quasi tangit Bonifacius Octavus, cum dicit breviter. *Ut Inquisitionis negotium contra hæreticam pravitatem ad Dei gloriam & augmentum fidei nostris temporibus prosperetur, Leges quasdam per Fredericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ persistentem Ecclesiæ, promulgatas, quatenus Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promovent, & hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canonicis non obsistunt, approbamus & observari volumus, universos similiter Potestates & Dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuscunque dignitatibus vel officiis aut nominibus censeantur, requirimus & monemus, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei diœcesis Episcopis & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis à sede Apostolicâ deputatis, aut in posterum deputandis, pareant, & intendant in hæreticorum credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodiâ diligenti, cum ab eis fuerint requisiti, ut præfatas personas pestiferas in potestatem seu carcerem ipsorum Inquisitorum prædictorum, vel ad locum de quo ipsi vel aliqui ex eis mandaverint, in eorumdem dominium, vel potestatem aut districtum ducant, vel duci faciant, sine morâ, ubi per viros Catholicos à præfatis Episcopis seu Inquisitoribus vel eorum aliquo deputatos sub arctâ & diligenti custodiâ teneantur, donec eorum negotium per Ecclesiæ judicium terminetur : utque de hæresi à diœcesis Episcopo vel Inquisitore seu Inquisitoribus condemnatos præfati Potestates, & Domini temporales seu Rectores, vel eorum Officiales, seu Nuntii sibi relictos statim recipiant animadversione debitâ puniendos; non obstantibus appellationibus seu proclamationibus prædictorum nequitiæ filiorum, cum tam secundum ordinationem prædecessorum nostrorum, quam secundum legem imperialem, appellationis & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus, interdictum.*

21. „*Prohibemus quoque districtius Potestatibus, & Dominis temporalibus, Rectoribus, eorumque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc crimine, cum merè sit ecclesiasticum, quoquo modo cognoscant vel judicent, seu captos pro eodem crimine absque dictorum Episcoporum, seu Inquisitorum, aut saltem alterius eorumdem, licentiâ vel mandato è carcere liberent, aut executionem pro hujusmodi crimine, à Diœcesano, seu Inquisitoribus, vel Inquisitore, injunctam, prout ad suum spectat officium, facere sive adimplere detrectent, vel alias Diœcesani aut Inquisitorum judicium, sententiam seu processum, directè vel indirectè impedire præsumant.*

12. „*Statuimus insuper, ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, vel Consules, seu aliqui alii qui*

,, *qui civitati præsunt vel loco alteri ad præsens, vel præfuerint in futurum, ad requisitionem* ,, *vel Diœcesani, vel Vicariorum suorum, seu Inquisitorum hæreticæ pravitatis, jurent præ-* ,, *cise attendere, inviolabititer observare, ac facere à suis subditis observari, in toto tem-* ,, *pore sui regiminis, in terris suæ jurisdictioni & regimini subjectis, constitutiones contra* ,, *hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, ipsorumque filios &* ,, *nepotes, à sede Apostolicâ promulgatas ac approbatas: quas qui jurare noluerit servare, est* ,, *infamis, & tanquam hæreticorum fautor & de fide suspectus officio & honore sui regimi-* ,, *nis spolietur, nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul, vel Rector habeatur, aut ad ali-* ,, *quam dignitatem vel officium publicum de cætero assumatur: Et quæ ut Potestas, Consul* ,, *vel Rector fecerit, nullam obtineant firmitatem.* Clemens verò in Constitutionibus ,, sic dicit: *Quod si Potestas, Capitaneus, vel alius prædictorum, Constitutiones ipsas, &* ,, *singula in eis contenta, servare noluerit vel neglexerit, præter notam perjurii & perpe-* ,, *tuæ jacturam infamiæ, ducentarum marcharum pœnam incurrat; quæ irremissibiliter exi-* ,, *gantur ab eo, & in utilitatem Communis cui præest integrè convertantur, & nihilomi-* ,, *nus ut perjurus, & infamis, & tanquam hæreticorum fautor de fide suspectus, officio &* ,, *honore sui regiminis spolietur, nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul seu Rector ha-* ,, *beatur in aliquo, aut de cætero ad aliquam dignitatem vel officium publicum nullatenus* ,, *assumatur.* Bonifacius vero in 6. Decret. sic dicit. *Si quis verò de prædictis Po-* ,, *testatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus vel eorum Officialibus, seu aliis, contra præ-* ,, *dicta fecerit, aut in præfato fidei negotio præfatis Diœcesano Episcopo vel Inquisitoribus se* ,, *opponere forte præsumserit, vel ipsum aliquatenus impedire, nec non & qui scienter in* ,, *prædictis dederit auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis se noverit mucro-* ,, *ne percussum, quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, extunc velut hæreticus con-* ,, *demnetur.*

Omnes hæ Constitutiones Magistratum sæcularem Inquisitoribus penitus subjiciunt, gladiumque suum ad Inquisitorum arbitrium stringere jubent, ipsorumque mandata cæcâ obedientiâ promptè exequi.

CAPUT XIII.

De Privilegiis Inquisitorum.

POstquam omnium Inquisitionis ministrorum officia breviter explicata sunt, restat ut de Inquisitoribus, omnium præcipuis, uberius & distinctius agamus: Eorum itaque explicabimus Privilegia, & Potestatem.

Privilegia Inquisitorum multa sunt, atque eximia, quæ largâ manu ipsis concesserunt Pontifices Romani, ut eò alacrius muneri suo incumbant, legesque contra hæreticos latas strenuè exequantur.

Urbanus IV. bullâ, quæ incipit, *Ne Inquisitionis negotium.* indulsit Inquisitoribus, *ut nullus Sedis Apostolicæ delegatus, vel subdelegatus ab eo, conservator, aut etiam executor à Sede Apostolicâ deputatus eâdem, seu etiam deputandus, in ipsos, vel quatuor ipsorum Notarios sive Scriptores, ipsis super his fideliter obsequentes, quamdiu in prosecutione hujusmodi negotii fuerint, possit excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti sententiam promulgare, absque speciali mandato prædictæ Sedis faciente plenam & expressam de hac indulgentiâ mentionem:* Decernitque *irritum & inane si secus fuerit attentatum.* Est id privilegium concessum, ne causæ religionis propter excommunicationem Inquisitorum, aut aliorum Officii ministrorum, deserantur, aut impediantur; & interim impeditis judicibus hæretici impunè grassentur. Eymer. part. 3. qu. 21.

Idem Inquisitoribus Ordinis Prædicatorum ac Minorum, ne in causis fidei à suis Superioribus impediri possint, speciali privilegio concessit. *Et si forsitan Magister & Minister Generales, aliique Priores & Ministri Provinciales, ac custodes seu Guardiani aliorum locorum vestrorum Ordinum, prætextu quorumque privi-*

le-

legiorum seu indulgentiarum ejusdem sedis Apostolicæ dictis Ordinibus concessorum, aut concedendorum in posterum, vobis, vel alicui vestrum, vel aliquibus injunxerint, seu quocunque modo præceperint, ut ad tempus, vel quoad certos articulos certasve personas negotio supersedeatis eidem; nos vobis & universis & singulis autoritate Apostolicâ districtius inhibemus, ne ipsis obedire in hac parte vel intendere quomodolibet præsumatis. Nos enim privilegia seu indulgentias hujusmodi quantum ad hunc articulum tenore præsentium revocantes, omnes excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, si quas in vos vel in vestrum aliquos hac occasione fieri contigerit, prorsus decernimus irritas & inanes: Nam si prædicta sedes interdum prælatis aliquibus vestrorum Ordinum per suas literas sub certâ formâ committat, ut ad exercendum Inquisitionis officium contra hæreticam pravitatem aliquos suorum Ordinum Fratres assumere valeant, ipsosque cum expedire viderint amovere, ac alios subrogare; non tamen per hoc, quod ipsis eâ duntaxat de causâ in hac parte committitur, quia de Fratrum suorum Ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam præsumuntur, aliqua eis super hujusmodi negotio vobis immediatè à prædictâ sede commisso, & committendo, facultas vel jurisdictio attribuitur, seu potestas.

Eymer. part. 3. Qu. 22.

In favorem fidei etiam Inquisitoribus est concessum, ut quando sine moræ dispendio, aut negotii periculo, recursum habere nequeunt ad superiores, qui legitimè in locis ipsis possunt justitiam exsequi, absque incursu pœnæ excommunicationis possint requirere Dominos temporales, eorumque officiales, excommunicatos, ut juxta officium suum præstent sibi auxilium & favorem: per cap. *Præsidentes.* de hæret. lib. VI. *Nec requirentes hujusmodi excommunicatos propter hoc sententiam excommunicationis incurrunt.* Huic aliud cohæret: Licet gesta per tyrannos ipso jure sint nulla; favore tamen fidei, si jussu Inquisitorum quid in hæreticos exerceat tyrannus, aut alius injustus dominus, validum est.

Pegna Comm. 71.

Soli Inquisitores, & non Ordinarii, edicta contra hæreticos publicare possunt. Ita nuperrimè fuit revocatum quoddam edictum tempore quadragesimæ jussu Ordinarii publicatum. Sed de hoc plura dicemus in capite de Potestate Inquisitorum. Item soli Inquisitores possunt absolvere ab excommunicatione pro hæresi contractâ, & non alii, virtute jubilei, vel literarum Sedis Apostolicæ, imo & à sententiâ excommunicationis quam Romanus Pontifex contra illos promulgat in die cœnæ Domini.

J. Royas part. 2. § 415. § 416.

Inquisitores possunt excommunicare, suspendere, & interdicere. Quam gravis autem hæc eorum excommunicatio sit, in capite de Potestate Inquisitorum dicetur. Possunt etiam mandare cuilibet Presbytero, Curato sive non Curato, ut publicet literas monitorias à se factas, & denuntiet coram populo excommunicatos ab ipsis: quod si recuset, possunt ipsum presbyterum punire, non solum pœnâ censuræ, sed etiam aliâ pœnâ.

Pegna in Lucern. Inq. in voce Excommunicatus. Lucerna in voce Inquis. hær. prav.

Excommunicati vel interdicti ab Inquisitore, non possunt absolvi ab Ordinario, neque ab alio, sine mandato summi Pontificis, præterquam in mortis articulo.

Ibid in voce Excommunicatus.

Inquisitores possunt hæreticos ad Ecclesias confugientes capere, ac si ad Ecclesias minimè confugissent; nec in hoc sub quovis prætextu ab Episcopis possunt impediri: Prout decrevit Joannes XXII. Constit. quæ incipit: *Ex parte vestra*, &c.

Carena p. 1. t. 5. n. 96.

Inquisitor potest inhibere judici sæculari, ne procedat contra aliquam personam vigore processuum ipsius Inquisitoris, vel occasione alicujus confessionis factæ coram ipso Inquisitore. Vide cap. *Tuam.* de ordi. cogni.

Lucerna in voce Judex.

Qui per se, vel per alios, aliquem ex Inquisitoribus vel Officialibus sancti Officii occiderit, vel verberaverit, vel percusserit, absque aliquâ irregularitatis notâ est curiæ sæculari tradendus; juxta indultum Leonis Papæ X. datum Florentiæ 28 diè Januar. anni 1515. Prædictum indultum hodiè extenditur contra damnificantes bona Inquisitorum, vel Officialium; per motum proprium Pii V. datum Romæ anno 1569.

J. Royas p. 2. § 419.

Item

Item Inquisitores integros suarum præbendarum fructus simul cum distributionibus quotidianis in absentiâ percipiunt : ut patet in literis Pauli III. & Pii v. quæ in primo volumine literarum hujus Inquisitionis Valentiæ fol. 308. habentur. 420.

Pensiones reservatæ autoritate Apostolicâ S. Officio sunt immunes à solutione quindennii ; prout declaravit suprema Congregatio S. Officii die IV. Januarii, 1622. pro Inquisitore Papiæ contra Capitulum metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ. Sæpe etiam Papa declaravit beneficia unita Inquisitionibus immunia esse à solutione decimarum. Carena p. 1. t. 5. n. 97.

Item ab omnibus muneribus realibus & personalibus sunt immunes, etiam à jure generalitatis, speciali quodam regio privilegio, quod ad nonnullos Officiales etiam extenditur ; ut in dicto primo volumine fol. 283. plenius continetur. 421.

Inquisitoribus atque eorum Officialibus hospitia, & alimenta, & alia necessaria justo pretio sunt ministranda ; juxta tenorem privilegii Reginæ Joannæ. 424.

Inquisitores possunt statuta contra hæreticos condere, augendo contra eos pœnas. 440.

Possunt etiam testes trahere ultra duas diëtas.

Porro Urbanus IV. aliud Inquisitoribus dedit privilegium, ut ab excommunicatione se & socios suos possint absolvere, & super irregularitate secum dispensare. *Ut negotium fidei valeatis liberius promovere, vobis autoritate præsentium indulgemus, ut si vos, & Fratres Ordinis vestri socios vestros, excommunicationis sententiam & irregularitatem incurrere aliquibus casibus ex humanâ fragilitate contingat, vel recolatis etiam incurrisse, quia propter injunctum vobis officium ad Priores vestros de levi super hoc recurrere non potestis, mutuò vos super his absolvere, juxta formam Ecclesiæ, & vobiscum autoritate nostrâ dispensare possitis in casibus, in quibus dictis Prioribus, ut dicitur, est ab Apostolicâ sede concessum.* Similiter possunt absolvere famulos & familiares ab excommunicatione, quam incurrerent propter injectionem manuum occasione officii ; ut dicit Innocentius IV. in bullâ, *Devotionis vestræ.* Eymer. part. 3. qu. 13.

Sunt tamen tres casus, in quibus Inquisitores se mutuò absolvere nequeunt. Primus est ; Cum omiserunt procedere contra quem procedere debuerant. Secundus : Cum alicui hæreseos crimen falsò imposuerunt, aut dixerunt eos impedivisse sacrum officium, qui reverâ non impediverunt. Uterque hic casus continetur in Clement. de hæret. cap. *Multorum.* § *Verum quia.* *Verum quia nimis est grave ad exterminationem pravitatis prædictæ non agere, quod ipsius contagiosa enormitas agendum requirit ; grave est quoque & damnatione dignissimum malitiosè insontibus eandem imponere pravitatem : Episcopo & Inquisitori prædictis ac aliis ad dicti executionem officii substituendis ab eis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione maledictionis æternæ præcipimus, ut sic discretè & promptè contra suspectos vel diffamatos de hujusmodi pravitate procedant, quod malitiosè aut fraudulenter tantam labem, seu quod ipsos in executione Officii Inquisitionis impediat, falsò alicui non imponant. Quod si odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam & conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super hujusmodi pravitate, aut obtentu eodem, pravitatem ipsam vel impedimentum Officii suo alicui imponendo, eum super hoc præsumserint quoquo modo vexare (præter alias pœnas, pro qualitate culpæ imponendas eisdem) Episcopus aut Superior suspensionis ab officio per triennium ; alii vero excommunicationis sententias eo ipso incurrant. A quâ quidem excommunicationis sententiâ, qui eandem incurrerint, nisi per Romanum Pontificem nequeant, præterquam in mortis articulo, & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium obtinere, nullo in hac parte privilegio suffragante.* Qu. 24.

Pœnæ autem huic subjacent Inquisitores, non si omittant procedere ex ignorantiâ ; sed cum scirent esse procedendum, odio, gratiâ, amore, pretio vel prece contra justitiam & conscientiam propriam omiserunt procedere ubi fuerat procedendum ; aut contra processerunt, cum non debuissent. Tertius casus est:

cum illicitis modis prætextu officii pecunias extorserunt, aut bona Ecclesiæ ob delictum clericorum fisco addixerunt. Clement. de hæret. cap. *Nolentes. Et tam ipsorum, quam Episcoporum seu Capitulorum, sede vacante, super hoc deputatis commissariis quibuscunque districtius injungentes, ne prætextu Officii Inquisitionis quibusvis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant; nec scientes attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delictum prædicti occasione officii fisco etiam Ecclesiæ applicare. Quod si secus in his, vel eorum altero, fecerint, excommunicationis sententiæ eos subjacere decernimus ipso facto: à quâ non possint absolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecuniâ sic extortâ: Nullis privilegiis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris.*

Eymer. 3 part. qu. 127. Com. 176. Inter privilegia Inquisitorum minimum non est, quod Inquisitor habet potestatem largiendi viginti vel quadraginta dierum indulgentiam, quoties oportunum videbitur, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui accedunt ad ejus concionem pro fide factam: Uti habent rescripta Innocentii, Clementis, Alexandri & Urbani IV. *Præ cunctis.* Iidem illi Sociis ac Fratribus Inquisitoris nec non Notariis ipsius, qui unà cum ipsis in prosecutione hujus negotii laboraverint, & omnibus qui ipsis personaliter astiterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores & defensores eorum ex animo ipsis præstiterint auxilium, consilium, vel favorem, tres annos de injunctis ipsis pœnitentiis relaxant. Et si qui ex his in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti ac ore confessi fuerint, plenam veniam indulgent. Apertius idem tradit Gregorius IX. rescripto incipiente, *Ille humani generis:* in hæc verba. *Ad hæc, ut super præmissis omnibus officium sibi commissum liberius posint & efficacius exercere, omnibus qui ad prædicationem eorum* (Inquisitorum) *accesserint, in singulis stationibus viginti dies: illis verò, qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, defensores eorum, in munitionibus, vel castellis, vel alias contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium præstiterint vel favorem, de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus autoritate confisi, tres annos de injunctâ sibi pœnitentiâ relaxamus: & si qui ex his in prosecutione hujus negotii forte decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti & ore confessi sunt, plenam veniam indulgemus.* Hoc privilegio (ait Pegna) hodie imprimis gaudent Crucesignati, quibus in Hispaniâ similes sunt illi, quos dicimus Familiares, qui nutibus Inquisitorum obedientes, ea exequuntur, quæ ad promotionem hujus sacri Officii, & ad fidei propagationem, & ad hæreticæ pravitatis exstirpationem spectant. Cum autem quinque Paparum exstent Bullæ, qui singuli tres Indulgentiarum annos concedunt, inde colligunt aliqui, quod illæ sint accumulandæ, ac proinde, quod quindecim annorum indulgentiæ omnibus qui Officium Inquisitionis promovent concedantur pro singulis vicibus & singulis actibus. Et Pegna, qui ait se credidisse per posteriorum bullas priorum indulgentias tantum confirmari, dicit subesse causam cur accumulentur.

Comm. 178.

Lucerna Inquisit. in voce Indulgentia eorum qui, &c.

Ipsis verò Inquisitoribus plenaria conceditur Indulgentia in vitâ & in morte, Rescripto Alexandri IV. incipiente, *Firmissimè teneat.* in quo ita legitur: *Vobis verè pœnitentibus & confessis, de omnipotentis Dei misericordiâ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli ejus auctoritate confisi, plenam concedimus veniam peccatorum.* Et rescripto Urbani IV. & Clementis IV. incipiente, *Præ cunctis. Vobis autem pro hujusmodi negotio laborantibus illam peccatorum veniam indulgemus, quæ succurrentibus terræ sanctæ in generali Concilio est concessa.* Illa autem Indulgentia est concessa ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi Romæ anno 1215. quæ ita sonat. *Ad liberandam terram sanctam,* & infra. *Nos ergo de omnipotentis Dei misericordiâ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli autoritate confisi, ex illâ quam nobis, licet indignis, contulit Deus ligandi & solvendi potestate, omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum, salutis æternæ pollicemur augmentum: Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in*

suis duntaxat expensis, juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint: Et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujusmodi quoque remissionis volumus & concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congruè ministrabunt; aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam piè proficiscentibus in hoc opere in communi sancta & universalis Synodus orationum & beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis dignè proficiat ad salutem.

Hanc autem plenam Indulgentiam Repertorium Inquisit. verbo *Indulgentia.* § *Item Inquisitores*, ita extendit, ut non solum semel in vitâ eam consequantur Inquisitores; sed etiam in singulis actibus perfectis, qui contra hæreticos in favorem & laudem fidei celebrantur.

CAPUT XIV.

De Amplitudine Jurisdictionis Inquisitorum.

QUoniam Inquisitores sunt à Papâ judices in causâ fidei delegati, ut omnis hæresis ad Papæ arbitrium funditus exstirpetur, potestas ipsis data est, favore fidei, adversus omnes ac quascunque personas procedendi. Pauci solummodò excipiuntur. Non enim potest Inquisitor procedere contra Officiales & nuntios sedis Apostolicæ, nec contra Episcopos: potest tamen eorum delicta Sedi Apostolicæ denuntiare. *Extrav. de hæret. cap.* 3. & cap. *Inquisitores.* de hæret. lib. 6. Idem sancivit Joannes XXII. cum Matthæus de Pontiniano Ord. prædic. Inquisitor hæreticæ pravitatis in regno Siciliæ in G. de Baleto Archidiaconum Foroliviensem Papæ Capellanum excommunicationis sententiam pronuntiasset. Pius tamen IV. per Extravagantem incipientem, *Romanus Pontifex.* anno 1563. sancivit, Cardinales Inquisitores Generales in universâ Repub. Christianâ, procedere posse contra Episcopos, & quoslibet alios Prælatos, eosque monere, citare, & requirere ut intra certum terminum personaliter compareant, idque sub gravibus pœnis, ut cum processus confectus fuerit sanctissimo Domino referatur, ut debitâ & justâ sententiâ contra tales promulgetur. Bzovius a. 1326. § 9.

Quod attinet Religiosos exemptos, multa antiquis temporibus fuit varietas, circa facultatem procedendi contra ipsos: nam Alexander IV. rescripto quodam, incipiente, *Ne commissæ vobis.* anno Domini 1260. statuit, ut indistinctè Inquisitores contra quoslibet Religiosos & exemptos procederent: idem ipsum & alii sanciverunt. Sed Pius II. circa annum Domini 1460. Vicario Ordinis Fratrum Minorum concessit, ut ipse Inquisitionem & punitionem suorum Fratrum, in fide vel hæresi suspectorum, exerceret. Inde post aliquot annos Sixtus per Bullam auream, incipientem, *Sacri Prædicatorum.* quæ habetur in libro Privilegiorum Ordinis Prædicatorum fol. 163. sancivit, ne Prædicatores contra Fratres Minores, aut Minores contra Fratres Prædicatores, in locis in quibus exercent Inquisitionis officium, procederent. Inde vero aliquot annis interjectis Innocentius VIII. omnibus Inquisitoribus interdixit, ne contra Fratres Minores quomodolibet procedere, vel inquirere auderent: ut patet in Literis Apostolicis de hac re conscriptis & relatis in libro cui titulus est: *Fundamentum trium Ordinum beati Francisci.* Direct. part. 3. Qu. 28. Com. 77.

Verum cum ex his immunitatibus manifesta quandoque in fidem pericula sequerentur, posteriores Pontifices omnes Religiosos, etiam alias exemptos, in causâ fidei (sicut olim) Inquisitoribus hæreticæ pravitatis subjecerunt; ut Clemens VII. rescripto incipiente, *Cum sicut.* & Pius IV. rescripto incipiente, *Pastoris æterni.* Quam ob causam etiam à Carolo V. Imperatore in Hispaniâ declaratum fuit, ut milites sancti Jacobi, si forte hæretici fuerint, exempti non sint à Simanc. tit. 34. § 32.

 juris-

jurisdictione ordinariâ, neque ab Inquisitorum jurisdictione: quod eâdem omninò ratione servandum erit in militibus sancti Joannis, & aliarum militiarum.

In nonnullis Religionibus ordo præscribitur, qui servari debeat in Fratribus hæreticis, aut suspectis, denuntiandis: ut Prior conventus Provinciali, & Provincialis Generali, Generalis officio Inquisitionis denuntiet: sed ut hic circuitus evitetur, ubi commodè superiora observari non poterunt, ne causa fidei differatur, solus Prior poterit denuntiare, aut eo absente alius loco ejus.

Tametsi autem Inquisitores contra quoscunque Religiosos, etiam exemptos, procedere possint; sunt tamen certi quidam Religiosi, contra quos ob prærogativam dignitatis non facilè debent privati Inquisitores procedere: tales sunt, Magistri Ordinum Generales, Prædicatorum, Minorum, & similes: item Magistri Generales religionum militarium: sed cum contra hos procedendum est, rectius facient, si prius nuntient Generalibus Inquisitoribus, qui causâ cognitâ decernant quid facto opus sit: nisi forte reus fugere vellet, & periculum sit in morâ.

Direct. part 3. Qu. 29. Quin & potestatem habet Inquisitor procedendi contra sacerdotes, per cap. *Accusatus*, § *Sacerdotes*. Extra. de hæret. *Sacerdotes insuper & alii Clerici, qui negotium Inquisitionis, instruendo citatos hæreticos vel horum credentes de celandâ veritate, vel dicendâ falsitate, seu eos indebitè liberando, inventi fuerint impedire (cum non sit dubium eos ipsa facere in favorem hæreticæ pravitatis) per Inquisitores à talibus compesci possunt, & pœnâ debitâ castigari, tam per captionem personarum, quam alias, prout culpa exegerit delinquentis.*

Qu. 31. Tandem & indistinctè contra omnes laicos hæresi infectos, aut suspectos ac diffamatos cujuscunque sint conditionis, etiam principes ac reges. Hic autem tutius credunt, cum procedendum est aduersus principes & magnates hæreticos, aut de hæresi suspectos, ut summus Pontifex consulatur, cujus arbitrio & modo ab eo præscripto adversus eos procedatur: Non quia aliquid nobilitati deferendum credunt, ea enim propter hæresin amittitur; sed ne scandalum oriatur; in Magnates enim, Consules & Potestates si publicè vellent Inquisitores animadvertere, facilè impedirentur, præsertim in locis suspectis, & ubi Inquisitores sunt pauperes & imbelles.

Quin & contra omnes, qualescunque sint & cujuscunque conditionis, ac quibuscunque privilegiis gaudeant, procedere possunt, si aliquod Officio Inquisitionis afferant impedimentum. Ita Alexander IV. in bullâ, incipiente, *Cupientes.* mandat: *Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione post-positâ compescendo: non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis quibuscunque personis cujusvis conditionis, dignitatis, vel gradus, Religionis vel Ordinis, Communitatibus vel Universitatibus, civitatum vel locorum, specialiter vel generaliter sub quâcunque verborum expressione vel formâ à memoratâ Sede concessis, vel in posterum concedendis, cum ex hujusmodi vel aliis privilegiis vel indulgentiis nullum vobis in tantæ pietatis negotio volumus obstaculum interponi.* Idem in bullâ, *Ne commissum vobis.* jubet, quod si Clerici & Religiosi non juverint Inquisitores secundum officium & posse suum, quod procedant contra eos secundum canonicas sanctiones, non obstantibus aliquibus privilegiis.

Qu. 42. Com. 91. p. 614. Possunt etiam Inquisitores procedere contra eos, qui in suâ provinciâ deliquerunt, & ad aliam se transtulerunt: juxta cap. *Ut Commissi.* de hæret. lib. 6. Et contra eos, qui cum alibi deliquerint, in suâ provinciâ nunc morantur. Quæ omnia sancivit Concilium Narbonense, capp. 19, 20, 21. *Si qui verò culpabiles, vel suspecti, ad vestram pertinentes inquisitionem, præsentes nec sint, nec fuerint, & infra competentem terminum, eisdem à vobis peremptoriè assignatum, & per Ecclesias publicatum, non curaverint comparere, vel se legitimè excusare, contra eos tanquam contra præsentes non dubiè procedatis. Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel infra ejusdem Inquisitionis limites deliquerunt, vel domicilium ibi habent, seu habebant, quando inquisitio cœpta fuit; vel cum ibi morarentur occasione officii cujuscunque publici, seu privati, vel certum domicilium non habentes ibidem inventi, citati fuerint à vobis, sive*

illis

illis per quamcunque cautionem adstrictis, sive non, inquisitionem contra eos facere incepistis, vel eis purgationem forsitan indixistis. Si quidem contra tales præsentes vel absentes potestis procedere, ac debetis: nisi forte ratione delicti majoris seu minoris, commissi alibi, vel ratione domicilii, vel aliâ de prædictis, Inquisitores alii procedere inceperint contra illos. Etenim cum in locis diversis, & per Inquisitores diversos, Deo autore, Inquisitio celebretur, tutius & salubrius est, ut quisque culpabilis in quibuscunque locis deliquerit, uni & illi Inquisitori permaneat obligatus, à quo primò ex aliquâ de causis præscriptis, sine fraude, & sine periculo negotii & animarum fuerit occupatus. Ita tamen, ut Inquisitores cæteri, quidquid de illo nosse poterunt, inquirant nihilominus, & scribant Inquisitoribus illis, quibus idem culpabilis sit adstrictus: sic enim quasi vir unus pugnabitis, & vincetis. Et postremum hoc etiam præscribsit Instructio Valadolitana a. 1488. cap. 8.

Similiter quando aliorum testimonio indigent, possunt etiam testes ex aliâ diœcesi evocare, & ad suam transferre, non obstante constitutione de duabus diëtis, editâ in Concilio generali. Prudenter tamen hoc fieri debere monent: nam egregiæ personæ non facilè trahendæ sunt, sed ita cum illis agendum est, ut rogari potius quam compelli videantur; & ne imperium Inquisitorum recusent, urbanius & modestius esse ajunt, ut vel judices ad eos eant, vel certè alios mittant, qui depositiones earum recipiant. Idem observari volunt circa viros illustres, moniales, & alias honestas fœminas. Quantâ autem urbanitate & modestiâ erga singulos utendum sit, & quid fieri magis causis fidei expediat, ex dignitate, auctoritate, honestate, aliisque testium qualitatibus Inquisitor constituere debet. Quam insolenter verò Inquisitores nonnunquam potestate hac abutantur, illustre dederunt documentum in Joannâ, Caroli V. Imperatoris filiâ, quam coram suo tribunali vocaverunt Inquisitores, ut coram ipsis de nonnullis fidem tangentibus contra quemdam interrogaretur. Et ipse Imperator Carolus V. adeò potestatem hanc veritus est, ut filiæ suæ jusserit, ne rem protelaret, sed nullâ interpositâ morâ deponeret, ne excommunicationem incurreret, tam contra alios, quam contra se, si se etiam in minimâ re culpabilem sensisset, statimque Serenissima Joanna deposuit coram Archiepiscopo Hispalensi Fernando Valdez tunc Generali Inquisitore. *Ludov. Paramus de Orig. S. Inquis. lib. 3. qu. 5. n. 23. & seqq. & n.* 40. Quod si Episcopus aut Inquisitor evocet testes de diœcesi alterius, non tenetur tamen mittere processum ad Episcopum, è cujus diœcesi testis ille evocatur, nec id fieri justè peteret ille Episcopus, imò tenetur & debet mittere testes inspectis literis Episcopi requirentis, ac dicentis sibi opus esse hoc vel illo teste, cujus in causâ fidei testimonio indiget. Ac mittendus quidem est testis requisitus, & curandum omninò, si fieri potest, ne intelligat se vocari ut in causâ fidei contra aliquem testetur; ne forte rem detegat, & causæ obsit: nisi aliquâ ex causâ aliter fieri oporteret, cognitâ probitate & fidelitate testis evocati.

Direct. p. 3. Comm. 123. Simanc. tit. 64. § 13.

Hoc sæculo Inquisitio Hispana sub specioso pretextu etiam in aliorum regum subditos jurisdictionem suam extendere conata est. Juxta conventa ac pacta inter Regem Hispaniæ & Regem Angliæ, concessum fuit Anglis (quos Hispani hæreticos vocant) commercii ac negotiationis causâ ad Catholicorum terras se transferre, eâ lege & conditione, ut in iis quæ ad fidem & religionem spectant non molestentur, nisi dato scandalo, & tunc ratione illius, prout juris fuerit, puniantur. Disquirit Antonius de Sousa, supremi Inquisitionis Lusitanæ tribunalis Consiliarius, quando Inquisitores contra illos procedere debeant: multasque adhibet circa ejusmodi hæreticos (uti vocant) limitationes, ut eos penitus Inquisitorum potestati subjiciat.

Aphor. Inquis. L. 1. c. 31.

„Ac primo quidem, quod conditio illa, quod hæretici non possunt interro„gari de fide, nisi ratione scandali, si solius Regis autoritate fulciatur, nullum „habeat effectum; sed integrum relinquatur Inquisitoribus contra illos proce„dere, prout juris fuerit: quia circa ecclesiastica negotia & ad fidem spectan„tia non extenditur jurisdictio laica: ac proinde, nisi illa conditio à Papâ con-

„firmata sit, simul atque constat aliquem esse hæreticum, possint Inquisitores „contra illum procedere, sive in eorum districto hæresim suam manifestaverit, „sive in alio; quia hæreticus ubique peccat, & ubique capi & puniri potest. „Et hoc casu, si hæreticus habet instructionem, cogendum ait ad servandam fi„dem: si verò instructus non erat, obligandum ad sumendam instructionem; „quam si acceptare noluerit, ut hæreticum esse puniendum.

„Si verò conditio hæc à Papâ approbata fuerit, possunt Inquisitores contra „hæreticos scandalum dantes procedere, & juxta scandali qualitatem pœnam „imponere. Ac primò quidem ait, probabile esse, posse Inquisitores interro„gare de fide, ac obligare hæreticos dantes scandalum, ad sumendam instru„ctionem; vel si erant instructi, ad relinquendam hæresim. Quia per delictum „cessat conditio, & tollitur impedimentum, manentque prædicti hæretici in „terminis juris. Verum ut huc usque procedant Inquisitores, plenè probare „debent hæreticos dedisse scandalum: cum datio scandali sit conditio conferens „jurisdictionem. Probabilius tamen censet, etiam probato scandalo, non posse „Inquisitores hæreticos istos punire nisi ob scandalum, non verò ob hæresin: „quia hoc videtur exceptum ratione conditionis à Papâ approbatæ; nec deli„ctum scandali confert jurisdictionem in aliud delictum exceptum.

„Quod verò scandalum attinet, non tantum qui in ipsâ Hispaniâ, sed etiam „qui per mare Hispaniæ navigans alicui Catholico scandalum dedit, puniri „posse docet, perinde ac si tale scandalum in terris dedisset; non autem si in „suâ patriâ, aut alibi, extra tamen terminos Hispaniarum, scandalum dedit.

„Si autem aliquis ex prædictis hæreticis ante contractum commercii delatus „fuit ad Inquisitores de actu hæreticali externo, & post contractum in Hispa„niam veniat, eo contractu non obstante potest apprehendi, & obligari ad re„cipiendam fidem. Cum Inquisitores per denuntiationem præcedentem habeant „jus acquisitum contra talem hæreticum, quod jus per contractum non tollitur. „Qui in Angliam ex Hispaniâ domicilium mutavit, ut Inquisitorum judicium „fugeret, quamvis ante contractum delatus non fuerit, sed post contractum, de „actu hæreticali ante commisso, non gaudet conditionibus dicti fœderis: quia „fraus non debet ei patrocinari.

Scandala autem ob quæ ejusmodi hæreticus puniri potest, hæc enumerat: „quod rationibus, persuasionibus, vel aliâ viâ persuadere intentat viro Catho„lico suam sectam, seu errorem aliquem contra fidem, aut ipsum à doctrinâ „Catholicâ & puritate fidei revocare conatur: Quod sacramenta profanavit, „vel ipsis, aut sacris imaginibus injuriam facit, ad præsentiam Eucharistiæ non „assurgit, vel cooperto capite incedit, & his similia facit.

„Pœna talibus imponenda ratione scandali arbitraria est, major vel minor, „secundum scandali qualitatem. Quod si fuerit nimis atrox, relaxari possunt „curiæ sæculari. Non quidem eis abjuratio illa indicenda est, quæ secundum „jus hæreticis vel suspectis indicitur; cum nec de hæresi solum judicentur su„specti, nec ad fidem Catholicam redeant: Attamen cogi possunt ad jurandum, „quod dum fuerint in eo regno, aut in partibus illi subjectis, nec illam, nec „aliam culpam contra fidem Catholicam committent.

Ex hac Antonii de Sousa doctrinâ facilè colligi potest, quid ejusmodi Angliæ, aut aliorum Regnorum ac Statuum subditis, si ex Inquisitorum arbitrio omnia administrentur, exspectandum sit, & quam minimè tutum in talibus contractibus ipsis contra Inquisitorum violentiam præsidium sit, nisi regis sui autoritate, quæ Inquisitorum molimina cohibeat, protegantur.

CA-

CAPUT XV.

De Potestate Inquisitorum.

UT Inquisitor sine ullo impedimento officio suo fungi possit, potestas ipsi data est, cogendi civitatum rectores, ad jurandum de defendendâ Ecclesiâ contra hæreticos; juxta cap. *Ad abolendam.* § *Statuimus.* de hæret. *Statuimus insuper, ut Comites, Barones, Rectores & Consules civitatum & aliorum locorum, juxta commonitionem Episcoporum, præstito corporaliter juramento promittant, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices, adjuvabunt bonâ fide juxta officium & posse suum. Si verò id observare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, & ad alios nullatenus assumantur, eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ supponendis. Civitas autem, quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio civitatum, & episcopali se noverit dignitate privandam.* Et cap. *Ut officium.* § *Statuimus.* de hæret. lib. 6. *Statuimus insuper, ut Potestas, Capitaneus, seu Rector, vel Consules, seu quivis alii, qui civitati præsunt, vel loco alteri ad præsens, aut præerunt in futurum, ad requisitionem Diœcesanorum, vel Vicariorum suorum, seu Inquisitorum hæreticæ pravitatis, jurent præcisè attendere inviolabiliter & observare, ac facere à suis subditis observari toto tempore sui regiminis, in terris suæ jurisdictioni regiminive subjectis, Constitutiones contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, ipsorumque filios & nepotes à sede Apostolicâ promulgatas, ac etiam approbatas; quas qui jurare noluerit & servare, ut infamis, & tanquam hæreticorum fautor, ac de fide suspectus, officio & honore sui regiminis spolietur; nec ulterius Potestas, Capitaneus, Consul, vel Rector habeatur in aliquo, aut de cætero in aliquam dignitatem, vel officium publicum ulterius assumatur: quæ ut Potestas, Ballivus, Consul vel Rector fecerit, nullam obtineant firmitatem.* Direct. 3 part. qu. 32.

Cui alterum juramentum connexum est, ad quod dominos temporales, perpetuam vel temporalem jurisdictionem habentes, compellere potest, de hæreticis per Ecclesiam denotatis pro viribus à terris suis exstirpandis. Qu. 33. Juxta cap. *Excommunicamus itaque.* de hæret. §. *Moneantur. Moneantur autem & inducantur, &, si necesse fuerit, per Ecclesiam compellantur seculares potestates, quibuscunqe funguntur officiis, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod à modò quandocunque quis fuerit in Potestatem, sive perpetuam sive temporalem, assumtus, hoc teneatur capitulum juramento firmare.* Idem etiam definivit Concilium Biterrense. cap. 32. *Adjecto in juramento Comitum, Baronum, Rectorum, & Consulum ac Baillivorum civitatum, ac aliorum locorum, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerit requisitum, Ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt, juxta officium & posse suum, & de terris suæ jurisdictioni subjectis bonâ fide pro viribus exterminare studebunt universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos.* 3 part. Com. 4. Et Concilium Tholosanum cap. 16. *Inhibemus etiam, ne Prælati, Barones, milites, seu quicumque Domini terrarum, hæreticis, vel credentibus eorum, Baillivias seu administrationes suarum terrarum committant. Sed nec eos, aut etiam aliquos diffamatos de hæresi, vel quos credunt de hoc esse suspectos, in suâ familia, vel suo consilio, habere, vel retinere præsumant.* Tandem & Concilium Biterrense cap. 28. mandat, ne hæretici *baillivias seu administrationes teneant, nec sint in consiliis vel familiis potentum*, &c. Et notat hic Pegna, in Concilio Toletano VI. quod habitum fuit æra 686. cap. 3. legi de regibus Hispaniæ, *ut cum sortiti fuerint regni apicem, non ante conscendant regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta polliciti fuerint, se non permissuros habitare in regno suo eos, qui non fuerint Catholici. Quod utinam*, inquit, *nunc ubique & in usum revocaretur, & inviolabiliter custodiretur!*

Potest

Qu. 33. Potest etiam Inquisitor cogere dominos temporales, ad revocandum statuta impedientia officium Inquisitionis; juxta cap. *Statutum.* de hæret. lib. 6. *Statutum civitatis, castri, villæ, vel alterius loci, per quod negotium Inquisitionis hæreticæ pravitatis, directè vel indirectè (ne in eo liberè procedi valeat) contigerit impediri, vel quomodolibet retardari, nullius existere valoris: Ipsiusque civitatis vel loci Dominum, Potestatem, Capitaneum, Consules, vel Rectores, per quem vel quos eadem civitas seu locus regitur, quocunque nomine censeantur, ad statutum hujusmodi loci Diœcesano, vel ejus Vicario, aut Inquisitori, seu Inquisitoribus labis præfatæ sine moræ dispendio exhibendum; & si tale inventum fuerit, revocandum omninò, vel saltem eatenus moderandum, quod per illud Inquisitionis processus non impediantur, vel aliquatenus retardentur, per censuram ecclesiasticam decernimus compellendos.*

p. 3. Comm. 1. Quin & expressè mandatum est Magistratibus sæcularibus, hæreticos ad denuntiationem Inquisitorum capere, ac custodire, & quocunque jusserint, ducere. Cap. *Ut Inquisitionis.* de hæret. lib. 6. *Ut Inquisitionis negotium contra hæreticam pravitatem, ad Dei gloriam & augmentum fidei nostris temporibus prosperetur, leges quasdam per Fredericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romanæ persistentem Ecclesiæ promulgatas (quatenus Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promovent, & hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis Canonicis non obsistunt) approbantes & observari volentes; universas seculi Potestates & Dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus censeantur, requirimus & monemus, ut, sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei Diœcesanis Episcopis & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, à sede Apostolica deputatis, aut in posterum deputandis, pareant, & intendant hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodiâ diligenti, cum ab eis fuerint requisiti: & ut præfatas personas in potestatem seu carcerem Episcoporum, aut Inquisitorum dictorum, vel ad locum, de quo ipsi vel aliqui ex eis mandaverint, intra eorumdem Dominorum potestatem, vel Rectorum districtum ducant, vel duci faciant, sine mora; ubi per viros Catholicos à præfatis Episcopis, seu Inquisitoribus, vel eorum aliquo deputatos, sub arctâ & diligenti custodia teneantur, donec eorum negotium per Ecclesiæ judicium terminetur.* Lex autem Frederici Imperatoris quæ hic respicitur, incipit, *Commissi nobis.* cujus § tertius ita sonat: *Prætereà quicunque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis imperii, per Inquisitores ab Apostolica sede datos, & alios orthodoxos fidei relatores, hi qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad Inquisitorum & aliorum Catholicorum virorum insinuationem, eos capere teneantur; & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam condemnatos damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant.* Similiter & Innocentius IV. in rescripto incipiente, *Ad Exstirpanda. præcipit. Teneatur autem Potestas, seu Rector quilibet, in expensis communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocunque Diœcesanus, vel Vicarii in jurisdictione, vel districtu diœcesani Episcopi seu civitatis, vel loci, voluerit illos duci.* Quæ verba etiam Inquisitores respicere, initium & series ejus rescripti indicant, declaravitque etiam Clemens IV. alio rescripto, incipiente. *Ad exstirpanda.*

Ac tandem universis præsidibus, tam Ecclesiasticis quam sæcularibus, Inquisitores benignè recipere, & contra hæreticorum incursiones defendere, mandatum est à Frederico Imperatore eadem lege § 10. *Ad hoc notum fieri volumus fratres Prædicatores de Ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperii nostri contra hæreticos deputatos; cæteros quoque, qui ad hæreticos judicandos accesserint, & venerint, nisi alioqui eorum ab imperio sint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostrâ & imperiali defensione speciali recipimus: & quod apud omnes sub ope & recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos: universitati vestræ mandantes, quatenus quocunque, & apud quemcunque vestrum pervenerint, benignè recipiatis eosdem; & personas ab incursu hæreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis.*

Com. 3. Possunt etiam Inquisitores à Magistratibus exigere juramentum, de observandis

dis non tantum Friderici Imperatoris legibus contra hæreticos, sed & quibuslibet aliis statutis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus: uti constat ex duobus rescriptis Innocentii IV. incipientibus, *Orthodoxæ fidei.* Idem etiam nominatim decrevit Concilium Biterrense, cap. 31. *Ut autem adjuvante Domino hæresis melius extirpetur, & citius, fidesque plantetur in terrâ, statuta & jura per Sedem Apostolicam ejusque Legatos, ac Principes, super his edita, faciatis plenissimè observari.*

Cum multæ quotidiè in pœnis hæreticorum & causis fidei oriantur dubitationes, quæ non sunt plenè & apertè per leges declaratæ, propterea ne foret necesse in singulis dubiis Romanum Pontificem consulere, Innocentius IV. rescripto incipiente, *Cum negotium.* & Alexander IV. rescripto incipiente, *Præ cunctis.* Inquisitoribus dederunt liberam potestatem, statuta ecclesiastica & sæcularia contra hæreticos, credentes, fautores, &c. edita, quoties in iis apparuerit aliquid ambiguum aut obscurum, interpretandi. Quæ sanè ampla admodum potestas est. Hæc etiam Inquisitoribus conceditur 1 *Instruct. Hispal. cap.* 28. Direct. part. 3. qu. 85. comm. 124.

Observat autem hic Simancas, Inquisitorum arbitrio leviora tantum relicta „esse, & illa etiam, quæ legibus comprehendere impossibile est: Graviora au- „tem negotia legibus non comprehensa arbitrio suo definire non posse, sed de „illis Inquisitorem Generalem & Senatum consulere debere: Addit; quod nec „in rebus quæ arbitrio eorum relinquuntur pro voluntate aut libidine, sed se- „cundum jura & leges judicare queant; neque suam ipsorum conscientiam sequi „possint; nisi legibus undique sit informata. Camillus Campegius verò in „Zanchinum, putat omnia, quæ jura non ita clarè exhibent, Inquisitoris decla- „rationi seu interpretationi relinqui: quæcunque itaque obscura vel ambigua sunt, „per Inquisitorem exponi ac declarari posse: ac proinde, quicquid à jure deter- „minatum non est, judicantis arbitrio commissum videri. Antonius de Sousa verò etiam ampliorem Inquisitoribus tribuit potestatem, quod non tantum leges & statuta, si dubium aliquod occurrat, possent interpretari, sed & quod possint, „occurrentibus æquè probabilibus opinionibus in jure, quam maluerint eligere; „imò, cessante scandalo, nunc secundum unam, nunc secundum aliam judica- „re. Additque, probabilius esse, non posse Inquisitorem sequi minus probabi- „lem opinionem, nisi forte sit magis praxi recepta, & ipse rectè noverit, re- „vocandam esse ejus sententiam à supremo Senatu. Tit. 34. § 34, 35. cap. 17. Aphor. Inquisf. l. 2. c. 1. § 11, 12.

Ad tuitionem suæ personæ & familiæ, & ad capiendum hæreticos, receptatores, fautores, &c. Inquisitoribus concessum est jam ab initio delegatæ Inquisitionis, ut possint habere Officiales, & familiam armatam, ipsisque concedere licentiam gestandi arma. Quoniam verò sæpe contingit, ut sub velamine privilegii abusus sese insinuent, nisi prudenter privilegium usurpetur, ideo Clemens V. in Concilio Viennensi circa annum Domini 1310 idem privilegium Inquisitoribus confirmavit: abusum tamen, qui irrepserat, abstulit. Cap. *Nolentes.* in Clement. § *porro. Porro Inquisitoribus ipsis districtius inhibemus, ut nec abutantur quomodolibet concessione portationis armorum, nec Officiales nisi sibi necessarios habeant tales, qui se conferant ad sua cum Inquisitoribus ipsis officia exequenda.* Jam hoc privilegium ita competit Inquisitoribus favore fidei, & in odium hæreticæ pravitatis, ut eorum Officiales (quos vulgus in Italia *Crucesignatos*, in Hispaniâ *Familiares* appellat, qui destinati sunt ex Officii sacri instituto vel ad denuntiandos vel ad capiendos hæreticos, vel ad comitandum Inquisitorem, si & quando ab ipso fuerint requisiti) portare possint arma de die & de nocte: idque non obstante quacunque lege civili vel municipali in contrarium editâ vel edendâ: imò quicunque legem conderet, quâ prohiberentur Officiales Inquisitorum arma ferre, velut impeditor sacri Officii puniri posset. Si non sufficiat familia Inquisitoris, brachii sæcularis auxilium invocare potest; juxta c. *Ut officium.* § *denique. Denique ut circa præmissa plenè vobis & singulis vestrum coercitionis expedita & inviolabilis adsit auctoritas, volumus, ut ea omnia utiliter exequamini (si opus fuerit) invocato auxilio brachii sæcularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postpositâ compescendo.* Qu. 56. Com 105. Qu. 57.

Sima. tit. 34. § 28. Possunt quoque Inquisitores punire illos, qui factis aut verbis ausi fuerint ipsis injuriam facere; ac tantò quidem id magis, quantò sanctius & venerabilius esse debere putant eorum officium, quam aliorum omnium judicum.

Possunt cogere quemcunque testem, etiamsi sit persona egregia, ut coram eis se sistat, & in causâ fidei Catholicæ testimonium perhibeat. Hoc autem ita explicat Camillus Campegius in Zanchinum *cap.* 13. d. quod Inquisitor testes „ possit cogere, ad testimonium dicendum, quando testibus nullum exinde periculum imminet: si verò illis periculum immineat, testes cogendi non sunt. „ Potest etiam judex ad comparendum compellere, formando contra eos processum, quod pecuniâ ab inquisito corrupti comparere recusant, ne testificentur. Quod ubi ipsi perceperint, mox venient, ne falsò damnentur. Potest etiam comparere renuentes judex citare, & contra eos procedere. Quod „ si nec tunc comparuerint, habebit eos ut falsos: Quin & contumaci potest judex pœnam confiscationis bonorum indicere. Hæc sunt diversorum Doctorum, quorum dicta Campegius allegat, judicia.

Carena part. 3. tit. 7. § 1. n. 7. Extra hunc casum Inquisitores testes cogere possunt ad testimonium dicendum, comminatione pœnæ pecuniariæ, etiam captis pignoribus, excommunicatione, & torturâ: narratque Carena in supremâ Inquisitione Romanâ quendam per torturam coactum ad præstandum juramentum, quod recusaverat.

Direct. qu. 39. Si Advocati aut Notarii hæreticis aut eorum fautoribus aliquid præstent patrocinium aut juvamen, contra eos Inquisitores procedere possunt. cap. *Si adversus nos.* de hæret. & infra. *Quia plus timeri solet quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur, vobis advocatis & scriniariis firmiter inhibemus, ne hæreticis, credentibus, fautoribus vel defensoribus eorumdem in aliquo præstetis auxilium, consilium, vel favorem; nec eis in causis, vel in factis, vel aliquibus litigantibus sub eorum examine vestrum patrocinium præbeatis, & pro ipsis publica instrumenta vel scripta facere ullatenus attentetis. Quod si contra præsumseritis, ab officio vestro suspensos perpetuæ vos decernimus infamiæ subjacere.*

Possunt etiam iis qui processus habent, aut quælibet alia instrumenta facta contra hæreticos, mandare, ut ea sibi tradant: cap. *Ut commissi vobis.* de hæret. lib. 6. *Nec non faciendi à quibuslibet assignari vobis libros, seu quaternos, & alia scripta, in quibus Inquisitiones factæ ac processus per quoscunque autoritate Sedis Apostolicæ*
Com. 88. *vel Legatorum ejus habiti contra hæreticos continentur.* Idemque sancivit Alexander IV. rescripto quodam, incipiente *Cupientes*, misso Fratribus Prædicatoribus Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Lombardiâ & Marchiâ Januensi: *Cupientes ut Inquisitionis negotium contra hæreticam pravitatem sollicitudini vestræ commissum, ad Dei gloriam & augmentum fidei Catholicæ, in vestris manibus fæliciter prosperetur, compellendi appellatione remotâ per censuram ecclesiasticam per vos, vel per alios, quos ad hoc idoneos vos vel alter vestrum duxeritis eligendos, omnes illos qui scripta, vel instrumenta Inquisitionis, vel ad ejus officium pertinentia, per quoscunque hactenus factæ, ac etiam faciendæ contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, seu defensores eorum habent vel habuerint, ut ea sine cujuslibet difficultatis seu dilationis dispendio, vobis vel alteri vestrùm exhibeant, &c. autoritate præsentium vobis & cuilibet vestrum concedimus facultatem.*

Ex hoc rescripto inferunt, in causâ hæresis teneri reum edere contra se Fiscali agenti propria instrumenta, ad intentionem suam & accusationem fundandam: quamvis regulariter de jure sit contrarium statutum: & non tantum contra se, sed & cum Fiscalis agit contra quemcunque alium: quod licet forte in aliis locum non habeat, hic tamen favore fidei locum habet. Si itaque Titius captus pro hæresi librum hæreticorum, aut quid simile, dedisse dicatur Sempronio, compellendus est Sempronius id non modò contra se, sed & contra Titium edere. Et quod de libris ac scripturis dicitur extendunt ad omnia, quæ ad inveniendam veritatem juvare possunt, quæ omnia favore fidei exhibenda sunt.

Ad

Ad potestatem Inquisitorum etiam pertinet Excommunicatio, cujus infligendæ ampla admodum ipsis concessa est potestas, quoniam excommunicatio ipsorum gravior est aliis, & quidem quadruplici potissimum respectu. Primò; quia quidam excommunicati ab eis debent banniri, id est, edicto publico proclamario. Secundò: eorum bona debent confiscari: & ad utrumque possunt Inquisitores cogere Potestates & alios Rectores. Hoc liquet ex privilegio Innocentii IV. quod incipit, *Cum Fratres Prædicatores.* in quo scribit Baronibus, & aliis Dominis & Rectoribus & Communitatibus civitatum, dicens: *Universitatem vestram rogandam, hortandam, attentè duximus commonendam, per Apostolica scripta vobis districtè præcipiendo, mandantes quatenus omnes illos, qui per Inquisitores eosdem, vel alios de ipsorum mandato pro hæreseos crimine, vel pro defensione, seu receptatione, aut favore hæreticorum excommunicationis innodati vinculo vel denuntiati excommunicati publicè fuerint, bonis confiscatis ipsorum banno publico exponatis.* Tertiò: quia per Inquisitores excommunicati, & per annum in excommunicatione persistentes animo pertinaci, debent tanquam hæretici judicari, & pœnis subjici contra hæreticos promulgatis: ut patet ex lege Frederici, quæ incipit, *Patarenorum*, & passim variis in legibus. Quartò. Quia possunt excommunicare majore excommunicatione participantes cum excommunicatis quibusdam ab eis, scil. hæreticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus. Sic Innocentius IV. & Alexander IV. in bullâ, cujus initium, *Noverit universitas vestra.* ajunt; *Si qui autem tales, postquam ab Ecclesiâ fuerunt denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententiâ percellantur, aliàs animadversione debitâ puniendi.* Calder. de modo proced. contra hær. f. 411.

Habent etiam autoritatem excommunicandi laicos disputantes de fide, publicè vel privatim; nec non omnes qui non revelant hæreticos, per se, vel interpositam personam. Ut patet ex iisdem Pontificum literis.

Sed & magna olim fuit Inquisitorum potestas, quod sibi reservare potuerint auctoritatem addendi & diminuendi in pœnitentiis injunctis. Quæ potestas ipsis conceditur c. *Ut commissi.* de hæret. lib. VI. *Et illorum, qui vestris mandatis obedientes humiliter, stant propter hæresin in carcere vel muro reclusi, pœnam unà cum Prælatis, quorum jurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cum videritis expedire.* Etiam propter conversorum indevotionem, malitiam & contentionem, hoc est, si minus patienter ferant carceris tædia, & aliqua videantur esse indicia, quod se non per omnia ad nutum Inquisitorum accommodent, possunt Inquisitores pœnitentias injunctas aggravare. Sic Concilium Narbonense cautum voluit Inquisitoribus cap. VII. *Illâ semper retentione cautè adhibitâ, ut liceat vobis, seu aliis Inquisitoribus, seu quibus hoc Romana Ecclesia, vel illi cui ex officio competit, duxerit committendum, pro vestro & illorum arbitrio ac voluntate, injunctis pœnitentiis addere vel detrahere in causâ rationabili quandocunque.* Imò licet nulla nova accesserit causa, tamen Inquisitoribus potestas hæc data fuit à Concilio Biterrensi *cap.* XXII. *Ac semper vobis potestate retentâ, ut si videritis negotio fidei expedire, sine novâ etiam causâ possitis ad carcerem reducere supradictos.* Hinc etiam in libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ ordinariè Inquisitores hanc sibi potestatem reservant. Quando condemnatis gratias faciunt de crucibus gestandis, & ipsis eorum loco peregrinationes, visitationes Ecclesiarum, aliasque pœnitentias imponunt, addunt: *Retentâ nobis, & nostris in hoc officio successoribus potestate, addendi, diminuendi, & commutandi in prædictis, ac etiam cruces reponendi eisdem, si nobis vel successoribus nostris visum fuerit, etiam sine novâ causâ.* Quando educunt de muro, & pœnam carceris commutant in pœnam gestationis crucium, aliarumque, addunt: *Retenta nobis & nostrum cuilibet, ac nostris in officio Inquisitionis successoribus, plenaria potestate, personas superius nominatas, & quaslibet earumdem, reducendi seu revocandi ad murum prædictum, etiam sine alia nova causa: nec non addendi & diminuendi, mitigandi seu remittendi in prædictis, si & prout nobis, vel nostrum cuilibet, aut ipsis nostris successoribus, visum fuerit expedire.* Nec tantum in gratiis faciendis, sed etiam in sententiis pronuntiandis eam sibi potestatem reservant. Sic sententiis, quibus captivi con-

f. 85. b. f. 100.

condemnantur ad gestationem crucium, hæc ordinariè subjicitur cautela: *Retenta nobis & nostris successoribus in hoc officio potestate augendi, minuendi, mitigandi, commutandi, seu etiam remittendi prædictam pœnitentiam, sive pœnam.* Condemnationi verò ad murum cautela solet subjungi paulò amplior, & latius expressa: *Retinemus autem nobis, & nostris in hoc officio successoribus, plenam & liberam potestatem mitigandi, diminuendi, aggravandi, commutandi, vel etiam remittendi prædictam pœnitentiam sive pœnam; nec non sententiandi aliter aliquem vel aliquos de prædictis, si inventi fuerint malitiosè aliqua de facto hæresis suppressisse, seu aliquem innocentem involvisse in crimine hæresis memorato.* Imo licet per oblivionem hanc cautelam sententiis suis non adjecerint, tamen sentiunt Doctores, eam facultatem Inquisitori remansisse, & potuisse nihilominus pœnitentias injunctas aggravare, diminuere, remittere, ac commutare, per cap. mox citatum, *Ut Commissi.* de hæret. lib. VI.

J. Royas Assert. 48. part. 2.

Nunc verò in Hispaniâ Inquisitoribus hæc potestas concessa non est; Ibi namque ad solum Inquisitorem Generalem id dispensationis genus hodie pertinet; quia Inquisitores & Ordinarii jam functi fuerunt officio suo. *Instruct. Hispal. cap.* VII. *& Tolet. cap.* IX.

CAPUT XVI.

De Potestate Inquisitorum in prohibendis libris.

AD potestatem Inquisitorum spectat etiam prohibitio librorum. Verum ut distinctè explicetur, quæ & quanta potestas Inquisitoribus circa librorum prohibitionem demandata est, altius, & ab ipsâ, quantum fieri potest, origine tota hæc de librorum prohibitione materia exponenda est.

Primus, qui libros de religione prohibuisse legitur, fuit Antiochus Epiphanes, cujus ministri 1. *Machab.* I. 59, 60. dicuntur *libros Legis Dei combussisse igni, scindentes eos; & apud quemcunque inveniebantur libri testamenti Domini, & quicunque observabat legem Domini, secundum edictum Regis eum trucidasse.* Hunc excepit Diocletianus, crudelissimus fidei Christianæ persecutor: De quo Eusebius testatur *lib.* VIII. *c.* 2. quod edicto jusserit *sacros codices flammis absumi.* Imò eodem capite ait; *sacros divinarum Scripturarum libros in medio foro concremari oculis nostris vidimus.* Quin & præsides in omni provinciâ & singulis civitatibus oppidis atque vicis invigilabant, ut à Christianis sacri codices traderentur, eosque hoc non tantum urgebant, sed & additis tormentis crudeliter cogebant. Unde & *Traditores* appellati fuerunt, quotquot pœnarum atrocitate perterriti, quos apud se habebant Codices traderent.

Baron. a. 302. n. 22.

Hanc in libros hæreticorum (quos vocant) perinde uti in personas sæviendi consuetudinem ab Ethnicis haustam, in Ecclesiam traduxerunt Christiani, postquam summa rerum penes Christianos Imperatores esse cœpit. Constantinus, post finitam Synodum Nicænam Arii libros, in eâ condemnatos, constitutâ pœnâ mortis, igni tradi jussit. Socrates *hist. Eccl. lib.* I. *cap.* VI. Theodosius & Valentinianus eodem modo decernunt de Nestorio, ejus sectatoribus, & libris. l. *Damnato.* C. de hæret. Valentinianus & Martianus de Eutyche ejusque libris. l. *Quicunque.* § *Nulli.* & § *Omnes.* C. de hæret. Justinianus autem in descriptores librorum Antimi, à quintâ Synodo damnati, pœnam amputationis manus constituit. Et hic maximè notandum est, quod ait Conradus Brunus de hæreticis & schismaticis lib. VI. cap. VI. § II. *Vetustissimum quidem hunc in Ecclesiâ morem fuisse, ut damnatis hæresibus simul etiam eorum scripta corrumpantur, argumento est, quod de tot hæresibus, quarum aliquæ longo etiam tempore in Ecclesiâ durarunt, nulli libri usquam exstant, & multorum dogmata prorsus etiam incognita essent, nisi eorum memoria scriptis sanctorum Patrum, ea ipsa confutantium, conservata fuisset.*

Omnes

Omnes illæ contra hæreticorum libros leges conditæ sunt ab Imperatoribus, penes quos legislatoria in suo imperio est potestas. Verum post annum Christi octingentesimum Papa plures libros, tanquam hæresin docentes, damnare cœpit: Postquam verò sibi judicium de fide arrogavit, seque omnium fidei controversiarum judicem infallibilem agnosci voluit, sibi etiam omne judicium de libris, ac eos prohibendi potestatem arrogavit. Ex hac potestatis vindicatione enati sunt Indices illi Expurgatorii, quibus non tantum autorum, à Romanâ Ecclesiâ condemnatorum, libri prohibentur; sed & omnium, etiam maximè Romanensium, scripta censuræ subjiciuntur, & quicquid in illis Romanæ Ecclesiæ placitis adversum, aut non per omnia consentaneum reperitur, obelo transfigitur, & deleri jubetur; singulaque loca accuratè annotantur, ut nemo ignoret, quæ verba deleri velint; ita quidem, ut, si Papæ mandatum, prout indice illo exhibitum est, observetur, libros habituri non sumus prout ab autoribus sunt scripti, nec in iis autorum, sed Curiæ Romanæ sensum lecturi simus. Indices illi, quorum jam plures numero in lucem prodierunt, primum concinnati fuerunt ab Inquisitoribus Romanis, deinde autoritate Synodi Tridentinæ paucis demtis atque additis confirmati, quæ, ut refert Clemens VIII. in bullâ suâ XVII. Octob. 1595. aliquot viros delegit, qui de totâ re cognoscerent & „deliberarent: deinde verò, cum ii in negotio non parum progressi essent, ju„stis de causis eadem Synodus permota ad ipsam Apostolicam sedem integram „rem deferendam statuit. Itaque Pius Papa IV. Prælatis quibusdam, doctrinâ & „prudentiâ præstantibus, adhibitis, Indicem librorum prohibitorum, & regu„las quasdam, per suas literas in formâ Brevis, promulgavit. Ipse autem Pius IV. in bullâ suâ XXIV. Martii 1564. ait, ex ipsius Synodi decreto Indicem illum sibi esse oblatum, ut ne ante ederetur, quam ab ipso approbatus esset: Quare postquam jussu ipsius à doctissimis quibusdam ac probatissimis Prælatis examinatus esset, eum unà cum regulis ei præpositis approbavit, ab omnibus eum suscipi, easque regulas observari mandavit: hac adhibitâ severâ interminatione: *Inhibentes omnibus ac singulis, tam Ecclesiasticis personis, sæcularibus & regularibus, cujuscunque gradus, ordinis, & dignitatis sint, quam Laicis, quocunque honore ac dignitate præditis; ne quis contra earum regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem indicis, libros ullos legere, habereve audeat. Si quis autem adversus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujusvis autoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum, inquiri & procedi liceat; præter alias pœnas super hoc ab Apostolicâ Sede sacrisque Canonibus constitutas.* &c. Ita jussu Papæ Pii IV. prodiit Index librorum prohibitorum, anno 1564. Hic autem observandum est, quod Gretserus, in libr. *de jure & more prohibendi libr. nox. lib.* I. *cap.* XIX. „in principio, dicat: Index librorum prohibitorum excusus est in Italiâ Ponti„ficis autoritate anno Domini 1548. alius locupletior anno 1552. alius adhuc „copiosior anno 1554. alius anno 1559. Paulo IV. Pontifice, isque cæteris o„mnibus longè amplior. Hunc excepit, quem Pius IV. edidit, cujus nunc mentionem feci. Quia autem index ille aliquibus in locis ac provinciis non fuit „receptus, quod in eo quidam libri prohiberentur, quorum lectione viri docti „privati magno incommodo afficerentur, & in eo nonnulla parum explicatè es„sent posita, quæ interpretatione indigerunt, regulas quasdam composuerunt, „ut, quoad ejus fieri posset, dictorum hominum commodis & studiis, salvâ ve„ritate ac religione, prospiceretur. Hunc Sixtus V. jussit, multis ad regulas adjectis, augeri: sed re nondum absolutâ ab humanis excessit: quare eundem retineri jussit & ampliavit Clemens VIII. & auctum atque ampliatum, ac regulas quæ præmittuntur, confirmavit ac edi jussit, anno 1595. Harum regularum primâ „*libri omnes, quos ante annum* CIↃ IↃ XV. *aut summi Pontifices, aut* „*Concilia Oecumenica damnarunt, & in hoc indice non sunt, eodem modo damnati*

esse censentur, sicut olim damnati fuerunt. Regulâ vero quartâ S. Scripturæ lectio promiscua prohibetur, his verbis.

Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis autoribus versorum lectionem in vulgari linguâ eis concedere possint, quos intellexerunt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietas augmentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumserit, nisi prius Bibliis Ordinariis redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habenti Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant, aliisque pœnis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio subjaceant. Regulares verò non, nisi facultate à Prælatis suis habitâ, ea legere aut emere possint. Additur autem in eodem indice regulæ illi observatio hæc. *Animadvertendum est circa suprascriptam quartam regulam Indicis fel. rec. Pii Papæ* IV. *nullam per hanc impressionem & editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari linguâ edita; cum hactenus mandato & usu Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ, tam Novi quam Veteris Testamenti, partes, quavis vulgari linguâ editas; ac insuper summaria & compendia etiam historica eorundem Bibliorum seu librorum Sacræ Scripturæ, quocunque vulgari idiomate conscripta: quod quidem inviolatè servandum est.*

Regulâ tandem decimâ varia in librorum impressione observanda præscribuntur: ut Romæ nullus edatur liber, nisi prius per Vicarium Papæ & sacri Palatii Magistrum, vel personas à Papâ deputandas, examinetur: in aliis verò locis, nisi per Episcopum, vel aliquem ab Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis, sit approbatus, & approbatio eorum manu subscribatur. Qui manuscriptos libellos sine approbatione divulgant, iisdem quibus impressores pœnis subjiciuntur. Bibliopolarum officinæ sæpius visitari jubentur, & bibliopolis mandatur, ut omnium, quos vænales habent, librorum habeant indicem, nec alios habeant, vendant, aut aliquâ ratione alicui tradant sine licentiâ deputandorum, sub pœnâ amissionis librorum, & aliis arbitrio Episcoporum vel Inquisitorum imponendis: emptores verò, lectores, vel impressores, eorumdem arbitrio puniantur. Si quis in civitatem quandam libros introducat, iisdem personis deputandis id renuntiare debet; neque sine eorum licentiâ, & ostenso prius libro, alteri legendum tradere aut commodare potest.

Tandem in Instructione eorum, qui libris tum prohibendis, tum expurgangandis, tum etiam imprimendis, diligentem ac fidelem (ut par est) operam sunt daturi, cap. *de Impressione librorum*, § 6. hoc juramentum typographis & bibliopolis præscribitur: *Typographi & bibliopolæ coram Episcopo aut Inquisitore, & Romæ coram Magistro sacri Palatii, jurejurando spondeant, se munus suum Catholicè, sincerè, ac fideliter exequuturos, hujusque indicis decretis ac regulis, Episcoporumque & Inquisitorum edictis, quatenus eorum artes attingunt, obtemperaturos, neque ad suæ artis ministerium quemquam scienter admissuros, qui hæreticâ labe sit inquinatus.*

Postquam Index hic Tridentinus editus fuit, Rex Hispaniæ Philippus II. anno 1571. Antverpiæ in officinâ Christophori Plantini excudi jussit alium copiosiorem, hoc titulo: *Index expurgatorius librorum qui hoc sæculo prodierunt, vel doctrinæ non sanæ erroribus inspersis, vel inutilis & offensivæ maledicentiæ fellibus permixtis, juxta sacri Concilii Tridentini decretum: Philippi II. regis Catholici jussu & autoritate, atque Albani Ducis consilio ac ministerio in Belgio concinnatus anno* CIↃ IↃLXXI. Liber hic propriis regis Hispaniarum impensis ab ejus archi-
„ typographo Plantino excusus fuit: non quidem ut evulgaretur & distrahe-

„retur; sed ut iis tantummodò distribueretur, qui expurgationi (quam vocant) „librorum suspectorum essent præfecti. Additum erat severissimum mandatum „regis; ut hi ipsi censores privatim, nullisque consciis, apud se indicem hunc „haberent, & nec ipsum aliis communicarent, nec ejus exemplum ulli darent: „sed id tantum curarent diligentissimè, ut loca suspecta librorum, qui expur„gandi ipsis viderentur, inquirerent, expungerent & restituerent. Ita hic liber „per annos quindecim, instar mysteriorum quorundam, in censorum illorum bi„bliothecis occultatus latuit. Evenit autem circa annum CIↃIↃLXXXVI. singu„lari divinæ providentiæ munere, ut in manus Francisci Junii Index iste perve„nerit, publicique tandem juris fieret. Prout hæc omnia refert Joannes Pappus, in præfatione, quam Indicis hujus novæ editioni anno CIↃ IↃXCIX. Argentorati factæ præmisit.

Præter hunc alius in Hispaniâ editus est *Index expurgatorius, jussu DD. Gasparis Quiroga, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani Hispaniæ Generalis Inquisitoris, de Consilio supremi Senatus S. Generalis Inquisitionis*: ac typis mandatus Madriti, apud Alphonsum Gomezium regium typographum, anno CIↃ IↃLXXXIV. Hujus exemplar in direptione Gaditanâ, flammis & ruinis cum darentur cætera, ab Anglis funesto velut rogo est ereptum, & à Jacobo James ad nobilissimum Mornæum Plessiaci Dominum missum est; qui eum paulò post Salmurii excudi curavit, ipsum autem prototypum, ad facti fidem asserendam, asservavit. Exinde plures prodierunt Romæ & Neapoli librorum omnis generis expurgatorii Indices: Præsertim verò in Hispaniâ autoritate Bernardi de Sandoval Archiepiscopi Toletani & Inquisitoris Generalis, multò locupletior, ac tandem omnium locupletissimus, jussu Antonii à Sotomayor, supremi Præsidis, & in regnis Hispaniarum &c. Generalis Inquisitoris, de Consilio supremi Senatus Inquisitionis Generalis anno CIↃ IↃCXL. editus est; quem Genevenses anno CIↃ IↃCLXVII. recuderunt, juxta exemplar excusum Madriti ex typographæo Didaci Diaz. Huic multò plures sunt præfixæ regulæ: & Geneuensi editioni subjunctus est Index Decretorum, quæ vel à Magistro Sac. Palatii, cum ratione officii sui; tum jussu S. Congregationis, vel ab ipsis S. Congregationibus Indicis & S. Officii emanarunt, post prædictum Concilii Tridentini Indicem.

Quod regulas illi Indici præfixas attinet, earum summarium, quoniam liber hic in officinis facile haberi potest, hic non adscribam: priorum Indicum regulæ his explanantur & confirmantur. Solummodò ex regulâ V. adscribam, quæ in illâ ad majorem elucidationem regulæ IV. Indicis Tridentini, in quâ promiscua Bibliorum lectio prohibetur, addita sunt.

Prohibentur Biblia linguâ vulgari exstantia, cum omnibus earum particulis impressis aut manuscriptis, pariter summaria & compendia, quamvis historica, eorumdem Bibliorum aut librorum S. Scripturæ, idiomate aut lingua vulgari: non tamen clausulæ, sententiæ, aut Capita, quæ libris Catholicorum hæc explicantium & citantium inseruntur. Addendum est hoc monitum, in hac prohibitione comprehendi librum, qui vulgò vocatur Epistolarum & Evangeliorum, idiomate vulgari, quamvis habeat aliquando breves expositiones certis in partibus & Evangeliis: quandoquidem est magnâ ex parte & fere totus è textu sacro idiòmate vulgari: nempe ob periculum cui populus ignarus & vulgus subest erroris ex pravo intellectu, aliaque incommoda quæ experientiâ animadversa sunt. Ut autem vitentur scrupuli qui hic subnasci possunt, utque lector distinguat quod est idiomatis vulgaris, aut secus, declaratur non esse idioma vulgare, Hebraicum, Græcum, Latinum, Chaldaicum, Syriacum, Æthyopicum, Persicum & Arabicum; quod intelligitur de originalibus linguis, quæ hodiè in familiari sermone non adhibentur vulgò: ut lector advertat, omnes præter istas esse vulgares. Hanc regulam ideò ad verbum addendam duxi, ut Pontificiorum in prohibendâ S. Scripturæ lectione tyrannis, quam dissimulare, tegere, & quocunque fuco incrustare conantur, liquidò & ad oculum pateat.

Ex dictis constat, magnam, in Hispaniâ præsertim, Inquisitoribus in prohibendis libris, esse delatam potestatem; quoniam ipsi Indices Expurgatorii Inquisitionis jussu in regno Hispaniæ sunt adornati & editi. Quan-

Quanta autem ipsorum in prohibendis libris potestas sit, optimè nos docet Franciscus Pegna, Comment. XXII. in part. 2. Directorii Inquisitorum Nic. Eymerici: „ Possunt Episcopi & Inquisitores damnare & prohibere in suis Diœ-„ cesibus libros omnes, qui continent dogmata expressè condemnata per Eccle-„ siam, tametsi ab autoribus nominatim non condemnatis compositi sunt: Quo-„ niam quæ semel damnata sunt absque novâ condemnatione prohiberi possunt. „ Etiam libros de hæresi suspectos ob quamcunque hæreseos suspicionem, ta-„ metsi sint à Catholicis autoribus editi. Cum enim possint procedere adversus „ quosvis homines, saltem ad inquirendum, etiam ob leves, probabiles tamen, „ hæresis suspiciones; exinde infert, multò magis eos posse agere in libros su-„ spectos, eosque prohibere qui continent propositiones suspectas: Quia (uti „ ait) libri fortiores nervos habent ad nocendum, quam homines; cum qui eos „ legunt firmius eis insistant, quam qui homines loquentes audiunt: item, quia „ vivæ hæreticorum voces vix unam civitatem replere possunt; libri autem cum „ facilè hinc & inde transferantur, non modò unam civitatem, sed & regna & „ provincias inficiunt. Etiam libros continentes propositiones scandalosas, pe-„ riculosas, erroneas, hæresin sapientes, à fide Catholicâ quâvis ratione discre-„ pantes, & Christianæ pietati & bonis moribus non conformes: quod cavit „ Paulus III. rescripto quodam, incipiente, *In Apostolici culminis*. Idem dicendum „ de libris habentibus ancipites, dubias seu ambiguas propositiones, quæ dupli-„ cem sensum habere possunt, hæreticum unum, alterum Catholicum: Hi tam „ diu poterunt prohiberi ab Inquisitoribus, quamdiu non fuerint illæ ambiguæ „ propositiones declaratæ in sensu Catholico. In Indice porrò librorum prohi-„ bitorum in fine regulæ X. Episcopis & Inquisitoribus Generalibus potestas con-„ ceditur, eos etiam libros, qui in his regulis permitti videntur, prohibendi, „ si hoc in suis regnis, aut Provinciis vel Diœcesibus expedire judicaverint.

Senatus Venetus, sicuti in aliis suam autoritatem contra Inquisitionem tuetur, ita & hoc maximi momenti negotium Inquisitorum potestati minimè permissum voluit: Quoniam enim, uti benè observat Paulus Servita in Libello de Inquisitione Venetâ cap. XXIX. animadvertunt, Ecclesiasticos eò tendere, ut sibi potestatem arrogent, non tantum libros de religione, sed quâvis aliâ materiâ tractantes prohibendi, Principibusque potestatem adimant, in suo territorio nullum librum, ab ipsis approbatum, qualiscunque tandem sit, prohibendi; inde manifestè sequi videt, licet aliquem videat librum reipublicæ suæ noxium, non posse se impedire, si modò ab Ecclesiasticis sit approbatus, quin in territorium suum inferatur, ibique publicè prostet venalis: Quare totis viribus obstitit, ne ea potestas in Inquisitores transferatur, sed eam sibi reservatam voluit. Cum hac de re graves inter Papam & Senatum contentiones essent exortæ, anno CIↃIↃXCV. convenere à parte Papæ Cardinalis Nuntius, & Inquisitio, & à parte Senatus præcipui Senatores, qui re diu multumque integris quatuor mensibus agitatâ, tandem convenerunt, ut potestas prohibendi libros in territorio Veneto penes Inquisitores non esset, sed penes Senatum. Pacti hujus, admodum id urgentibus Romanis, tantum sexaginta excusa sunt exemplaria; eum in finem, ut paucis solummodò innotesceret: cum ab alterâ parte infiniti Indices librorum prohibitorum (in quibus prohibendi potestas solis ecclesiasticis tribuitur) ubique reperiantur: quo artificio hoc efficere conantur, ut pactum hoc paucis innotescat, & tandem sensim evanescat. Quare censet Paulus Servita, Senatui tantò magis contra has artes esse vigilandum.

Et reverâ satis ostenderunt Romanenses, se sibi solis librorum prohibitionem & approbationem vindicare, eamque potestatibus sæcularibus penitus velle ademptam, adeò ut nec illis potestatem concedant tales prohibendi libros, quos imperio suo noxios, & ad seditionem excitandam comparatos esse vident. Exemplum illustre habemus in Cardinale Baronio; sed & ab alterâ parte in Rege Hispaniæ, licet Inquisitionis jugo ac servituti subjecto, illustre vindicatæ regiæ Ma-

majestatis documentum. Baronius initio anni CIϽIϽCV. in lucem emisit undecimum Annalium Ecclesiasticorum volumen, in quo volumine prolixum inseruit discursum de Monarchiâ Siciliæ, cui plurima immiscet contra famam multorum Aragoniæ regum, & nominatim, contra regem Ferdinandum, aliosque majores Regis Siciliæ (qui est Rex Hispaniæ) tunc regnum obtinentis. Liber hic, quamprimum Neapolin ac Mediolanum advectus fuit, à regiis ministris prohibitus est, tanquam regi suo manifestè injurius. Simul ac prohibitionis hujus fama Romam pervenit, Baronius Concilium Cardinalium (Sede Clementis VIII. morte vacante) convocavit, & acerbè contra ministros regios invectus est, qui libri sui prohibitione manus ecclesiasticæ autoritati admovere ausi essent. Mox Paulo V. Papa creato die XIII. ejusdem anni longam ad Hispaniæ regem scripsit epistolam, in quâ inter alia asserit; solius Papæ esse, qualescunque libros improbare, vel approbare, & præcipuè ecclesiasticos; gravissimeque conqueritur, ministros regios in Italiâ suum librum prohibuisse, in vilipendium & contemtum ecclesiasticæ autoritatis: Rex Cardinali nihil respondit, sed ministrorum suorum edictum tacitâ approbatione ratum habuit. Cardinalis annô CIϽIϽCVII. duodecimum Annalium suorum volumen in lucem emittens, temperare sibi non potuit, quin factum hoc regiorum ministrorum, integro discursu traduceret, admodumque in eos inveheretur. *Hæc antiquo Ecclesiæ usu comprobata, & Catholicæ fidei autoritate recepta, idcircò hic vehementius inculcamus, quod dictu nefas, horrendum factu, infelicissimis nostris temporibus probata à Romano Pontifice scripta ministri regii redigere audeant sub censuram, ut ea à librariis vendi non sinant, nisi ab ipsis impetrata licentiâ, quam etiam interdum pro arbitrio negent, atque prohibeant ne vendantur, cum videlicet ex illis arguantur iidem ipsi præter jus fasque aliquid perpetrare. At quidnam hoc est, nisi alteram clavium Petro à Christo collatarum, quæ scientiæ dicitur, è manibus ejus successoris extortam, (quod nefas est dictu) à manu laicâ ac laicis usurpari principibus?* Senatus Hispanicus, more suo, tardè & maturo adhibito consilio procedens, integro triennio exspectavit: Ast anno CIϽIϽCX. Rex edicto promulgato librum eundem condemnavit ac prohibuit, Cardinalemque eâdem quâ ille ipsum & suos prædecessores, ratione impetiit. Utque illi decreto majorem conciliaret autoritatem publicè illud in Siciliâ promulgari jussit mandato Cardinalis Doria, qui illud subscriptione suâ confirmavit: estque id porrò in lucem emissum, & quaquaversum distractum ac divenditum. Turbata quidem fuit Curia Romana, eoque quidem potissimum nomine, quod Cardinalis jussu executioni mandatum esset: Nihilominus tamen Hispani decretum suum minimè revocarunt.

a. 1097. § 19. & seqq.

a. 1186. § 84.

Ita videmus Regem Hispaniæ suam quidem autoritatem, majorumque suorum famam vindicasse, quia de imperii jure agebatur: Verum unicus hic fuit casus, & quem, salvâ majestate suâ, vix negligere potuit. In reliquis verò Inquisitoribus libros prohibendi potestas concessa est, quæ quidem amplissima est, uti vidimus, in regnis Hispaniæ.

CAPUT XVII.

Quid Inquisitores soli possint, quid conjunctim cum Ordinariis agere debeant.

QUoniam judicium de hæresi, uti vidimus, & Ordinariis, seu Episcopis, & delegatis seu Inquisitoribus commissum est, videndum, quid singuli separatim possint, & ad quos actus utrique necessariò concurrere debent, adeò ut, nisi utriusque accedente consensu peragi nequeant.

Inquisitor sine Episcopo, & Episcopus sine Inquisitore, potest citare & arrestare, sive capere, ac tutæ custodiæ mancipare: ponendo etiam in compedibus seu manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum: nec non inquirere contra delatos: duro tamen sive arcto carceri tradere, qui magis ad pœnam quam

Eymer. part. 3. qu. 47.

ad custodiam videatur, vel tormentis exponere, vel inediâ cogere vinctos ad revelandam veritatem, quæ magni tormenti species est, vel ad sententiam contra eos procedere, alter sine altero non potest. Ut patet in cap. *Multorum.* in princ. de hæret. in Clement. *Propter quod ad Dei gloriam & augmentum ejusdem fidei, ut negotium Inquisitionis hujusmodi eò prosperetur felicius, quò deinceps ejusdem labis indago solennius, diligentius & cautius peragetur; ipsum tam per diœcesanos Episcopos, quam per Inquisitores à Sede Apostolicâ deputatos (omni carnali amore, odio, vel timore, ac cujuslibet commodi temporalis affectione semotis) decernimus exerceri: Sic quod quilibet de prædictis sine alio citare possit, & arrestare sive capere, aut tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus seu manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum: super quo ipsius conscientiam oneramus: Nec non inquirere contra illos, de quibus pro hujusmodi negotio secundum Deum & justitiam viderit expedire. Duro tamen tradere carceri sive arcto, qui magis ad pœnam quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo diœcesano, aut ejus Officiali, vel, Episcopali sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad invicem copiam habere valeant, intra octo dierum spatium, postquam se invicem requisierint, non valebit. Et si secus præsumtum fuerit, nullum sit & irritum ipso jure.* Similiter non potest Inquisitor sine Episcopo privare vel denuntiare privatos clericos hæreticos beneficiis & dignitatibus ecclesiasticis; nisi forte constaret legitimè, quod Diœcesani iisdem scienter hujusmodi beneficia contulissent: *tunc enim*, uti dicitur VI. Decret. de hæret. cap. *Ut commissi.* § ult. *eos in his requirendos non esse censemus, sed potius à suo judice puniendos.* Quicquid autem sit de jure antiquo, hodie aperta res est & clara ex Rescripto Pii V. incipiente, *Cum ex Apostolatus.* quod beneficia clericorum hæreticorum à die commissi criminis vacent, & dispositioni Sedis Apostolicæ reserventur: Unde liquet, quod etiam per Inquisitorem denuntiari possint, illis esse privati.

Pegna in Lucern. Inq. in voce Inquisitor.

Utrum Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo sententiam absolutoriam ferre possit, controvertitur inter Doctores: In Hispaniâ tamen usu receptum est, ut Inquisitores sine Episcopis absolvant. Carena part. I. tit. IV. § II. Verum si sit imponenda abjuratio utriusque consensus requiritur, juxta rescriptum Innocentii IV. incipiens, *Tunc potissimè. Si verò aliqui hæreticâ labe penitus abjuratâ redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ consultis Diœcesanis, eisdem beneficium absolutionis impendens, injungas eisdem quod injungi talibus consuevit.* Si tamen coram uno tantum abjuratio vel purgatio facta sit, valida censetur. Inde porrò eliciunt hoc consectarium: Si quis ut hæreticus, aut vehementer suspectus, coram altero tantum ex prædictis abjuraverit, & postea in hæresin incidisse deprehendatur, quod velut relapsus tradendus erit curiæ sæculari: nec poterit se tueri opponendo nullitatem seu invaliditatem abjurationis, ob id quia coram altero tantum ex prædictis facta fuerit.

Direct. part. 3. qu. 48. Com. 97.

Episcopus & Inquisitor possunt sibi mutuò vices suas committere, in his quæ neuter per se potest. cap. *Multorum.* mox citato. *Verum si Episcopus, vel ejus Capituli sede vacante delegatus, cum Inquisitore, aut Inquisitor cum altero eorumdem, propter præmissa nequeat, aut nolit personaliter convenire, possit Episcopus, vel ejus, seu Capituli, sede vacante, delegatus Inquisitori, & Inquisitor Episcopo vel ejus delegatus, super illis committere vices suas, vel suum significare per literas consilium & consensum.* Si simul convenire nolunt, debent unus alterum requirere, neque infra octo dierum spatium postquam se invicem requisierint unus ipsorum procedere potest. Uti in verbis mox citatis liquet.

Qu. 49. comm. 98.

Episcopus & Inquisitor procedere possunt autoritate delegatâ, & tunc pares sunt. Cum Episcopus procedit autoritate ordinariâ, & Inquisitor autoritate delegatâ, tunc Inquisitor est major. Si Episcopus & Inquisitor citant eundem ut coram ipsis se sistat, responsurus de fide, citatus coram utroque debet comparere, si diversa sint citationis tempora; si eadem, compareat coram Inquisitore: quia Inquisitores ad causas fidei specialiter delegati sunt; quò casu locus esset

Qu. 5.

Simanc. tit. 44. § 13.

esset gratificationi. In Hispaniâ tamen semper in his causis præferendi sunt Inquisitores. Processum Inquisitoris Episcopus impedire non potest. Direct. part. 3. qu. 50.

Quando Episcopus & Inquisitor dissentiunt, ad sententiam definitivam procedere nequeunt; sed eo in casu causam instructam ad Papam, aut ad supremum Inquisitionis tribunal remittere debent: Idque in Hispaniâ fieri debet, quoties in aliis, etiam non ita arduis, dissentiunt. Quod præscribit Instructio Com. 99. Madriliana an. 1561. cap. 66. *In omnibus casibus, in quibus contigerit suffragiorum discrepantia inter Inquisitores & Ordinarium, vel aliquem ipsorum, in definitione causæ, vel in quocunque alio actu, vel sententiâ interlocutoriâ, debet causa ad Senatum supremum Inquisitionis remitti. Quod si Episcopus & Inquisitores concordaverint, quamvis periti seu consultores dissentiant, etsi numero sint plures, sententia Episcopi & Inquisitorum executioni mandetur. Verum tamen in causis gravissimis non debent vota Inquisitorum, Ordinarii, & Consultorum executioni mandari, etiamsi fuerint conformia, inconsulto Senatu, sicut solitum est & jussum fieri.*

Quando Episcopus & Inquisitor divisim procedunt, ita ut duo fiant processus de eodem facto, unus per Episcopum, alter per Inquisitorem, debet communicatio processuum fieri. juxta c. *Per hoc.* § *Verum.* de hæret. lib. 6. *Verum ut dictum Inquisitionis negotium efficacius, melius, utiliusque procedat, concedimus, quod per Episcopos ipsos & per Inquisitores de facto eodem inquiri valeat communiter, vel Divisim: & si divisim processerint, teneantur sibi invicem communicare processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri: & nisi hoc casu Inquisitores in sententiæ prolatione Diœcesanis, vel è contra, duxerint deferendum, per utrosque simul sententia proferatur: in quâ ferendâ si non convenerint, per utrosque negotium sufficienter instructum ad Sedem Apostolicam remittatur.* Qu. 51.

Illa communicatio requiritur solummodò ut fiat in fine: per Extrav. Benedicti XI. *Ex eo.* ubi dicitur, *Quod quando utrique procedunt sejunctim, sibi debent in fine tantum, dum nil restat agendum, nisi quod solum sententia promulgetur, communicare processus.* & infra. *Unum sanè casum excipimus, si alter commodè non possit procedere nisi alterius actis visis: ex hac enim causa semel tantum (ut fraudi locus non fiat) in toto negotio copia tribuatur.* Qu. 53.

In Hispaniâ autem & Lusitaniâ soli Inquisitores formant processus, & capiunt reos in causis fidei; & Episcopi, si aliquas contra similes reos habent informationes, tenentur eas transmittere Inquisitoribus. An Inquisitores Hispani id habeant ex consuetudine legitimè præscriptâ, an ex privilegio Papæ, incertum est. Carena p. 1. tit. 4. § 21.

Hæc quidem observanda sunt, quatenus Ordinarius & Inquisitor simul ad judicium fidei concurrunt. Verum quoniam in Hispaniâ sæpissimè plures uno Inquisitores deputantur, videndum etiam quousque singuli seorsim procedere possint.

Quotiescunque igitur contingit, duos in eâdem provinciâ esse constitutos Inquisitores, ambo simul, & alter eorum separatim procedere contra hæreticos in totâ provinciâ sibi commissâ & jus dicere possunt in quâlibet ejus parte, & Executore absente possunt alium creare: quoniam habent jurisdictionem in solidum: Non tamen reus punietur ab omnibus, sed ab uno. Si verò contra aliquem à Papâ datus est specialis Inquisitor, non possunt Inquisitores Provinciarum & Diœcesum, qui quodammodo ut judices generales videntur universalem habere jurisdictionem, saltem ratione personarum, contra eum procedere, etiamsi jam procedere incepissent: quia suspensa censetur eorum jurisdictio per specialem commissionem à Papâ factam. Verum qui constitutus est Inquisitor specialis uti poterit omnibus actitatis & inventis ab aliis Inquisitoribus, quos, si necesse fuerit, poterit compellere ad exhibendum sibi omnes processus, scripturas, inquisitiones, testium depositiones, & cætera, quæ fortassis jam fuerunt contra reum per alios Inquisitores inventa. Quamvis modestius sit ut hoc faciat Superioris autoritate, quando specialiter in literis suæ commissionis non est ipsi hæc facultas tributa. Qu. 46. Comm. 95.

Simanc. tit. 34. § 37. Licet autem unusquisque Inquisitorum jurisdictionem habeat in solidum, non potest tamen alter sine altero procedere ad publicationem testimoniorum, neque ad copiam actorum reo dandam. Hoc autem tantum servandum est, cum ambo Inquisitores præsentes sunt; nam altero absente alter solus ea omnia potest, convocatis peritis, ubi opus fuerit: Uti habet IV. *Instruct. Tolet. cap* 1.

Idem tit. 44. § 79. Cum autem à diversis judicibus adversus eosdem hæreticos procedi possit, ille Inquisitor, qui prior procedere incepit, aliis in eâdem causâ præferendus est. Quamobrem Inquisitores aliarum Provinciarum ad illum qui prævenit mittere debent testimonia, & quicquid contra reos habuerint.

Idem tit. 34. § 20. Antiquior Inquisitor præferendus est, etiamsi translatus fuerit ab unâ Provinciâ in aliam; nisi forte antiquior privatus sit officio, & postea restitutus, vel sponte ad certum tempus Inquisitor esse desierit. Quemadmodum quâdam epistolâ Inquisitoris Generalis plenius continetur.

Omnia hæc quomodo tum inter plures ejusdem Provinciæ Inquisitores, tum inter Inquisitores & Ordinarium, nec non rationes ob quas hæc ita observanda sint, paucis perspicuè explicuit Joannes Royas: Inquisitoribus jurisdictio simul „ & in solidum competit, si solus jurisdictioni in definiendis fidei negotiis præ„ est; nam collega in civitate vel territorio existens, nullum in causis jam deci„ sis suffragium habet. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 1. Si vero omnes præsentes sint, al„ ter sine altero ad capturam reorum, publicationem testium, torturam, Cano„ nicam purgationem indicendam, atque sententiam definitivam proferendam „ minimè procedat. Et quod ad Ordinarios attinet, Inquisitores jurisdictionem „ habent cumulativam, & non privativam, in his tantum articulis; videlicet in „ proferendis sententiis tormentorum, & in aliis tam definitivis, quam ab instan„ tiâ judicii. In omnibus verò aliis articulis Inquisitoribus competit jurisdictio „ privativa, & non cumulativa. In aliis enim causis civilibus, ac criminalibus „ non tangentibus fidem, Inquisitores sine Episcopo procedunt; quia earum co„ gnitio potius ex regiâ quam Apostolicâ autoritate competit, vel ex diutinâ „ consuetudine, præsertim in regno Valentiæ, Aragoniæ, & in principatu Ca„ taloniæ, quæ sanè consuetudo jurisdictionem tribuit. Addit: Proh dolor nostrâ „ hac tempestate hujusmodi jurisdictio quam destructa, debilis & infirma sit ali„ quorum incuriâ, non sine parvo negotiorum fidei detrimento, referre pudet.

J. Royas part. 1. § 439. — 444.

Carena part. 1. tit. IV. n. 23. &c. Tandem & hoc observant, tutius multò esse, ut Episcopi causas hæresis, & suspicionis de hæresi, remittant ad Inquisitores; quia secretum est nervus causarum omnium S. Officii: id autem coram Inquisitoribus inviolabiliter observatur; coram Episcopis verò impossibile est illud observari: quod & attestatur Inquisitor Cantera, dum ipse erat Vicarius Generalis Pampilonensis, quod nunquam efficere potuerit, ut secretum in illâ ecclesiasticâ curiâ servaretur, & licet multoties tabellionibus pœnam imposuerit, id tamen non profuerit. Refert etiam Carena, Cardinalem Camporeum, Episcopum Cremonensem, & unum ex supremis Inquisitoribus, in omnibus causis, in quibus persona laica jus dicere & judicare potest, supra quatuordecim annos, semper omnes causas hæresis, & suspicionis illius, remisisse statim ad Inquisitores, quoniam ipse optimè novit, quam magna oriantur inconvenientia, si Ordinarii, qui nec tutos nec secretos habent carceres & ministros, in formatione horum processuum se ingerant.

CAPUT XVIII.

De Carcere Inquisitorum, & carceris Custodibus.

Direct. part. 3. Qu. 58. com. 107. Carceres olim ad custodiendos homines, non ad puniendos sunt inventi. At jure Canonico ad pœnam potest esse carcer. Cap. *Quamvis.* de pœnis. lib. 6. *Quamvis ad reorum custodiam non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur: Nos tamen*

tamen non improbamus, seu convictos (eorum excessibus & personis cæterisque circumstantiis providâ deliberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam. Et rationem hanc reddit Simancas Cathol. Instit. tit. XVI. § 15. *Nam cum sacri Canones ecclesiasticâ mansuetudine mortis pœnam irrogare non queant, consequens est, ne crimina sint impunita, ut pro gravioribus delictis pœnam perpetui carceris imponant, quæ quidem gravissima est, & morti comparatur.* Olim Episcopus & Inquisitor poterant habere singuli suum peculiarem carcerem, qui sit ad custodiam, non verò ad pœnam: sicut enim non possunt aliquem ad pœnam carceris damnare, nisi ex utriusque consensu; ita etiam requiritur ut carcer, qui sit ad pœnam, utrique communis sit. Verum hodiè non solent carceres separati constitui, sed idem carcer, qui est Inquisitoris, in quo vincti ad custodiam continentur, communis etiam est Episcopo.

Hic autem duo explicanda sunt: Primum, quæ præcedere debeant, antequam quis in carcerem custodiendus conjiciatur. Secundum, quis ordo in carceratis custodiendis & collocandis observetur.

Quantum ad primum, de eo fusè ita disserit Joannes Royas: In omnibus causis, tam civilibus, quam criminalibus, à capturâ reorum minimè inchoandum est, nisi præhabitâ prius de maleficio contra reum aliquali summariâ inquisitione; idque multò magis observandum est in crimine hæresis: quia licet in aliis criminibus nemo ob id solum quod in carcerem est conjectus famæ detrimentum patitur, captura tamen pro crimine hæresis vehementer infamat, ideò cum magna cautelâ hic oportet procedi. Cum enim major ratio in crimine hæresis quam in aliis criminibus urgeat, majore inquisitione atque summariâ cognitione ad capiendos reos opus est. Ideò propter levia delicta, seu propositiones malè sonantes, vel scandalosas, vel blasphemas, vel alias, quibus hæreses formatæ non concluduntur, non facilè quis in carceribus secretis mancipandus est, sed in aliquo monasterio, vel propriâ domo, vel civitate detrudendus est. 2 part. Asser. 1.

Possunt quidem Inquisitores fidei contra aliquem, præsertim si sit alioqui abjectus, in crimine hæresis procedere ex levi & modicâ suspicione, ut suspectus interrogetur, quid sentiat de fide: Ut verò aliquis de crimine hæresis comprehendatur, requiruntur duo testes fide digni: imo sufficere ajunt unius testimonium omni exceptione majoris, deponentis de visu vel auditu proprio: imò licet omni exceptione major non sit, sed alias idoneus, modò cum denuntiatore conveniat; tunc enim non unus sed duo testes dicuntur testari, & consequenter plus quam semiplenam probationem facere ad capturam sufficientem. Unum autem testem omni exceptione majorem sufficere: idque inter alia probant ex *Instruct. Madril.* anni 1561, cap. 4. ubi dicitur, *Si testimonium non fuerit sufficiens ad capturam.* Quæ Instructio cum in numero singulari loquatur, innuere videtur legitimum testimonium ad capturam sufficere, præsertim si est abjecta, vilis, & suspecta persona, prout sunt in sectâ Mahomethicâ omnes regni Valentiæ neophyti, & in sectâ Lutheranâ (ut ait Royas) Galli & Germani. Sin autem accusatus esset nobilis & bonæ opinionis & famæ, ad ejus capturam unius testis testimonium minimè sufficeret: id vero inspectâ delicti & personæ qualitate judicantis arbitrio relinquitur, dummodo fidei Inquisitores ad reos capiendos non sint proni, sed magnâ circumspectione utantur. Illa autem maximè requiritur in recipiendis & examinandis testibus, quos imprimis monere debent, quam horrendum & nefandum scelus sit, falsum testimonium proferre in omnibus causis, maximè in sancto Inquisitionis officio, ac ut Deum & ejus terribile ac tremendum judicium præ oculis habeant, ne prece, vel pretio, aut conjuratione, aliove injusto affectu, de tanto crimine innocentem infament. Tum testes interrogandi sunt de loco, tempore, visu, auditu, an semel vel pluries actum iteraverit, aut hæretica verba protulerit, & qua pertinaciâ seu furore affirmaverit, & de aliis personis ibidem præsentibus, de causis, & rationibus, & occasione qua præsentes fuerunt, ac de aliis necessariis circumstantiis ad hoc ut veritas vel mendacium detegatur.

Hæc ubi præcesserunt, & testes sunt recepti, & propositiones qualificatæ, Promotor Fiscalis coram Inquisitoribus petit, inquisitos comprehendi & carceribus mancipari, ut animadversione debitâ puniantur.

Pegna com. 107. Ubi itaque de delicto constiterit, & visum fuerit, reum esse capiendum, ad realem capturam potest devenire Inquisitor. Ubi captura fuerit decreta, mandatum de capiendo reo exhibetur ei ministro, qui ex consuetudine sancti Officii reos capere solet; eique mandato subscribendum est ab Inquisitoribus. Quod si plures personæ fuerint eodem diē aut tempore capiendæ, de singulis singula mandata dantur; quæ deinde singulorum processibus inseruntur, ut de actibus hujusmodi, qui magni sunt ponderis, apertè constare possit.

Quantum ad secundum. Omnibus reis non pares carceres assignantur: nam pro delictorum & personarum qualitate nunc duriora conclavia & obscuriora, nunc verò lætiora & amœniora assignantur. Quanquam nullum in carcere Inquisitionis conclave lætum aut amœnum vocari queat, adeò totus carcer teter & horridus est.

Carceres hi in Hispaniâ & Lusitaniâ vocantur *santa casa*, hoc est, sancta domus. Omnia scilicet, in hoc officio sunt sancta. Structura eorum, prout eam describit autor historiæ Inquisitionis Goanæ, talis est, ut pluribus captivis asservandis sit accommodata. Constant nempe variis porticibus, quorum singuli in plures exiguas cameras sunt distributi figuræ quadratæ, quarum latera singula decem sunt pedum. Illorum duo sunt ordines, quorum alter alteri superstructus est, suntque constructi opere fornicato. Superiores illuminantur per crates ferreos, sed supra viri etiam proceri staturam elevatos. Inferiores sunt subterraneæ, obscuræ, sine ullâ fenestrâ, & superioribus angustiores. Pariētes sunt crassitudinis quinque pedum. Unaquæque camera duobus ostiis clauditur: interius crassum est & ferro obductum: pars illius inferior constat crate ferreo: in superiore parte exigua est fenestella per quam captivo cibus, lintea, aliaque necessaria porriguntur, clauditurque duobus ferreis obicibus. Exterius ostium solidum est sine ullâ aperturâ: illud ordinariè mane ab horâ sextâ usque undecimam aperiri solet; ut aër carceris aliquatenus repurgetur.

In Lusitaniâ omnibus captivis, tam fœminis quam maribus, sine ullo discrimine prosapiæ aut dignitatis, capilli abscinduntur, primo vel secundo captivitatis suæ diē. Singulis captivis duæ quotidie dantur testæ aquâ repletæ, una ad lavandum, altera, ad bibendum; adduntur scopæ, ut carcerem suum quisque purget, & storea ex juncis confecta ut in eâ cubet; ac tandem majus quoddam vas ad requisita naturæ peragendum, & operculum ad illud tegendum; illud singulis quatuor diebus permutatur. Alimenta quæ carceratis conferuntur taxanda sunt juxta qualitatem temporis, & caritatem vel abundantiam rerum comestibilium. Cæterum si aliqua persona qualificata & opibus abundans in carcere detineatur, & voluerit manducare & sumtus facere ultra ordinariam & consuetam alimentorum taxationem, & juxta consuetudinem suam, indulgendum est ejus voluntati, & concedendum quicquid visum fuerit honestum, & conveniens illi, & famulo, vel famulis, si quos secum habeat intra carceres. Custos vero carceris, nec alius minister accipiet quæ forte supererunt alimenta, sed ea in pauperes distribuentur. Observat vero Reginaldus Gonsalvius, pag. 106. illâ indulgentiâ non cum vinctis cujuscunque conditionis agi solere, sed cum illis tantum qui ob levicula quædam capti sunt, & in mulctam quandam pecuniariam condemnabuntur: Quos verò omnium bonorum amissione damnandos ex ipsâ eorum delatione agnoverunt, nequaquam adeò lautè vivere permittunt: sed exiguam illis constituunt pensionem unde alantur, triginta scilicet dipondia, quæ Maravedis vulgò vocant, quorum decem Brabanticum constituunt stuverum. Illud aliquatenus convenit cum narratione Isaaci Orobio, qui cum Hispali in amplissimâ fortunâ vixerat, se tamen in carcere Inquisitionis durissimè habitum fuisse mihi narravit, & licet amplissimas possedisset opes, sibi tantum exiguam pensionem quo-

quotidie in alimenta insumendam fuisse concessam: alimentum hoc fuisse carnem, quam quandoque ipse sine ullius famuli ministerio sibi coquere & præparare debuit. Et ita quidem ditiores tractantur: Pauperiores verò atque adeò tenui fortunâ, ut quo in carcere sese alant non suppetat, victum habent à rege ipso constitutum, dimidium scilicet nummi argentei, quem realem vocant, diebus singulis: atque ex eâ tantulâ pecuniâ emtori victus (quem dispensatorem vocant) ac fulloni, & si quos prætereà habuerint ad communia vitæ subsidia necessarios sumtus, solvendum est. Præterea hoc ipsum vinctorum regium dimensum ad eos ipsos quibus est constitutum non pervenit, nisi per complures, neque eas satis fidas manus, derivatum: receptoris primum, dispensatoris deinde, tertiò coqui, tandem custodis carceris, qui ex peculiari suo munere escas inter vinctos dividit. Addit Gonsalvius, se id adeò accuratè recensuisse, quoniam omnes isti vivunt, habentque certos suos proventus, ex modicâ illâ vinctorum regiâ stipe, quæ per istarum harpyarum aduncas manus derivata, nisi à singulis plus quam decumata, ad vinctorum manus non pervenit.

Ordinem in alimentis distribuendis Autor historiæ Inquisitionis Goanæ hunc observari ait: Tribus vicibus captivis per singulos dies porrigi cibum: & eos, qui pecuniâ instructi calamitate eâ opprimuntur vix mollius tractari, quam reliquos: quia opulentiorum opibus etiam pauperioribus prospiciatur. In Hispaniâ, ut mihi narravit Isaacus Orobio, captivis nonnunquam dantur carbones, qui igne accenduntur, ut ipsi cibum suum coquant: aliquando conceditur candela; sed qui in carcere subterraneo detinentur, plerumque sedent in tenebris, in iisque per annos aliquot detinentur; nemini eos adire aut alloqui licet, nisi solis carceris custodibus, idque statis tantum horis quando cibum porrigunt. Non licet ullos habere devotionis libros, sed in tenebris & solitudine detinentur, ut tam tetri carceris horrore frangantur, illiusque tædio ea confiteantur quæ sæpe non commiserunt.

Et sanè quæ carceris hujus miseria sit, exemplo illustri nos docet Reginaldus Gonsalvius Montanus. pag. 115. Superiori seculo navis quædam Angla in portum Gaditanum appulit, quam cum Familiares Inquisitionis, antequam ex eâ quisquam ad terram descenderet, pro more religionis ergò visitarent, nonnullos ex Anglis qui in eâ erant ob edita euangelicæ pietatis ac melioris institutionis certa indicia comprehensos in carcerem suum deduxerunt. In eâ navi erat quidam puellus decem aut ad summum duodecim annorum, Angli cujusdam prædivitis filius, utpote ad quem (ut ferebatur) cum navis, tum mercium omnium pars præcipua pertinebat. Inter alios ceperunt hunc quoque puerum. Prætextus fuit, quod librum Psalmorum Davidicorum Anglicè in manibus haberet. At (inquit Gonsalvius) qui istorum & avaritiam, & artes pessimas utcunque norunt, citra ullam Sanctæ Inquisitionis injuriam piè credent, subolfactas paternas opes captivitatem, & quod postea subsecutum est calamitatis, puero peperisse. Igitur navi cum mercimoniis omnibus in Sequestri rationes redactâ, puerum cum aliis captivis Hispalim in arcem Inquisitoriam ducunt, ubi exegit sex aut octo menses. Exacto in præduro carcere illo temporis spatio, puer, ut erat in paternâ domo teneriusculè educatus, ex humiditate carceris & ex pessimâ victus ratione in adversam valetudinem graviter incidit: quâ perspectâ Domini Inquisitores eum è carcere educi, & in xenodochium, quod Cardinalis vocant, recuperandæ valetudinis gratiâ deferri jubent. In illud xenodochium deferri ex more solent, quos in Inquisitorio carcere ægrotare graviter contingit; neque præter medicamenta (quæ tamen ex pio xenodochii instituto abunde ipsi suppetunt) & lautiorem pro ægritudine corporis curam ex carceris pristini severitate quicquam remittitur, nemine præter medicum & xenodochii ministros ægrotum invisente: quod si meliusculè habere cœperit, valetudine nondum admodum confirmatâ, in pristinum carcerem restituitur. Igitur puer, ex contractis in diuturno ac barbaro illo carcere gravioris infirmitatis causis, translatus in xenodochium ambobus

cruribus obriguit, neque quid posteà de illo actum sit scitur. Interim, quod mirandum, puer in tam tenera ætate pietatis doctrinam altè animo suo insitam illustribus documentis demonstrabat, crebrò, sed mane imprimis ac vespere, ocellis in cælum sublatis, unde auxilium sibi certum postulare ac sperare a parentibus edoctus fuerat, preces fundens: quod conspicatus aliquoties custos carceris, iste, inquiebat, in magnum hæreticulum jam evasit.

p. 121. Eodem fermè tempore captus fuit & in eundem carcerem detrusus quidam, qui Mahomethica impietate sponte abjuratâ è Marruchio, celebri Mauritaniæ urbe ac regni capite, in eum Hispaniæ tractum, qui interjecto Herculeo freto Mauritaniam respicit, daturus nomen Christo, paulò ante venerat. Is cum plura, quam inter suos Mauros reliquisset, vitia atque corruptiores mores inter Christianos invenisset, fortè dixerat, videri sibi Maurorum legem Christianorum lege potiorem, & ob id incidit in Patrum fidei manus, quem in carcerem conjectum adeò duriter tractarunt, ut etiam in ipsis vinculis apertè diceret, ab eo die quo esset baptizatus Christianismi se nunquam pœnituisse, nisi posteà quam in Inquisitione foret, ubi violentias & injurias omnis generis vel invitus videre cogeretur.

p. 104. Non levior de carceris immanitate querela fuit Constantini Hispalensis concionatoris, qui, etiam nondum torturarum cruciatibus delibatis, sæpe in carcere calamitatem suam questus, ad Deum clamorem intendit: *Mi Domine, deerantne in mundo Scythæ, aut his crudeliores immanioresque Cannibales, in quorum manus, ne in istorum ungues inciderem, me conjecisses?* Olmedus, alter insignis tum pietate tum eruditione vir, in Inquisitorum manus Hispali inciderat, atque illius inhumanitatis tantum causâ, quæ una quoque Constantino mortem consciverat, primum graviter decumbens, ac inter ipsas sordes & pedorem demum obiit diem, dicere quoque erat solitus; *Quocunque libuerit, mi Domine, me præcipitem age, neque istorum manibus me tradas oro.*

cap. 19. 20. 21. Consentit autor historiæ Goanæ, qui immanitate ac diuturnitate carceris se in desperationem incidisse fateri haud erubescit, eaque desperatione abreptum ut mortem sibi consciscere voluerit: primò inediâ: verum cum id non succederet, se ægrum simulavit: & cum medicus Inquisitionis inæqualitatem in arteriæ pulsu deprehendisset, eumque febri correptum credens venæ sectionem præscripsisset, quæ quinque diebus continuis iterata fuit, ipse post medici discessum deligavit quotidiè brachium, ut sanguine copiosius exeunte magis magisque debilitaretur. Interea vix ullum assumebat alimentum, ut ita inediâ ac sanguinis detractione miseram finiret vitam. Cum in misero hoc statu esset, missus ad illum fuit Confessarius ex Ordine S. Francisci, qui variis adhibitis consolationibus ipsum è desperatione erexit: additusque illi fuit carceris socius, qui aliquod in solitudine levamen adferret: Verum post quinque mensium decursum, quo interim ipse convaluit, socio suo rursus spoliatus est. Cum itaque solitudine carceris melancholia & desperatio recrudesceret, aliud medium mortem sibi consciscendi excogitavit: nummum aureum (quem clanculum in vestibus suis occultaverat) in duas partes confractum acuit, sibique ipse venam in utroque brachio aperuit, è quibus sanguis tanta copia efluxit, ut animi deliquium passus sit: interim sanguis per carcerem diffluebat: Verum accedentes forte ministri extra tempus ordinarium ut quippiam ipsi afferrent, illum in ejusmodi statu repererunt: Inquisitor eum manibus ac brachiis ferro ac catenis onustum arctè custodiri jussit; verum cum hac duritie magis irritatus caput pavimento ac parietibus illideret, & procul dubio ligamenta brachiis ipsius revulsa fuissent si diutius in illo statu perseverasset, vincula ipsi dempta sunt, ac verbis mollioribus spes quædam blandior ipsi facta, additusque in carcere socius, cujus alloquio recreatus miseriam suam aliquantò tranquilliore animo tulit: quem tamen, post duorum mensium spatium, denuò ab ipso removerunt, ut ita, prout hactenus, solitudine carceris magis affligeretur.

Capti-

Captivi quamprimum in carcerem sunt conjecti jubentur edere suum nomen, & vitæ genus. Mox inquiruntur captivi opes: & ne exactam earum enumerationem edere gravetur, Inquisitio ipsi promittit, siquidem insons sit, bona ab ipso indicata, fideliter asservanda ipsique restituenda fore: si verò quædam reticeat, etiamsi insons deprehendatur, omnia quæ non indicasse deprehendetur fisco addicta fore. Cum itaque in Hispaniâ ac Lusitaniâ plerisque de sanctitate ac sinceritate hujus tribunalis ne minimum quidem dubitant, omnes, quos conscientiæ suæ testimonium absolvit, haud gravatè omnes suas possessiones Inquisitoribus indicant, etiam secretissima domus suæ; certò persuasi, postquam innocentia sua patuerit, se cum libertate bona sua brevi recuperaturos. Verum falluntur miseri: qui enim semel in Judicum horum manus incidit, omnium bonorum possessione spoliatur. Si enim crimen neget, seque innocentem protestetur, cum sufficienti testium numero convictus est, tanquam negativus convictus condemnatur, bonaque ejus fisco addicuntur. Si, ut carcerem evadat, crimen confiteatur, propriâ confessione nocens est, & omnium judicio justè bonis suis spoliatur. Quando tanquam conversus & penitus è carcere dimittitur, innocentiam suam tueri non audet, nisi tanquam fictè pœnitens in eundem denuò recludi, condemnari, & brachio sæculari tradi cupiat. Inquisf. Goan. cap. 13.

Hæc eadem tradit Joannes Royas, 2 parte, Assert. 2. J. Royas 2 part. Assert. 2.

„Quando reus comprehenditur & carceribus Sancti Officii mancipatur, statim fieri debet sequestratio bonorum illius, ne bona surripiantur, vel abscondantur, & penes aliquam personam idoneam coram Tabellione & Executore ponantur, quæ persona eorum custodiam & curam habeat. Et illa bona, quæ servando servari non possunt, Inquisitorum mandato per custodem vendantur. Hæc autem bonorum sequestratio pro hæresi verâ & formatâ solummodò fit. Unde deducitur, bonorum sequestrationem seu descriptionem minimè fieri, quoties Inquisitores contra blasphemos seu sortilegos procedunt, seu contra secundò nubentes prioribus uxoribus viventibus, seu contra clericos in sacris seu monachos professos matrimonium contrahentes: seu contra proferentes propositiones temerarias, vel scandalosas, seu injuriosas, vel malè sonantes: & in omnibus denique causis, in quibus non inest de jure bonorum publicatio, ejus præparatoria, quæ est descriptio, per consequens cessat.

Quando captivus ad judicem deducendus est, comparet capite, brachiis & pedibus nudis: in hoc statu à lictore è carcere suo educitur. Quando ad cameram audientiæ deventum est lictor paululum progressus profundam edit reverentiam, mox recedit, captivusque solus intrat. In ipsâ camerâ in quodam illius extremo posita est statua crucifixi ad tabulatum fermè elevata. In medio cameræ mensa est circiter quinque pedes longa, & quatuor lata, undique cincta sellis. Uni mensæ extremo, illi parti cameræ obverso ubi statua est crucifixi, assidet Notarius Inquisitionis: Alteri extremo assidet Inquisitor; ad illius lævam captivus collocatur scamno insidens. In mensâ positum est missale: illi captivus jubetur manum imponere, adhibitoque juramento se obstringere ad veritatem dicendum, secretumque exactè observandum. Postquam satis interrogatus est, Inquisitor tintinnabuli sonitu lictorem advocat, captivumque in carcerem reduci jubet. Inquisf. Goan. cap. 18.

Nulli in carcere mutire, ullumve sonum edere licet, sed altum in eo servatur silentium. Si quis ejulet, aut infortunium suum deploret, aut clarâ voce Deum precetur, aut cantet, sive psalmum, sive hymnum sacrum, mox adsunt carceris custodes, qui in porticu continuas agunt excubias, omnemque, etiam minimum sonum, audire possunt, monentque in domo hac silentium esse servandum. Si non pareat captivus, iteratò eum monent custodes. Si nihilominus pergat captivus, custos aperto carcere fuste eum egregiè dedolat, non tantum ut ipsum castiget, sed & deterreat alios, qui quoniam cameræ sunt contiguæ altumque servatur silentium, & ejulatum & sonitum ictuum qui infliguntur

commodè audire possunt. Addam hic narratiunculam quam ex quorundam ore habui, unde (si vera est) quam severè silentium hoc observetur colligere licet. Captivus quidam tussiebat: adsunt excubitores, monent ut tussim omittat, quia illicitum esset in domo hac ullum emittere sonum. Ille respondit, hoc arbitrii sui non esse: nihilominus cum secundò monitus tussim non omitteret, ipsum denudatum pluribus ictibus miserè contundunt: cum hac ratione tussis augeretur, aliquoties verberatus fuit; donec tandem verberum vehementiâ mortuus fuit.

Gonsalv. p. 117. Silentium hoc severè adeo observatum volunt, tum, ut solatii omne genus afflictis præcidatur; tum præcipuè, ne cantu, aut altiore sermone mutuo se agnoscant vincti. Accidit enim sæpenumero, ut exactis in Inquisitorio carcere binis aut ternis annis, amicus de amico, pater de liberis & uxore eodem in carcere detentis, prorsus ignoret, quousque in die spectaculi sese mutuo conspiciant. Ac tandem, ne secum invicem vincti ex diversis carceribus colloquantur: quod si ita esse deprehenderint, commutantur continuò carceres.

Si quis in carcere in morbum inciderit, ad eum mittitur medicus cum chirurgo, omniaque adhibentur remedia ut sanitati restituatur. Si sit moriendi periculum, ad eum, si petat, mittitur Confessarius; ita jubet Instructio Madriliana a. 1561, cap. 71. *Si reus aliquis ægrotaverit in carceribus, præterquam quod Inquisitores debent diligenter curare, ut ei fiat medicina, exhibeanturque cuncta ad salutem ejus necessaria, consilio medici seu medicorum, qui ei medentur; si petierit Confessarium, debet ei concedi qui sit spectatæ probitatis, & de quo plurimum confidatur, à quo juramentum exigatur de custodiendo secreto: & quod si pœnitens ei dixerit aliquid in confessione, quod velit revelari extra carceres, ne in hoc ullo modo ei obtemperet, nec similia mandata revelet: quod si extra confessionem ei fuerit aliquid injunctum, id Inquisitoribus manifestabit. Ad hæc Inquisitores Confessarium admonebunt ac instruent qualiter se gerere debeat cum pœnitente, ut videlicet dicat ei, quod cum sit pro hæresi incarceratus, ac de eâ reus accusatus, non potest absolvi, nisi judicialiter hæresim suam manifestet. Et cætera relinquentur confessoris judicio & conscientiæ, qui debet esse doctus, ut intelligat id, quod in causâ tali fieri conveniat.* (Direct. part. 2. comm. 25.)

Si reus non petat Confessarium, & medicus credat morbum esse periculosum, persuadendus est reus omninò ut confiteatur; & ubi judicialiter satisfecerit Inquisitoribus, priusquam moriatur, reconciliabitur Ecclesiæ; cumque fuerit in judicio absolutus, inde Confessarius absolvet eum sacramentaliter. Atque hoc etiam præscribit eadem Instructio.

Si sanus petat Confessarium, quidam existimant illum minimè concedendum: nisi reus confessus fuerit judicialiter. Alii tamen censent concedendum: sed in hoc casu Confessoris partes erunt, reum cohortari ut errores suos confiteatur, & veritatem integrè dicat, tam de se quam de aliis, sicut de jure tenetur: Addat tamen, ne tædio carceris, vel spe celerioris liberationis, aut metu tormentorum, sibi aut aliis falsum crimen imponat. Hunc tamen reum Confessarius absolvere non potest, priusquam ab excommunicatione fuerit absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus. In Italiâ autem facilius datur vinctis copia Confessarii, quam in Hispaniâ.

Id ante omnia cavent, ne simul duo vel plures in eodem cubiculo concludantur, nisi ex causâ aliter faciendum statuerit Inquisitor; ne vincti secum ineant consilia de celandâ veritate, de fugiendo, de evadendis interrogationibus, & similia. Præcipuè verò, uti videtur, ut præ tædio carceris fateantur quicquid eos Inquisitores fateri volunt. Si tamen maritus & uxor simul pro eodem delicto in carcerem Inquisitionis conjiciantur, neque metuatur, quod alter alterum à liberâ delicti confessione sit impediturus, in eodem conclavi occludi possunt.

Gonsalv. p. 125. Inquisitores bis singulis mensibus tenentur visitare vinctos, & ab his quærere, an illis necessaria ministrentur, & an benè vel secus habeant. In hac visitatione vinctum totidem verbis interrogare solent: quî habeat? quî valeat? indigeatne

re

re aliquâ? an verbis cum ipso bene agat custos carceris? (vult dicere, an verbis aliquando contumeliosis, aut certè asperioribus eum lædat) an cibum sibi constitutum bonâ fide ei det? an indusia munda? & alia hujusmodi. Hæc sunt veluti ad numerum illis præscripta visitationis capita atque verba, quibus neque addunt amplius, neque ea præstant. Quoniam hæc dicis tantum causâ observantur: nam vix exspectato responso subitò Inquisitor abit. Et licet aliquis captivorum non bene secum agi conqueratur, nihil exinde ad ipsum solatii redit, nec benignius in posterum tractatur. Verum si occasio & necessitas postulaverit, & ter & quater id singulis mensibus facere non erit indecorum: imò & quandoque judicant necessarium; veluti cum reus impatienter fert carceris calamitatem & infamiam: tunc enim sæpius non modo per se ipse Inquisitor, verum & per alios eum curabit consolandum, dicens, quod si confiteatur liberè, cuncta fore & cito & humaniter expedienda. Inquis. Goan. c. 12.

Observare autem debent Inquisitores, ne cum reis loquantur, vel cum examinantur, vel cum visitantur, nisi de his quæ ad eorum negotium spectant: nec vel dum visitat, vel dum aliter eos auscultat, solus Inquisitor esse debet; sed vel cum collegâ, vel saltem cum Notario, vel alio fideli sacri Officii ministro. Uti cavet Instructio Madriliana a. 1561. *cap.* 17.

Imprimis & hoc observant, ne rei ex uno cubiculo ad aliud transferantur, & cum aliis associentur: sed vincti, qui semel simul in eodem conclavi clausi fuerint, ubi transferendi erunt, simul etiam transferantur; ut sic vitentur communicationes eorum quæ intra carceres geruntur. Atque hoc tunc maximè observandum docent, quando post translatos aliquos de uno conclavi & unâ societate in aliam, contingunt confessionum revocationes. Si verò reus confessus fuerit, & bene conversus, facilius de uno conclavi in aliud transferri poterit, quoniam de illius vacillatione nullus Inquisitori est metus: imò verò ejus ministerio sæpe uti poterit ad eruendam ex aliis carceratis veritatem, juxta Eymerici consilium, in Direct. Inquis. part. 3. n. 107. & Pegnæ Comment. 23. *Cætera huc spectantia ab usu magis quam arte & præceptis petenda*, ait Pegna; *præsertim cum sint quædam quæ non oporteat vel evulgare, vel docere, & sint Inquisitoribus satis per se nota.*

Si fæminæ in carcerem mittendæ fuerint, ad omnem mali suspicionem præcavendam singulis pro qualitate earum una saltem honesta fæmina velut socia adjungitur, quæ à carceratæ latere nunquam discedat. Hæc socia ætate matura, bonis moribus prædita, pia & fidelis esse debet. Aliquando fæminæ incarcerandæ non ad carceres Inquisitorum, & præsertim Regularium, quando sunt intra septa monasteriorum, sed ad monasteria Sanctimonialium deducuntur. Quod cum fit, Abbatissæ vel Priorissæ mandatur, ne quenquam admittat ad colloquendum cum captivâ absque expressâ Inquisitoris veniâ, & ut ordinem sibi præscriptum diligenter observet. Quandò tamen causa gravis est & plena periculi, quales censeri solent causæ fidem spectantes, tutius credunt fæminas in carceribus Inquisitorum recludi: Verum super eo consulendi sunt Cardinales Inquisitores Generales, qui, re maturè consideratâ, videbunt an magis expediat reos hujusmodi in carceribus Episcopi, vel Inquisitorum Regularium custodiri; præsertim si juvenes & pulchræ fuerint; quales sæpe esse solent, quæ sortilegiis amatoriis dant operam. Pegna prax. Inq. lib. 2. cap. 13. n. 6.

Præterea sacri hujus tribunalis consuetudo & receptus usus est, ut ob hæresin in carcerem conjecti ad custodiam, non admittantur ad audiendam missam & ad alias orationes, quæ intra carceres dicuntur, donec causa eorum definita sit: ratio hujus consuetudinis præcipua prætexitur, quia contingere posset, præsertim quando magna reorum est multitudo, ut saltem nutibus & signis complices, socii, & participes criminis sibi mutuò indicarent, qualiter judicium esset subterfugiendum, aut velanda veritas.

Vera autem ac genuina ratio est, ut vinctus præter præsentem calamitatem nihil habeat quod intueri possit, atque ita solitudinis tædio fractus, fateatur

quæcunque Inquisitoribus grata sunt. Hunc in finem etiam libros, aliaque quibus molesti carceris tædium sublevari aliquatenus possit, vinctis negant. Si enim aliquis ex vinctis literatus, aut quivis alter, dum carcerem visitat Inquisitor, obsecrat, ut boni alicujus libri sacrorumve Bibliorum sibi fiat copia; respondet Inquisitor; verum librum esse veritatem indicare, & in illo sancto Tribunali conscientiam suam exonerare; inque eo libro incumbendum esse, ut memoriâ omnia fideliter repetendo continuò suis dominationibus manifestet, medelam languenti animo illicò præbituris. Quod si adhuc in eâdem aut alterâ visitatione perrexerit vinctus eâ de re esse importunus, audiet pro imperio, ut taceat, quoniam si ipse, prout magis collibet, petat, eos quoque, prout magis collibuerit, concessuros aut denegaturos.

Gonsalv. p. 126.

Custodia carceris ad Executoris officium olim pertinebat, & quoties illum abesse contigerat alium custodem suis sumtibus carceri præficere tenebatur: hodiè verò custos carceris ab Inquisitore generali creatur, diversusque est ab Executore. Simancas tit. XLI. § 5.

Custodes carceris qui sunt pro crimine hæresis jurare debent coram Episcopo & Inquisitore, quod fideliter custodient carceratos, & omnia alia servabunt, quæ ponuntur in textu Clement. 1. de hæret. § *Porro*.

Simancas de Cathol. Instit. tit. 16. § 7, 8, 9.

Duo autem sunt constituendi cujuscunque carceris hæreticorum custodes, industrii & fideles, unus ab Episcopo, alter ab Inquisitoribus. Quilibet autem custodum habere potest ministrum idoneum: Præterea in unoquoque conclavi esse debent duæ claves diversæ, quarum singulas unusquisque custodum habeat, quas possunt ministris suis committere, ut vinctis conferant necessaria. Nec potest convenire inter Episcopum & Inquisitorem, ut unus tantum sit custos carceris; quia hoc non satis tutum videtur, nec id lege illis permittitur, nec est eorum causâ vel favore constitutum. Clement. primâ. § *Sane*. de hæret.

Hodiè tamen unus tantum custos carceris in unaquâque provinciâ ponitur, electus ab Inquisitore generali, qui non debet ministrare vinctis alimenta; sed vir aliquis idoneus eligendus est ab Inquisitoribus in id ministerium, quem vulgò dispensatorem vocant. Alimenta autem quæ reis præbentur ordinariè in domo Inquisitionis præparanda & coquenda sunt: quia si in eorum domibus, vel alibi præparata adferantur, facilè quid iis occultari posset, quo rei carcerati vel ad veritatem occultandam, vel ad judicium eludendum, vel ad fugiendum, instrui possent. Prudentiæ tamen & arbitrio Inquisitorum relictum est, an & quando sine periculo in domibus reorum alimenta præparari possint. Verum ob periculum non nisi rarò & cum exquisitâ consideratione hoc arbitrio uti eos Inquisitores volunt. Si quæ verò vinctis ab amicis ac consanguineis, seu domesticis mittantur, custos carceris ac dispensator nihil horum vinctis tradere debent, nisi prius consuluerint Inquisitores; quemadmodum continetur 4. *Instruct. Tolet. cap.* 26.

Cum autem custodes hujus carceris plurimum possint vinctis nocere vel prodesse, coram Episcopo & Inquisitoribus jurejurando promittere debent, quod in custodiendis reis curam & sollicitudinem fidelem adhibebunt, & quod neuter eorum alloquetur eos, nisi coram altero custode, & quod nil subtrahent ex alimentis, nec ex his rebus quæ vinctis deferuntur: quod etiam jurare debent ministri eorum.

p. 111. & seqq.

Attamen non obstante hac lege, sæpissimè ab avaris custodibus bona pars alimentorum captivis destinatorum subtrahitur; & tales si deferantur Inquisitoribus mitiore pœnâ afficiuntur, quam si misericordiâ aliquali utantur erga vinctos. Refert Reginaldus Gonsalvius suo tempore Gasparum Bennavidium carceris fuisse „custodem: erat portentosæ avaritiæ ac sævitiæ homo, qui miseris vinctis ma„lè coctas ac aliquoties decumatas escas bonâ parte defraudabat, furtumque „Trianæ divendebat haud magno pretio, eam prætereà pecuniolam, quæ ob pur„ganda vinctorum indusia fulloni debebat cedere, in solidum avertebat, negle-

„ctâ

,, ctâ ad complures dies illâ qualicunque munditie vinctorum, deceptisque ipsis
,, tum Inquisitore, tum Quæstore, recipientibus eam pecuniam in rationes ab
,, ipso custode, ac si in vinctorum usus, in quos deputata fuerat, singulis septi-
,, manis expenderetur. Neque difficile alioqui erat in rei veritate perquirenda
,, non admodum laborantes decipere. Si forte vinctus quispiam intolerabili in-
,, juriâ lacessitus conquerebatur, mussitabat, hiscebatve, sævo homini & omni
,, humanitate exuto remedium in promptu erat: Eductum videlicet ex eo carcere e-
,, jusmodi vinctum in profundam quampiam cisternam, aquâ vacuam, (maz-
,, morram vocant) detrudebat, ibique eum per dies aliquot detinebat solum,
,, nihil ad cubandum, ne stramen quidem, concedens; victus verò illius adeò so-
,, lebat esse corruptus, ut non saluti aut sustinendæ saltem vitæ, sed morbo po-
,, tius corrumpendæ aptior videretur: atque id omne inconsultis prorsus ipsis In-
,, quisitoribus, quorum tamen jussum apud vinctum fraudulenter ac malignè ob-
,, tendebat. Si quisquam ex summâ istâ injuriâ per eum affectis questurus apud
,, Inquisitores ipsum precabatur (neque enim per alium licet) ut audientiam si-
,, bi dari postularet, callidus homo in caput suum fabam cudi facilè conjectans,
,, simulabat se petiisse, neque ejus petitioni tum esse locum: Atque ejusmodi
,, confictis responsis detinebat miserum hominem in profundo illo puteo ad duo-
,, decim aut quindecim dies, plus minusve, quousque demum existimabat iræ
,, & sævitiæ suæ satisfactum: deinde eductum inde restituebat pristino carceri,
,, illi persuadens, humanitati atque operæ suæ, qui ejus commiseratus apud Do-
,, minos suis precibus pro illo intercessisset, illud beneficii esse tribuendum. Sum-
,, ma, furta ipsius ac injuriæ, quibus vinctos, alioqui satis miseros, afficiebat,
,, fuere ejusmodi, ut qui eum apud Inquisitores seriò accusarent viri alicujus apud
,, eos ipsos autoritatis porrò non defuerint. Itaque vincitur, ac complurium
,, sycophantiarum peractus reus hanc sententiam tulit: In theatrale spectaculum
,, egredi jussus ceream candelam manu ferens in exilium quinque annorum ab ur-
,, be mittitur, eâque pecuniâ mulctatur, quam ex officii mercede à sancto Tri-
,, bunali foret accepturus.

,, Idem ille habuit in suâ familiâ, dum custodis munere in arce fungeretur, fa- p. 114.
,, mulam quandam ætate provectiorem, quæ observatâ vinctorum afflictione, ex
,, nequitiâ ac barbarie heri sui fame ac squallore penè intolerabili laborantium,
,, commiseratione permota (neque enim ab Euangelicâ pietate abhorrebat) eos
,, præ carcerum foribus alloquebatur, consolabatur, atque prout poterat hor-
,, tabatur ad tolerantiam, injectis sæpe subtus fores cibis pro tenuibus ac debili-
,, bus conditionis suæ viribus: & cum nihil haberet de suo unde erga vinctos
,, Christi tam esset liberalis, ab impio fure, hero scilicet, escarum, quas ipse
,, à vinctis furatus fuerat, bonam rursus partem furabatur, quam vinctis resti-
,, tuebat. Et quò magis miremur Dei providentiam, quæ ex pessimis parenti-
,, bus non semper dat pessimos liberos, nonnunquam optimos, in istis piis furtis
,, ferebat illi opem singularem parvula quædam filia ipsius heri sui. Istius ejus-
,, dem fæminæ operâ vincti de aliorum convinctorum fratrum statu rerum subin-
,, de fiebant certiores; quod & solatio ipsis, & causis quoque ipsorum adjumen-
,, to erat. Ergo innotuit res Dominis Inquisitoribus, à quibus post unius anni
,, carcerem, in quo eandem cum vinctis aliis fortunam experta est, in spectacu-
,, lo theatrali sententiam demum tulit vestis luteæ, ac ducentorum flagrorum,
,, quæ in sequenti die per urbis vicos consuetâ tum pompâ, tum crudelitate ac-
,, cepit, quibus accessit exilium decennale ab urbe & ipsius tractu. Titulus fuit,
,, *Fautrici atque auxiliatrici hæreticorum.* Commovit adversum se implacabiliter Do-
,, minorum Patrum fidei indignationem, quod inter quæstiones indicatum est,
,, eam quibusdam urbis civibus, quoad victus rationem quâ cum vinctis agebatur,
,, sacrosancti Tribunalis arcana revelasse. Ex utroque hoc exemplo, ac dissimili
& inæquali pœnâ, quivis facile perspicit, quantò tutius sit vinctorum in carce-
re afflictioni afflictionem addere, quam ullum illi sublevandæ actum humanitatis
ac misericordiæ exhibere.

§ 11. Atque ut hæreticorum carcer quam maximè secretus sit, nullus Officialium, nec ipse judex (uti mox vidimus) carcerem solus intrare potest, aut cum vinctis loqui nisi coram altero ex Officialibus, idque jussu Inquisitorum antecedente: Quod se ita servaturos omnes jurare tenentur; & ut nemo videat nec alloquatur vinctos, præter eum qui necessaria ministrat, qui eligendus est fidelis & probus, & jurare debet, se non revelaturum secreta, qui etiam scrutandus est, ne mandata vel epistolas vinctis afferat.

Hoc præceptum quam maximè sacrosanctum esse cupiunt, quia secretum, uti ajunt, est nervus Inquisitionis, quod facilè, nisi præceptum hoc exactè observetur, violari posset: ideoque & illius trangressores severissimè puniunt.
p. 108. Exemplum illius illustre nobis exhibet Reginaldus Gonsalvius Montanus: Constitutus fuit paucis abhinc (quo nempe hoc scripsit Gonsalvius) annis Hispali in custodem arcis Trianæ, qui Inquisitorius est carcer, vir quidam haud omninò malus, humanus alioqui, neque provectæ adhuc ætatis: Petro ab Herrera erat illi nomen. Contigit, ut in fœcundis promiscuisque capturis solet accidere, ut inter alios vinctos custodiæ suæ demandatos haberet probam quandam matronam cum duabus filiabus, quæ diversis in carceribus degentes, se invicem videndi ac mutuò in tantâ calamitate cohortandi magno desiderio tenebantur. Ergo custodem illum obsecrant, ut eas vel ad quadrantem horæ esse simul pateretur, tantisper videlicet dum se mutuo complectuntur. Ille, quâ erat humanitate, misericordiâ commotus effecit ut ad dimidium horæ simul essent, colloquerenturque, ac posteaquam maternis affectibus nonnihil indulserunt, in suum quamque ergastulum, prout anteà erant, reducit. Elapsis posteà paucis aliquot diebus, quum eædem acerrimè torquerentur, custos veritus, ne quâ erga eas absque Inquisitoris jussu simul colloquendi ad dimidium horæ fuerat usus, tantulam illam suam humanitatem Dominis Patribus per sævissima tormenta proderent, metu correptus adit sanctum Tribunal, fatetur ultrò piaculum, precatur veniam, impendentem sibi ex facto pœnam antevertere confessione suâ stultè credens. At Domini Inquisitores adeò grave crimen factum illud judicarunt, ut eum è vestigio in ergastulum quoddam trahi jusserint, in quo ex summâ, tum sævitiâ quâ cum ipso actum est, tum animi ægritudine inde conceptâ, atrâ bile redundante in furorem incidit: neque propterea ejus furor & infirmitas eum à graviore mulctâ liberarunt: siquidem post annum in diro carcere exactum in triumphale illud spectaculum eductum, luteâ veste insignitum, & resti ad collum latronum more alligato, ad ducenta verbera per urbis vicos & plateas primum ferenda, deinde ad sex annos ad transtra damnavere. Insequenti autem à triumpho die cum ab arce Trianâ flagellandus consuetâ solennitate veheretur, corripit miserum hominem furor, alternis horis eum miserè corripere consuetus, qui ex asello, quo ad ignominiam vehebatur, se dejiciens, in Alguazilium Inquisitorium irruit, illumque arrepto ab eodem ense haud dubiè occidisset, nisi à circumveniente turbâ continuò comprehensus asello rursus imponeretur, eoque accuratius obligato ad repetenda flagra rediretur. Acceptis jam ab eo ducentis flagris, jusserunt domini Inquisitores, ut quando in ipsorum Alguazilium immodestè se gessisset, quatuor ad transtra anni sex prioribus adjicerentur.

Hi custodes tenentur etiam de levissimâ culpâ, cum teneantur ad carceratorum custodiam eo modo quo se gerere solet diligentissimus pater familias; adeò ut si contingat eos è carcere aufugere, pro delicti qualitate sint puniendi. Ideo officium ipsorum est cubicula seu conclavia, in quibus captivi detinentur, frequenter visitare & explorare, ne quid clam introducatur, quo vel se carcerati interficere, vel parietes perforare, ac fugere possint. Cæterum circa fœminas exactior diligentia est adhibenda; quæ cum sint sexu fragiliores, & iræ ac de-
Carena p. 1. t. 15. n. 11. sperationi magis succumbant, quam mares, facilius quærunt occasionem ad necem sibi inferendam. Ante omnia autem cavere debent, ne ullo modo inhonestè se

gerant

gerant cum mulieribus carceratis. Ita Congregatio Cardinalium Inquisitorum Generalium Custodem carceris, qui carceratam in S. Officio carnaliter cognoverat, triremibus per septennium addixit, cum exilio perpetuo à loco delicti: uti patet ex literis Cardinalis Arigonii 30 Januar. 1610. directis Inquisitori Cremonæ.

Si expedire putat Inquisitor ad præcavendam captivorum fugam, potest eos in compedibus & manicis ferreis ponere. Si verò tanta sit Inquisitorum paupertas, vel carcerum ipsorum penuria, ut minimè tuta sit custodia, quia nempe tenues sunt parietes, & fenestræ sine cratibus ferreis, & januæ sine firmo clavium præsidio, Magistratus ab Inquisitore requisiti, operam suam ad captivorum tutam custodiam fideliter præstare tenentur, juxta Constit. Alexandri IV. quæ incipit. *Ad exstirpanda. § Teneantur insuper.*

Nuntii, januarum custodis, & Medici ministeria quæ sint, ex officiorum ipsorum nominibus cognoscuntur. Hos volunt eligi bonos, minimeque suspectos, & ex veteribus Christianis procreatos. Simanc. tit 41. § 10.

CAPUT XIX.

De Expensis in Inquisitionis administratione requisitis, & Confiscatione bonorum, quæ huc applicantur.

CArceres hi sine sumptibus exstrui nequeunt, neque captivi in carcerem abduci, nec in carcere ali. Quare lege aliquâ declarandum fuit, unde hi sumtus petendi sint. Inquisitoribus præterea salaria sua solvenda fuerunt, nec non aliis Inquisitionis ministris. Onus hoc in initio ipsis civitatibus impositum fuit. Uti colligere licet ex Constit. Innocentii IV. *Ad exstirpanda. Teneatur autem Potestas seu Rector quilibet in expensis Communis, cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocunque Diœcesanus, vel ejus Vicarii, seu Inquisitores, vel Inquisitor, in jurisdictione vel districtu Diœcesani Episcopi, seu civitatis vel loci voluerit illos duci.* a. 1252. § 3. Bzovius.

Sanè ipsis Officialibus dentur de Camerâ Communis civitatis vel loci, quando exeunt civitatem vel locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro quâlibet die decem & octo imperiales in pecuniâ numeratâ, quos Potestas vel Rector teneatur eis dare, vel dari facere, intra diem tertium postquam ad eandem redierint civitatem vel locum: & insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum quæ occupaverunt, & mulctarum ad quas fuerunt condemnati, secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti. Sed ad nullum aliud, quod istud Officium impediat, vel impedire possit ullo modo, officium, vel etiam exercitium compellantur.

Verum cum civitates gravatè onus istud ferrent, quin & ferre apertè recusarent, bona hæreticorum confiscata usibus hisce applicata fuerunt, & Crucesignati voto se obstrinxerunt, de facultatibus suis pro fidei defensione effundendis. Ut autem distinctius percipiatur, quâ ratione bona hæc Inquisitionis usibus applicata fuerint, altius paulò materia hæc de bonorum confiscatione repetenda est.

In initio constitutæ delegatæ Inquisitionis sententia super confiscatione bonorum in terris Ecclesiæ per judicem ecclesiasticum ferebatur; in aliis verò terris per principes sæculares id fiebat; ut apertissimè indicat textus in cap. *Vergentis.* de hæret. *In terris verò temporali nostræ jurisdictioni subjectis bona hæreticorum statuimus publicari: & in aliis idem præcipimus fieri per Potestates & Principes sæculares; quos ad id exequendum (si forte negligentes exstiterint) per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compelli volumus & mandamus.* At labentibus annis indistinctè cautum est, ut sententia declaratoria super confiscatione bonorum ubique feratur per judicem ecclesiasticum, qui de crimine judicat: insuper etiam confiscationis ipsius executio, seu bonorum occupatio, fit per judicem ecclesiasticum, videlicet, per Episcopum Direct. 3 parte Comm. 148.

pum aut Inquisitorem. Cap. *Ut Inquisitionis.* § *Prohibemus.* & C. *Cum secundum leges.* § fin. de hæret. lib. 6. ibi. *Confiscationis tamen hujusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio, fieri non debet per principes aut alios dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.*

Sive hæretici pœniteant, sive non, sive convertantur antequam tradantur curiæ sæculari, sive postquam traditi sunt, bona ipsorum ipso facto, seu jure, confiscata sunt. per cap. *Cum secundum leges.* de hæret. lib. 6. ubi ita legitur. *Bona hæreticorum (qui gravius, horribilius, ac detestabilius quam prædicti delinquunt) ipso jure de Fratrum nostrorum consilio decernimus confiscata.* Nec refert, an multo vel exiguo tempore in hæresi permanserit hæreticus; quia temporis diuturnitate non æstimatur hæresis.

Si tamen aliqui sponte redeant ad Ecclesiam, antequam sint accusati aut denuntiati; vel qui statim postquam capti sunt tam de se quam de aliis, quos hæreticos esse sciunt, plenè & integrè confitentur: quique puro corde redierint, antequam dicta testium publicata fuerint, sicut ab immuratione excusari benignè possunt, ita etiam ob eandem rationem ut confiscatio bonorum eis remittatur, æquum videtur. In Italiâ consuetudine magis quam jure Pontificio receptum est, hæreticorum pœnitentium bona non publicari. In Hispaniâ verò, non solum ex eodem jure, sed ex legibus etiam regiis, bona hæreticorum, quamvis pœnitentes sint, confiscantur.

Simanc. tit. 42. § 17.

Quod verò attinet occupationem, seu apprehensionem & applicationem bonorum confiscatorum, de eâ jure civili in l. *Manichæos.* Cod. de hæret. ita scriptum est: *Quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur.* Cæterum in his bonis, quæ propter hæresim publicabantur, non succedebat fiscus, si filii hæreticorum Catholici essent; ut in prædictâ lege statutum est: *Sed nec filios hæredes eis existere aut adire permittimus, nisi à paternâ pravitate discesserint.* Et in l. *Cognovimus.* C. de hæret. amplius explicatur, quibus bona hæreticorum confiscata applicanda sint si filii Catholici non adsint; agnatis videlicet vel cognatis ipsorum, orthodoxis tamen & Catholicis: quod si nec agnatio nec cognatio recta inveniantur, res & bona confiscata fisco principis sæcularis vindicantur. Paulò post in authent. ut cum de appellat. cognosc. §. *Si quis de prædictis.* si patres essent Catholici, filii vero hæretici, hæc succedendi ratio præscripta fuit: quoniam Catholicis parentibus non succedunt filii nec alii propinqui hæretici, ut Ecclesia succedat si clericus sit, si verò laicus, fiscus. Multis verò post sæculis Fridericus Imperator circa annum Domini 1220. lege latâ, cujus initium est, *Catharos*, ita constituit. *Et omnes hæreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamiâ, diffidamus atque bannimus, censentes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur; ita quod filii eorum ad successionem pervenire non possunt; cum longe sit gravius æternam quam temporalem offendere Majestatem.*

Cum verò crimen hæresis merè sit ecclesiasticum, leges ecclesiasticas, circa ea quæ punitionem ejus spectant disponentes, prævalere debere & ubique observari contendunt. Quare cum confiscatio bonorum una sit ex pœnis adversus hæreticos latis, illud de eâ teneri volunt, quod à legibus & Constitutionibus ecclesiasticis papalibus fuerit constitutum, quibus obtemperandum est à quibuscunque cupientibus Romanæ Ecclesiæ obedire.

Primò igitur Innocentius Papa III. anno Domini 1199 vel 1200 Pontificatus sui anno secundo, apud Lateranum octavo cal. April. constituit, Epistolâ quâdam decretali, quæ incipit, *Vergentis in senium.* directâ Clero, Consulibus & populo Viterbiensi, ut bona hæreticorum confiscarentur, sicut per leges civiles jam fuerat constitutum, & in terris Ecclesiæ applicarentur fisco Ecclesiæ; in terris verò imperii fisco judicis sæcularis; idque observari præcepit, etiamsi hæretici filios haberent Catholicos, qui tamen jure civili in bonis paternis succedebant. Eadem bonorum confiscatio paucis posteà annis, videl. anno 1215.

de-

decreta fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 3. & refertur in cap. *Excommunicamus.* 1. § *Damnati verò.* constitutâ tantum differentiâ inter bona hæreticorum laicorum, & clericorum: *Ita quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur: si verò Clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.*

Inde Innocentius Papa IV. anno Domini 1252. Pontificatus sui anno nono, apud Perusium idibus Maji, per constitutionem, cujus initium est, *Ad exstirpanda.* bona hæreticorum confiscata in tres partes dividi jussit, & applicari eo modo, qui continetur hisce verbis. *Teneatur insuper Potestas seu Rector bona hæreticorum, quæ per dictos Officiales fuerint occupata seu inventa, & condemnationes pro his exactas dividere tali modo: Una pars deveniat in commune civitatis vel loci: Secunda in favorem & expeditionem Officii detur Officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint: Tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis Diœcesano & Inquisitoribus videbitur reservanda & expendenda per consilium eorumdem in favorem fidei, & ad hæreticos exstirpandos, non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo condito aut condendo.* Id confirmavit Alexander IV. anno 1259. Constitutione, quæ incipit, *Ad exstirpanda.* anno vero 1260. Genuæ per Extravagantem, incipientem, *Discretioni vestræ.* concessit Inquisitoribus in Romanâ Provinciâ & administratione Beati Francisci, ut bona hæreticorum, & aliorum de quibus ibi, venderentur, & pretium ad opus Romanæ Ecclesiæ conservarent. *Discretioni vestræ de quâ plenam in Domino fiduciam obtinemus, vendendi ac distrahendi liberè bona hæreticorum, eorumque fautorum, credentium, receptatorum, & defensorum publicata jam seu confiscata, & in posterum publicanda & confiscanda, prout commisso vobis fidei negotio expedire videritis, ita quod eorum pretium ad opus Romanæ Ecclesiæ conservetur, nec non & contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem.*

Clemens IV. qui proximè successit, anno Domini 1265. Constitutione incipiente, *Ad exstirpanda.* eandem illam trimembrem divisionem fecit; in eâ tamen explicatius bona hæc declarat. *Teneatur insuper Potestas, Capitaneus, Consul, seu quivis alius Rector, omnia bona hæreticorum, & receptatorum eorum, quæ per dictos Officiales fuerunt occupata, seu inventa, & condemnationes pro his exactas; nec non & lignamina, lapides & tegulas domorum & turrium, quæ occasione hæresis destruentur; & bona tam mobilia quam immobilia, quæ eâdem occasione confiscabuntur, dividere tali modo. Una pars,* &c.

Bonifacius VIII. anno Domini 1295. per Constitutionem suam, relatam in cap. *Cum secundum leges.* de hæret. lib. 6. similiter declaravit, ut bona hæreticorum ipso jure essent confiscata: vetuit tamen ne apprehenderentur seu occuparentur per dominos temporales, antequam per judices legitimos ecclesiasticos super crimine hæresis esset pronunciatum. Benedictus XI. Extravaganti quâdam incipiente *Ex eo.* relata tit. de hæret. inter communes, anno Domini 1303. hæc habet. *Rationem autem iidem Diœcesani proventuum obvenientium ex Inquisitionis officio à vobis, non obstante aliquâ constitutione, consuetudine vel mandato contrariis, non exposcant: Sed eam Cameræ nostræ, vel alii, cui nos vel successores nostri Romani Pontifices mandaremus reddendam, reddatis: quæ generaliter observari jubemus.*

Ex hisce Constitutionibus colligunt, si Dominus temporalis in favorem sancti Officii actu præstet ea, aut alia æquipollentia, aut majora aut similia illis, quæ per dictas Constitutiones postulantur, quod tertiam partem bonorum confiscatorum habere possit, aut etiam plus, si Papa concesserit aut sciens permiserit. Ac proinde in Hispaniâ bona damnatorum de hæresi rectè applicari fisco regio: quoniam Rex Hispaniæ non modò curam habet constituendi Senatum, qui in regiâ curiâ omnes causas totius Hispaniæ ad hujus criminis punitionem pertinentes tractat, cui præest unus ex magnis Hispaniæ Præsulibus: Verum etiam Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, quos præsul ille autoritate Pontificiâ constituit ac mittit per totam Hispaniam ad exstirpandam hæreticæ pravitatis labem, abundè subministrat expensas, & quæcunque necessaria. Cum autem multis in locis Domini temporales eas non præstent Inquisitoribus, nec actu subeant illa onera & labores, aut alia illis similia, quæ Innocentius IV. Alexander IV. &

Clemens IV. præstari jusserunt, Pegna non videt, quo jure illi tertiam confiscatorum bonorum partem sibi assignatam habere possint: Itaque putat omnia bona confiscata applicari debere ad promotionem & utilitatem sancti Officii: præsertim quoniam hodie Inquisitores proprios habent carceres, familiam propriam, & proprios Notarios & ministros, quibus majori ex parte Domini temporales nec alimenta nec salarium præbere solent: immò verò quandoque rogati nolunt quicquam persolvere: quin imò si Inquisitor Domini sæcularis satellites aut apparitores aut milites interdum petat, pro negotiis fidei exequendis, reis capiendis, aut deducendis, id non aliter exequi vult, nisi ab Inquisitore satisfactionem & pretium impensi servitii accipiat.

Hoc præsertim urget Camillus Campegius in Zanchinum cap. XIX. circa In-„quisitores Italiæ, quos dicit ex Regularibus mendicantibus assumi, qui à suis „Monasteriis vix habent unde sobriè alantur, & pauperrimè induantur. Quem „victum & indumenta, & reliqua necessaria, non à monasteriis, sed ab ipso „Officio cui serviunt habere deberent. Ipsi quippe Inquisitores adeò Officii „negotiis dediti sunt, ut religioni seu monasterio inservire nequeant, unde in „hoc religio ipsa damnificatur, quod æquum non est. &c. Adde, quod reli-„gio & monasteria ipsa propter dictum Officium plurimum etiam damnifican-„tur, quia religiosi odio habentur, & multis eleëmosynis ob eam causam pri-„vantur, & multa etiam vitæ pericula incurrunt.

Unde colligit, Inquisitorem non modò expensas, verum etiam salarium seu sportulas accipere posse. Et ad objectionem, quod hæreticorum bona confiscata Inquisitorum sustentationi deputata sint, respondet, id perquam raro eve-„nire, cum redeuntibus bona condonentur, & pauci inveniantur qui pertinaces „aut relapsi existant, & ut plurimum sunt adeò pauperes, ut nec expensas No-„tariorum dare, nec seipsos, dum in carceribus detinentur, alere valeant. Ad „alteram objectionem, quod Inquisitoribus sufficere deberet subsidium à Cruce-„signatis oblatum, seu exactum; respondet, id minimè sufficere; quia aut non „possunt, aut nolunt. Plerique enim assumtum institutum invertunt, & potius „Inquisitori praeësse quam subesse volunt, & nonnunquam huic sancto Officio „magis obesse quam prodesse noscuntur. Multi quidem inter eos inveniuntur „timorati & fidei zelatores, qui juxta emissi voti vinculum vitam & opes pro „pro fide libenter exponunt; sed pauperes & ipsi cum sint, potius egent, quam „subsidium alteri ferre possunt. Pergit. Quibus ita existentibus, prout re ipsâ „existunt, quomodò poterunt Inquisitores Officii onera sustinere? Quomodò „carceres reficere aut conficere valebunt? Quomodò custodibus & cæteris mi-„nistris satisfacient? Quomodò pauperibus carceratis victum & stratum ad dor-„miendum præbebunt? Quomodò Inquisitores ipsi Diœcesim seu provinciam „visitabunt? Quis dabit illis equos aut naves? Quis in itinere sumptus ipsis & „sociis & Notariis, & famulis ministrabit? Non enim decens aut tutum est, „quod solus Inquisitor incedat. Infinita pene sunt hujus ministerii onera, „quæ nec Episcopi, nec Communitates, nec Principes digito attingere vo-„lunt.

„Non habentibus igitur Inquisitoribus Italis beneficium, aut aliquos reditus, „aut si habent, minus sufficientibus existentibus, poterunt expensas & salarium „seu sportulas exigere: Quod facere non debent Inquisitores ac cæteri officiales „Inquisitionis, qui Episcopi sunt, ut in Hispaniâ; aut ab Apostolicâ Camerâ „sumptus habent, ut Romæ servatur; aut aliter pro ipsius Officii oneribus su-„stinendis suffragium seu subsidium recipiunt.

Zanchin. c. 26. „Hodiè dicunt Inquisitores, quod Romana Ecclesia est fiscus, quantum ad „bona hæreticorum confiscata; & quod ipsa vult, quod dimidia dictorum bo-„norum designetur suæ cameræ, & alia dimidia remaneat Officio Inquisitionis „pro incumbentibus tolerandis; & ita de consuetudine observatur.

Et Camillus Campegius in additionibus suis citat literas Innoc. IV. Archiepiscopis &

& Episcopis Provinciali Provinciæ directas. *Nos felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, volumus ut bona mobilia & domus incarcerandorum pro hæresi, quæ absque suorum præjudicio dominorum, & gravi scandalo, vendi poterunt, ac pœnæ pecuniariæ, quas per dictos fratres Inquisitores, quibuscunque pro hæreticâ pravitate, pro dicti utilitate negotii, & qualitate personarum, ac culparum quantitate pensatis, imponi contigerit, integrè conserventur pro carceribus separatis & tolerabilibus faciendis, & ministrandis necessariis expensis incarcerandis, & eisdem dictis Fratribus, & personis aliis, quas ad præfatum negotium promovendum assumere ipsos oportet*, &c. Et Extrav. *ex eo.* de hæret. § fin. *Rationem autem iidem Diœcesani proventuum obventionum ex Inquisitionis officio à vobis, non obstante aliquâ constitutione, consuetudine, vel mandato contrariis, non exposcant, sed eam cameræ nostræ, vel alii, cui nos vel successores nostri Romani Pontifices mandaremus reddendam, reddatis. Quæ generaliter observari mandamus.*

Tandem & Frater Bernardus Comensis in Lucernâ Inquisitorum paucis totam hanc materiam ita complexus est. Lucernâ Inquisitor. in voce Bona hæret.

„Bona hæreticorum, cum sint confiscata ipso jure à diē commissi criminis, „non poterunt vendi nec alienari per ipsos hæreticos; imo fiscus, vel Inquisi-„tores, vendicant sibi dicta bona sic vendita vel alienata de manibus possessoris, „nullo dato pretio, per quascunque manus transierint; nisi pretium vel aliquid „loco pretii esset in bonis ipsius hæretici, qui alienavit. 4.

„Ordinarius seu Diœcesanus nil penitus debet habere de parte proventuum „de hæreticorum bonis Officio Inquisitionis deputatâ, etiamsi ipse in Officio „Inquisitionis procedat; sed debet illud propriis explere stipendiis, & de redi-„tibus suis, cum sit ordinarius: juxta Extravag. Benedicti XI. quæ incipit, *Ex* „*eo quod.* Et Inquisitores non tenentur reddere rationem ipsis Diœcesanis de bo-„nis habitis ex officio Inquisitionis. ibid. 5.

„Quia nunc communiter Crucesignati in subsidium Officii Inquisitionis so-„lent facere omnes expensas necessarias pro executione dicti Officii ad arbitrium „Inquisitorum, & ipsi ponunt Officiales pro ipso Officio necessarios, prout „Inquisitores volunt, & ipsis Officialibus solvunt; ideò nunc introducta est „consuetudo, quod confiscationes, quæ fiunt de bonis hæreticorum per Inqui-„sitores, applicantur Officio Inquisitionis administrandæ per ipsos Inquisito-„res, vel per ipsos Crucesignatos, ad arbitrium ipsorum Inquisitorum, pro „expeditione dicti Officii Inquisitionis, vel pro causis pertinentibus ad ipsum. 6.

„Quando confiscantur bona hæreticorum, non intelliguntur tantummodò esse „confiscata illa quæ sunt in illo territorio, ubi fit condemnatio: sed etiam ea „quæ sunt in alio territorio, & fiet executio per Officiales illius loci ubi sunt bo-„na: ut putà, quidam Bononiensis origine, habens ibi multa bona, constituit do-„micilium Florentiæ, & ibi per Inquisitorem Florentinum damnatur de hære-„si: Inquisitor Bononiensis occupabit bona quæ sunt Bononiæ, quia Bono-„niæ est bursa Romanæ Ecclesiæ, sicut & Florentiæ. Secus autem de por-„tione Officialibus obveniente. Vide declarationem Nicolai IV. anni 1291. die „quintâ Octob. 7.

„Bona autem mobilia rei sita in alio territorio debentur Fisco loci in quo facta „fuit publicatio bonorum contra reum.

CAPUT XX.

De Salariis Inquisitorum, aliorumque ministrorum.

EX iis quæ hactenus dicta sunt, manifestè liquet, non ubique eandem observari rationem Inquisitoribus salaria exhibendi, sed illam, prout bona confiscata diversimodè vel à dominis sæcularibus, vel ab Inquisitoribus occupantur, admodum esse diversam.

Du Cange in voce Inquisitio. Olim in Galliâ Inquisitorum istiusmodi expensæ & ad victum necessaria ex Fisco regio subministrabantur à Ballivis, qui eo ævo bailliviarum suarum percipiebant reditus, & de iis in Camerâ Computorum ratiocinia sua edebant: quod ex eorum computis liquet. Aliquot enim eorum pro termino Ascensionis anno 1248. exhibent expensas Fratrum Inquisitorum. Exstat etiam in Chartophylacio regio, in Regesto 36. Cap. 16. diploma Philippi Pulchri, quo non tantum ad victum necessaria Inquisitoribus ministrari jubentur, sed & ut Ballivi Inquisitoribus auxilium & consilium præstent ad officii sibi demandati executionem. *Senesc. Tholosæ & Carcass. Sal. Cum Frater Guillielmus de Morreriis de Ordine Prædicatorum, de quo nobis laudabile testimonium perhibetur, sit de novo Inquisitor Tholosæ autoritate Apostolicâ deputatus, ut dicitur: mandamus vobis, quatenus carceres nostros, Muros ad custodiam detentorum pro crimine hæresis vulgariter appellatos, in solo nostro constitutos, aliaque ad dictum Inquisitionis Officium necessaria, nec non pecuniam ad ipsius victum, & officium exercendum, liberari & ministrari faciatis, eidem in sui executione Officii auxilium, favorem, & consilium impendentes, prout aliis Inquisitoribus hactenus fieri consuevit, & quamdiu nostræ placuerit voluntati. Actum apud Vicenn.* 1302.

Bzovius a. 1292. § 5. Jacobus Rex Aragoniæ in lege, quæ incipit, *Quoniam fidei Catholicæ.* latâ 10. Cal. Maji 1292. ita statuit. *Similiter etiam volumus & mandamus, quod provideatis iisdem* (Inquisitoribus) *in expensis, & solvatis omnes sumptus, quos ipsi pro dictâ Inquisitione fecerint, tam in equitaturis, quam in aliis, prout ipsi vobis dixerint, quotiescunque ab iis, vel altero ipsorum, fueritis requisiti.*

Eymer. part. 3. qu. 104. Comm. 153. „In Italiâ & alibi, ubi pauperes sunt Inquisitores, Respublica eos, qui in „illâ degunt, alere debet; quod multis veterum Pontificum rescriptis cautum „est: præsertim in rescripto Innocentii IV. incipiente. *Ad exstirpanda.* Tum & Crucesignatorum officium est opibus suis Inquisitores sustentare, ad quod voto se obstrinxerunt.

Qu. 104. Comm. 153. In Hispaniâ omnia hæc certis legibus sunt definita. De expensis quæ in reos fiunt dum in eos inquiritur, ita definivit Instructio Madriliana anni 1561. cap. 9. *Sumentur ex bonis sequestratis ipsius delinquentis pecuniæ, quæ videbuntur necessariæ ad deducendum reum usque ad carceres: & amplius sex vel octo aurei ad alendum reum: nec in expensis plus reo computandum est, quam fuerit ei necessarium, & jumentis, quæ ipsum reum & lectum in quo dormiat deferunt. Quod si in bonis sequestratis pecuniæ numeratæ non reperiantur, vendentur minus necessaria bona usque ad præfatam quantitatem: id verò quod præceperit hujus negotii executor conscribendum curabit in fine sequestri, & quod remanebit assignabit carceratorum dispensatori coram scribâ sequestrationis: de quibus omnibus certiores debent fieri Inquisitores.*

In multis Inquisitionibus hæc tam exquisita observatio non reperitur, vel ob paupertatem, vel ob alias causas; in quo quisque suæ Inquisitionis receptam consuetudinem observat.

In Hispaniâ etiam Inquisitoribus cæterisque sacri Officii ministris salaria statuta sunt, quæ certis statisque temporibus ipsis solvuntur ex bonis publicatis, juxta eam quantitatem & ordinem, quem copiosè ostendit Simancas de *Cathol. Instit. tit.* 41. *n.* 33, & 34.

§ 33. „Salaria Inquisitoribus & ministris à Repub. solvenda sunt, cui magno qui„dem labore, sed majore utilitate inserviunt. Cuilibet igitur Inquisitori præfi„nita sunt sexaginta millia annua, hodie centum millia nummorum, quorum „quælibet æstimantur duobus nummulis æreis, quos albos vulgo appellant; Ju„dicibus bonorum publicatorum triginta millia; Promotori Fiscali totidem: Ta„bellioni sive notario triginta; Executori sexaginta; Receptori totidem; nuntio „viginti millia; custodi januarum decem millia; medico quinque millia: quæ „salaria possunt augeri arbitrio generalis Inquisitoris, & solvenda sunt à Recepto„re temporibus præfinitis, qui si secus fecerit privari poterit ab Inquisitoribus „ipsis officio. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 2. & *Instruct.* 3. *Valdolitana cap.* 13.

§ 34. „Hæc omnia salaria solvuntur ex bonis publicatis, & pars tertia præstari debet

„ bet in principio cujusque quadrimestris, & exinde deberi incipiunt, ex quo ju-
„ dices & ministri proficiscuntur ex domibus suis ad negotia hujus sanctæ Inqui-
„ sitionis tractanda: Quod si moriantur ante quadrimestre completum, nihilo-
„ minus eorum erunt, nec ab hæredibus repetenda sunt.

„ Assessores seu consultores nullo stipendio fruuntur, quin imò ab Inquisito- § 13.
„ ribus vocati consilium gratis præbere debent, ut quidam jurisperiti ajunt; &
„ quamvis possint salarium sponte oblatum recipere, illud tamen petere neque-
„ unt: quia negotium Catholicæ fidei omnes Christiani defendere ac procurare
„ tenentur. Cæterum Assessores, qui sunt oculi judicum, in quâcunque causâ,
„ etsi spiritualis illa sit, justè accipiunt salarium pro ministerio & labore: sed
„ multa honestè accipiuntur, quæ inhonestè petuntur.

„ Stipendium ex bonis Fisci datur Advocatis, ut pauperum causas defendant: Tit. 5 § 6. 7.
„ quod perexiguum esse quidem solet, sed honorificum. Si vero rei pauperes
„ non sint, merces advocatis ex bonis eorum tribuenda est. 1. *Instruct. cap.* 16.

Cautum etiam est in Hispaniâ multis Constitutionum capitibus, ut Inquisitores qui dona acceperint in sententiam excommunicationis incurrant, & officio priventur, & duplum reddant: idque etiamsi ab Officialibus dona acceperint; *prima Instructione Hispalensi cap.* 25. *& Instruct.* 2. *cap.* 1. *& Instruct.* 4. *cap.* 15. uti tradit Simancas *de Cathol. Instit. tit.* 34. *num.* 45. Eisdem Instructionibus porro constitutum est, ut ministri omnes suis sint stipendiis contenti, & munera non accipiant, ne poculenta quidem aut esculenta: qui vero ex illis accepisse aliquid convictus fuerit officio privatur, duplum solvit, & in excommunicationis sententiam incurrit, & decem millibus nummis mulctatur: si quis autem ex ministris id sciverit, & Inquisitoribus non revelaverit, iisdem pœnis plectitur. Verba Instructionis anni 1484. cap. 1. ita sonant. *Item decreverunt, quod Inquisitores, & Assessores Inquisitionis, & alii ejus Officiales, quales sunt Advocati, Fiscales, Executores, Notarii, & Janitores, debent abstinere à recipiendis donis & muneribus à quibuscunque personis, quas dicta Inquisitio tangit vel tangere possit, nec ab aliis personis vice prædictarum. Et quod Inquisitor Generalis debet illis præcipere, ne quid recipiant, sub pœnâ excommunicationis, & privationis officiorum, quæ habuerint à sanctâ Inquisitione, & sub pœnâ restitutionis dupli eorum quæ taliter acceperunt.*

Paramus autem hanc constitutionem ita non interpretatur, ut Inquisitores, si dona acceperint, excommunicationem & officii privationem incurrant; sed tantum, quod ab Inquisitore Generali pœnæ illæ possint imponi. Credit etiam, si de re minimâ agitur, licitum esse Inquisitoribus sponte oblata recipere: melius tamen, ipsius judicio, facient Inquisitores, si nihil omnino acceperint, nec à reis, quod est valde suspectum; nec à consanguineis vel amicis eorum, nec à quibusvis aliis. Lib. 3. q. 2. n. 68.

Ministro autem Inquisitionis prohibitum est, ne alicui negotiationi se immisceat, neque id facere possit per interpositas personas; qui verò contra fecerit, officio privetur, & viginti millibus nummis mulctetur, & qui hoc non prodiderit, excommunicetur. 4 *Instruct. Tolet. cap.* 12. Simancas de Cathol. Instit. tit. 41. n. 38.

Prohibitum etiam est Inquisitoribus & ministris, ac Receptoribus, ne quid emant ex bonis publicatis, etiamsi publicè vendantur. Qui verò aliquid emerit, quamvis id faciat palam & bonâ fide, nihilominus in sententiam excommunicationis incurrit, & centum aureorum mulcta puniendus est. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 23. § 29.

Nihilominus Inquisitores (referente autore historiæ Inquisitionis Goanæ) duabus rationibus ingentes sibi divitias accumulare norunt. Cum captivorum opes sectione factâ per præconem distrahuntur, non obstante hoc interdicto, submittere ipsi aliquem ex domesticis solent, qui quæcunque dominis suis arrident quam minimo licitetur; ipsi autem satis securi sunt domesticis suis licitantibus neminem plus oblaturum: atque ita maximi pretii res dimidio aut minori ipsis addicuntur. Porrò & Inquisitoribus jus est, quando pretium bonorum confi- c. 23.

scatorum regio infertur thesauro, impensis suis & necessitatibus subsidia atque sumtus, quando & quantos libet, exinde poscere, ut tamen nec ipsi ostendant, nec quisquam alius inquirere audeat, cui usui hæc erogentur.

Similiter refert Reginaldus Gonsalvius Montanus in Hispanicæ Inquisitionis artibus cap. x. Inquisitores xeniolis, quæ amici affinesve vinctorum mittunt, nonnunquam deliniri, ut vinctus commodius aliquantum tractetur: Sed hic dexteritate esse utendum, ut munera ab Inquisitore non recusentur. Primò ergo ex ministris Inquisitoris quispiam muneribus est alliciendus; in quo nulla est difficultas, modo id clam fiat. Inquisitores vero sollicitati muneribus respondere solent, Sanctum illud tribunal esse incorruptum, quod cujuscunque generis munera accipere nullo modo ferat. Interim non deëst Inquisitori in suo famulitio aliquis ex fratre aut sorore nepos, aut saltem famulus per quam charus, æquè atque ipsemet suspiciendus, neque alter ex famulis, qui Inquisitorem vidit dona sibi oblata recusantem: is ad captivi amicum accedens nepotem domini Inquisitoris digito ostendit: tum qui munere quopiam Sancti tribunalis integritatem anteà frustrà tentaverat, modo non sit stipes, facilè intelligit hoc sibi dictum esse, ut hac viâ integrum aliàs & invictum Inquisitoris animum expugnet.



HIS-

HISTORIA INQUISITIONIS.

LIBER TERTIUS,

De Criminibus ad Inquisitionis Tribunal spectantibus.

CAPUT I.

De Hæreticis eorumque pœnis, ac primò quidem Ecclesiasticis.



Crimen cujus judicium Inquisitoribus demandatum est; est hæresis: Sunt enim Inquisitores hæreticæ pravitatis, & in exstirpandâ hæresi totum ipsorum munus occupatur. Verum diversimodè circa hæresin delinqui potest, juxta Ecclesiæ Romanæ statuta, crimenque alterum altero gravius est: Hæreticorum enim alii sunt manifesti, alii occulti; alii affirmativi, alii negativi; alii impœnitentes, alii pœnitentes: alii hæresiarchæ: alii Credentes hæreticorum, alii Receptatores, alii Defensores, alii Fautores hæreticorum: alii Impeditores officii Inquisitionis; alii Suspecti de hæresi: alii Diffamati de hæresi: alii Relapsi. Rursus quidam sunt, qui alia crimina committunt, per quæ hæreseos suspicionem incurrunt, aut quæ per aliorum tribunalium judices puniuntur, verum ob dictum aut factum aliquod hæreticale, quod admiscent, reatum coram Inquisitionis tribunali contrahunt. Declarandum itaque est, quæ singulorum sint crimina, & quæ in singulos pœna constituta. Tandem & Judæi certis quibusdam casibus, & redeuntes ad ritus Judæorum, nec non Lamiæ & Veneficæ, quatenus fidem abnegare dicuntur, coram Inquisitorum tribunali sistendi sunt. De singulis itaque ordine dicendum est.

Ac primò quidem, quod hæreticos attinet: Eymer. part. 2. qu. 32.

Ut quis verè & propriè hæreticus dicatur, tria requiri docent. Primum, ut fidem Catholicam sit professus, id est, ut sit baptizatus. Secundum, error eorum in intellectu, quæ fidei sunt. Quænam vero fidei sint autores Pontificii disquirunt; verùm omnia tandem eò reducuntur, ut fidei sint omnia illa, quæ aut à Concilio Generali, aut à Papâ definita sunt ut necessariò credenda, aut tanquam traditio Apostolica præscripta. Idque dicitur facere hæreticum initiativè & dispositivè. Tertium est pertinacia in voluntate. Ea duobus modis detegitur. Primus est, quando à judice fidei quis vocatus, ab eo informatur, dogma quod ipse credit esse contra articulum fidei, seu contra determinationem Ecclesiæ ut de fide factam; & nihilominus perseverat in suo errore. Alter est; quando quis post deprehensionem sui erroris ad mandatum judicis fidei ab eo non vult resilire, illum abjurando, & satisfactionem congruam exhibendo.

Crimen hoc adeo latè à Romanæ Ecclesiæ Doctoribus extendi solet, ut inter hæreses referant, quæcunque repugnant qualicunque opinioni in Ecclesiâ receptæ, licet sit merè philosophica, nullumque in Scripturâ Sacrâ habeat fundamentum. Qualis est illa assertio Bernardi Comensis in Lucernâ Inquisitorum, in voce *Hæresis.* § 14. *Hæreticus est, qui dicit, defendit, seu tenet pertinaciter, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter. Ut patet in Clement. unicâ de summâ Trinit. § Porro.*

Pœnæ in hæreticos constitutæ multæ sunt, ac gravissimæ. Quoniam in Ecclesiâ Romanâ hæreseos crimen omnibus aliis criminibus, qualiacunque sint, longè præponderare creditur. Eæ autem diversimodè distribui solent. Quidam eas distribuunt in Ecclesiasticas, & civiles. Alii dicunt: Quasdam hæreticis infligi à jure, & ipso facto; quasdam verò venire ab homine infligendas. Conradus Brunus de *hæret. lib. V. cap* 3. § 1. ut omnes comprehendat, & distinctè singulas proponat, distinctione utitur trimembri.

Brunus lib. 5. c. 3. § 1. &c.

„ Humanarum pœnarum in hæreticos constitutarum quædam ecclesiasticæ sunt „ sive canonicæ, quas sacri canones sanxerunt, ut excommunicatio, ecclesiasticæ sepulturæ privatio, dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum destitutio: Quædam civiles, quas leges civiles statuerunt, ut interdictio privilegiorum & beneficiorum juris, mulctæ pecuniariæ, exilium, ultimum supplicium, bannum: Quædam mixtæ, quas communiter sacri canones „ & leges imperatoriæ constituerunt, ut, bonorum confiscatio, fidelitatis subditorum relaxatio, infamia, interdictum ecclesiasticum. Mihi maximè bimembris distributio placet, quâ pœnæ distribuuntur in Ecclesiasticas & Civiles. Per Ecclesiasticas intelligo, quæ malum aliquod spirituale creduntur infligere, & quarum respectu homo consideratur cum relatione ad Ecclesiam. Civiles voco, quibus homini infligitur malum aliquod, corpus aut facultates ipsius spectans, & quatenus consideratur ut membrum societatis civilis: sive pœnæ illæ jure civili, sive canonico, sive utroque constitutæ sint.

Rationem autem, cur pœnis adeò sævis cum hæreticis sit agendum, non autem ex Scripturâ convincendi sint erroris & falsæ doctrinæ, lepidam sanè adfert Simancas *de Cathol. Instit. Tit. LIX.* § 11. *Non est in Scripturis adversus hæreticos constituendum certamen, in quibus aut incerta, aut parum certa victoria est.* Non mirum itaque, doctrinas, quæ Scripturarum præsidio destituuntur, vi ac suppliciorum atrocitate defendi, ac pœnæ metu exprimi confessionem, quæ, quoniam rationum pondere ac claris Scripturarum testimoniis destituta est, animo persuaderi nequit. Verùm tempus est, ut omnes in hæreticos constitutas pœnas recenseamus.

Prima pœna hæreticis jure Canonico irrogata est Excommunicatio, ut patet ex cap. *Cum Christus.* & cap. *Sicut ait.* & cap. *Ad abolendam.* & cap. *Excommunicamus.* de hæret. Eaque jam olim obtinuit inter Christianos: Nam ex quo tempore cœperunt Concilia celebrari ad exstirpandas hæreses, introductus est mos excommunicandi hæreticos. Excommunicatione hac arcentur hæretici à Sacramentis, privantur communibus Ecclesiæ suffragiis, & repelluntur à consortio piorum ac fidelium. De hac ita statuit Synodus Vernensis anno IↃCCLV. cap. 9. *Et ut sciatis qualis sit modus istius excommunicationis, in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere, nec ejus munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare.*

Du Cange in voce Excom.

Brunus lib. 5. c. 3. § 6.

Ritus in Excommunicatione hic observari solet: „ Quando Episcopus anathema pronuntiat, debent eum duodecim sacerdotes circumstare, & lucernas „ ardentes in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus; deinde epistola per „ parochias mittatur, continens excommunicatorum nomina, & causam excommunicationis.

Excommunicatio autem vel major est, vel minor. De utrâque ita definivit Synodus Nemausensis anno CIↃCCLXXXIV. *Dicitur* Major excommunicatio, *cum dicit Prælatus,* Excommunico te. *Talis excommunicatio separat excommunicatum à communione fidelium, & participatione & perceptione Sacramentorum.* Minor *autem* excommunicatio *dicitur, cum quis communicat excommunicato majori excommunicatione; & tunc participans excommunicato est remotus à perceptione Sacramentorum: ita non debet recipere Eucharistiam vel alia Sacramenta, quousque fuerit absolutus.* Interdictum *dicitur, cum dicit Prælatus,* Interdico te; *vel dicit*: Suppono te ecclecle-

clesiastico interdicto; *vel*, Interdico seu prohibeo tibi ingressum Ecclesiæ: *& talis interdictus, & ille qui est majore excommunicatione ligatus, non debent intrare Ecclesiam, quamdiu sunt in sententiâ, sed nec juxta Ecclesiam stare, quando divina officia celebrantur.* &c.

Est autem Interdictum generalis excommunicatio, quæ fertur in provinciam, vel villam, aut castrum, *cap. 17. de Verbor. signif.* Quid autem sit, negotiis Ecclesiasticis applicatum, docet nos Brunus.

„ Interdictum ecclesiasticum inter præcipuas ecclesiasticas censuras una est, quâ „ scilicet divinis interdicitur, quæ & ipsa maxima pœna est, quæ scilicet usu di- „ vinorum & sacramentorum privat, & ut civile interdictum corpus, ita eccle- „ siasticum animam afficit. Fertur autem interdictum interdum in personam, „ interdum in locum. In personam, veluti si Universitas vel Capitulum interdi- „ catur. In locum, veluti si Civitas vel Ecclesia interdicatur. Et hæc quidem in- „ ter se differunt. Nam interdictâ Universitate, Clerici januis apertis, & pulsa- „ tis campanis, sed exclusis excommunicatis & interdictis, altâ voce celebrare „ possunt. Sed interdicto loco, celebrare non possunt. Porro interdictâ Uni- „ versitate, non Universitas ut corpus, sed singulares personæ interdictæ videntur: „ quia materia interdicti non ad corpus ipsum, sed ad singularia membra propor- „ tionatur. Sed interdictum propter delictum Rectorum Universitatis vel com- „ munitatis in totam communitatem ferri potest. Quo casu & nocentes, & inno- „ centes ecclesiastico interdicto subjecti sunt, maximè ii qui præsentes fuerint, & „ scientes, & delictis Rectorum non contradixerint. Tamen verius est, hoc ca- „ su omnes cives, etiam ignorantes & innocentes, interdicto ligari.

Brunus l. 5. c. 18. § 10.

Formula Interdicti exstat in Concilio Lemovicensi, anno CIↃCCCI. Sess. 2. *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publicâ excommunicatione; eo videlicet modo, ut nemo, nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans à bimatu & infrà, in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, & baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur; & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tantum, quas unusquisque sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat. Nemo alteri osculum det. Nemo Clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos quibus in Quadragesimâ vesci licitum est. Nemo laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti principes, capita populorum, per omnia sancto obediant Concilio.* In interdictis denudata etiam altaria, prostratas cruces ad terram, & reliquias Sanctorum, & inversa cymbala, docent Synodi aliquot Landavenses in Conciliis Anglicanis post leges Ecclesiasticas Alvredi Regis descriptæ.

Du Cange in voce Interdictum.

Exstat alia formula Interdicti in Codice MS. Bellovacensis Ecclesiæ Capitul. Caroli Magni. *In Christi nomine ego Hildegarius Episcopus* (Bellovacensis) *ex parte Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ex parte sancti Petri Apostolorum principis, & ex nostrâ parte, excommunicamus & interdicimus hanc Ecclesiam, & omnes Capellas ad illam adspicientes, ut nullus habeat licentiam Dei omnipotentis, & Sancti Petri Apostolorum Principis, ab hac die in anteà Missam cantare, nec audire, nec ullo modo divinum officium ministrare, nec decimam Dei omnipotentis accipere, nisi per nostram licentiam: & quicunque contra hæc interdicta aut Missam cantare, vel audire, vel in aliquo loco divinum officium ministrare, aut decimam Dei omnipotentis accipere præsumserit, ex parte Dei Patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus Sancti, & ex parte sancti Petri atque Sanctorum omnium sit excommunicatus, & maledictus, & à consortio Christianorum segregatus, & à liminibus sanctæ Matris Ec-*

Ecclesiæ, ubi fit remissio peccatorum, separatus, & sit anathema maranatha usque in finem sæculi cum diabolis in inferno. Fiat, fiat, fiat. Amen. Instituit autem Bonifacius VIII. ut non obstante interdicto ecclesiastico in quatuor festivitatibus divina celebrari possent, quibus festum Corporis Christi adjecit Urbanus VI. ut est in Magno Chronico Belgico, anno CIↃCCCLXXXIX.

Pegna part. 2. Com. 22. Hierolex. in voce Processus.

Olim fuit in usu, ut ter in anno solemni ritu hæretici cujuscunque sectæ anathematizarentur, videlicet in diē cœnæ Domini, Adscensionis, quando scilicet Christus pro omnibus fidelibus deprecatus est, & in festo dedicationis Basilicarum Petri & Pauli; ad denotandum, quod excommunicatus sacramento cœnæ sit privatus, de precibus Ecclesiæ participare nequeat, & ab Ecclesiâ expellatur ne cum aliis fidelibus orare possit. Illis ritibus tandem successisse videtur processus Bullæ, quæ dicitur *in cœnâ Domini*, quæ annis singulis in diē Jovis sanctâ de mane ab ultimo Diacono Cardinali publicè altaque voce legitur, astante cum cæteris Cardinalibus & Episcopis Pontifice, quâ in primis hæretici universi anathematizantur, cujusque lecturâ peractâ Pontifex faculam accensam in plateam projicit in signum fulminationis contra excommunicatos. Usus enim hujus bullæ non videtur admodum antiquus, cum nec Thomas, nec Eymericus, nec alii vetustiores scriptores ejus meminerint; sed à tempore Martini V. circa annum Domini 1420. quo tempore Bohemorum doctrina in Concilio Constantiensi fuit damnata, cœpisse videatur; ac de eâ mentionem jam faciant Paulus II. & Sixtus IV. quibusdam rescriptis, incipientibus, *Etsi Dominici Gregis.* Post Leo X. adversus Lutherum eam auxit, ac deinde Paulus III. & cæteri Romani Pontifices.

Becani Theol. Scholast. p. 581.

Excommunicatio hæc alias etiam involvit pœnas: Si enim hæreticus excommunicatus habeat jurisdictionem spiritualem, eam amittit, nec validè efficit eos actus, qui requirunt jurisdictionem: Quoniam enim jurisdictio datur per Ecclesiam, etiam per eam potest auferri. Hinc omnia quæ fiunt à Sacerdote vel Episcopo non tolerato, sunt irrita, propter defectum jurisdictionis. Irritæ itaque sunt absolutiones, censuræ, sententiæ, pœnæ ab eo irrogatæ. Sic cap. *Audivimus. 24. Quæst.* 2. dicitur, excommunicatum non posse excommunicare. Et ibid. cap. *Aperte.* non haberi excommunicatos, qui ab hæreticis excommunicantur. Potestas tamen Ordinis in illo manet; & per eam validè exercet actum qui non requirit jurisdictionem; non tamen licitè, quia exercendo peccat. Et rationem addunt: quia potestas Ordinis consistit in charactere qui indelebilis est. Unde colligunt, eum, qui semel legitimè accepit talem potestatem, semper illam retinere; ac proinde validè posse exercere actum, qui non requirit jurisdictionem, modò servetur debita materia, forma, & intentio: quia potestas illa vim suam habet ex institutione Christi, quam Ecclesia auferre non potest.

Eymer. part. 3. Qu. 113. Pegna com. 162.

Exinde jam liquet, hæreticos privari omnibus beneficiis ecclesiasticis & dignitatibus. Cap. *Ut Commissi.* § *Privandi.* de hæret. lib. VI. Hoc autem interest inter hæreticos, & eorum fautores, receptatores ac defensores, quod hæretici ipso jure privati sint beneficiis ecclesiasticis à diē commissi criminis, per rescriptum Pii V. quod incipit, *Cum ex Apostolatus.* ubi universa beneficia, cujuscunque generis fuerint, & ubicunque vacantia, propter hæresis crimen à quocunque commissum, ordinationi & dispensationi sedis Apostolicæ reservavit. Receptatores autem, fautores ac defensores, non sunt ipso jure privati beneficiis obtentis, sed per sententiam privandi. Cap. *Excommunicamus* 1. § *Credentes.* de hæret.

Qu. 114. Comm. 163, 164.

Idque extenditur ad eorum posteros, per paternam lineam usque ad secundam generationem, per maternam verò ad primam. Cap. *Quicunque.* § *Hæretici.* de hæret. lib. VI. & Cap. *Statutum.* de hæret. lib. VI. Si ergo pater est hæreticus, filius ejus & filia, & similiter nepos ex filio censetur inhabilis; secus verò si fit nepos ex filiâ; quia cum sequatur familiam patris, non est inhabilis: Si verò mater est hæretica, solus filius vel filia in primo gradu efficitur inhabilis, & non ulte-

ulteriores. Filii suspectorum de hæresi etiam sunt inhabiles: post mortem tamen fautorum, receptatorum, & similium, non potest in eos agi, quia crimen eorum morte exstinguitur. In filiis verò eorum, qui parentes hæreticos judicibus fidei deferunt, pœnæ à jure statutæ locum non habent.

Inter pœnas Ecclesiasticas etiam recensetur, quod pro defunctis in hæresi oblatio non sit facienda, nec ipsi inter Christianos accipere possint sepulturam. Cap. *Sicut ait B. Leo.* de hæret. Idque speciatim Constitutione perpetuâ sanxit Innocentius IV. illo solemni dicto adductus: *Non convenit in locis sacris fidelium tumulari corpora excommunicatorum; ut quibus vivis Ecclesia non communicavit, non communicet & mortuis.* Bzovius a. 1247. § 4. n. 15.

CAPUT II.

De pœnis civilibus hæreticorum.

POEnæ politicæ, tam à jure Canonico quam civili in hæreticos constitutæ, variæ sunt.

Prima est, publicatio bonorum, quæ confiscatio vulgo appellatur. cap. *Vergentis in senium.* de hæret. *In terris verò temporali nostræ jurisdictioni subjectis bona hæreticorum statuimus publicari; & in aliis item præcipimus fieri per Potestates & Principes sæculares, quos ad id exequendum (si forte negligentes exstiterint) per censuram ecclesiasticam appellatione remotâ compelli volumus & mandamus.* Quin & ipso jure bona hæreticorum declarantur confiscata, per cap. *Cum secundum leges.* de hæret. lib. VI. *Bona hæreticorum (qui gravius, horribilius, ac detestabilius quam prædicti delinquunt) ipso jure de Fratrum nostrorum consilio decernimus confiscata.*

Hæc lex magni in tribunali Inquisitorio est usus, & reis eorumque consanguineis ac hæredibus admodum gravis ac dura.

„Quoniam hæreticorum bona ipso jure sunt confiscata, inde est, quod à die „criminis bona illius publicentur. Quo efficitur, ut donationes ab hæretico, „quantumvis occulto, factæ, imperfectæ sint & non valeant. Quin etiam do„tes filiis datæ, quamvis pro oneribus matrimonii dentur, & officium pater„num sit filias dotare, vel etiam filiis sanctimonialibus datæ ut vitam monasti„cam agant, à Fisco revocantur: Rationem reddit Zanhinus, cap. 27. Quia „à die commissi criminis bona fuerunt confiscata, & ei administratio à jure in„terdicta. Sed bona ejus qui defecit in purgatione, aut propter contumaciam „damnatus est, non publicantur, nisi ab eo die quo hæreticus esse præsumitur, „non autem à tempore quo testes ajunt illum fuisse hæreticum. Simanc. tit. 9. § 21. &c.

„Si aliquis mortis causâ donaverit, & in hæresim inciderit, ac bona ejus con„fiscata fuerint, revocatur donatio, ut imperfecta, & cum cæteris hæretici bo„nis ad fiscum pertinet. Si maritus uxori donaverit, & post mortem propter „hæresin memoria ejus damnata sit, revocabitur donatio, quamvis ea quæ „aliis donaverit valeant. Imò etsi aliqua hæretico ex contractu conditionali „debeantur, ad fiscum quoque pertinent existente conditione, & jus conditio„nis implendæ ad fiscum transit, si modò fiscus commodè conditioni parere „possit. Omnia bona uxoris hæresis impietatisque damnatæ publicantur, sive „dotalia sint bona, sive paropherna, sive donationes illæ quas Hispani vocant „arrhas; sive lucra, quæ regiis legibus ad uxores pertinent: Sed omnes actio„nes salvas habet maritus contra fiscum. Similiter & peculium castrense filii „hæretici confiscatur, quia illud est proprium filii familias, nec in eo ullum „jus patris est. Quod si bona quædam vendiderit, & pretium illorum exstet, „seu aliud loco pretii, tunc bonæ fidei emptori restituetur; si verò consumtum „est, non restituetur. § 9. &c. Zanch. c. 27.

Hinc est, quod in sententiâ tempus quando quis in hæresin incidit accuratè ex- Zanch. c. 41.

exprimi soleat, & sententiæ etiam hæc aut similia soleant inseri: *Et per hanc nostram sententiam declaramus, ejus bona omnia à dicto tempore commissi criminis in nostrum fiscum fuisse delata, ac omnia & singula Cameræ Romanæ Ecclesiæ & nostri Officii Inquisitionis confiscamus & solemniter publicamus.*

Non tamen ad bonorum publicationem deveniendum est, nisi quis per sententiam judicis declaratus sit hæreticus: nam, ut ait Brunus,

lib. 4. c. 12. § 3. „Jure cautum est, ut qui in hæresim prius damnatam inciderit, neque habitus sit pro hæretico, neque ut hæreticus puniendus, nisi judicis sententiâ pronuntiatum fuerit, eum principali damnatione esse astrictum. Sic licet hæretici bonorum suorum dominium ipso jure perdant; tamen nisi latâ declaratoriâ sententiâ ad confiscationem bonorum perveniri non potest. Quod tamen „& ipsum de eo crimine accipiendum est, de quo judici nec per confessionem, „neque per legitimas probationes, neque rei ipsius evidentiâ liquet. Nam in „notoriis criminibus, quæ declaratione non indigent, fortasse neque declaratoria necessaria erit, quod Dominico placuit; qui satis esse putat, si hæreticus „termino sibi ad excusandum factum à judice statuto non compareat, neque „excusationem afferat, ut absque sententiâ etiam declaratoriâ contra ipsum executio fieri possit: quanquam sunt, qui in notoriis etiam criminibus declaratoriam exigant, nec sine eâ ad exequutionem procedi posse existiment.

Hæc bonorum publicatio adeò strictè exigitur, ut nullâ penitus ratione, ne quidem per bonorum alienationem evitari queat: fiscus Inquisitionis omnia ad se rapit. Ita legimus inter pacis conditiones Raymundo Comiti Tholosano præscriptas, etiam has fuisse.

Bzovius a. 1228. § 6. No. 11. *Item statuimus, quod intelleximus, quod credentes hæreticorum, cum proponunt se facere, secundum vitam eorum detestabilem, hæreticos perfectos, ante præcedens tempus possessiones suas & hæreditatem in fraudem fisci vendunt, vel donant, vel pignori obligant, aut modis aliis alienant; hujusmodi contractibus in irritum revocatis non obstantibus, prædicta bona confiscentur, si consideratis circumstantiis dictorum contractuum & ipsorum contrahentium, nobis fuerit visum, dicta bona translata causâ fraudis exstitisse.*

No. 12. *Item quia intelleximus, quod quidam hæreticorum sub specie mercatorum vel peregrinationis se transferunt ad hæreticos, ut sub tali absentiâ eludant fiscum, ut subtrahant bona sua, si coram Episcopo loci, qui super hoc propinquos, vel eos qui bona hujusmodi absentium tenent, monuerint & requisierint, & ab iisdem propinquis vel tenentibus bona eorum intra annum, computandum à tempore monitionis ejusdem Episcopi, probatum non fuit legitimè illos absentes justâ de causâ & rationabili absuisse, & tamen abesse; statuimus, ut si alias suspecti fuerint, contra ipsos tanquam contra hæreticos præsumatur, & eorum bona omnia confiscentur. Si ipsi verò, vel successores eorum, vel qui bona eorum tenent, post confiscationem bonorum, vel ante, justam & probabilem causam suæ absentiæ ultra prædictum tempus probare potuerint, bona illa eis legitimè relinquantur, vel restituantur.*

Eadem, quæ hisce conditionibus Comiti Tholosano præscribuntur, in Italiâ jussu Papæ observata sunt, ne ullo prætextu alienationis bonorum confiscatio aut dominii privatio evitetur. Refert Lucas Waddingus in Annalibus suis,
a. 1260. § 5. &c. quod Frater Andreas, Inquisitor in Tusciâ, &c. procedebat ad capturam cujusdam potentis hæretici Capelli de Chia. Præcepit Pontifex, ut fideles quicunque, tam Ecclesiastici quam sæcularis ordinis, suo adessent auxilio, etiam exercitum contra eum conscribant, & ad depopulationem & exterminium terrarum ipsius hostiliter procedant. Capellus de Chia se proscriptum sciens, castrum collis Casalis fictè vendidit: Petrus Jacobus Surdus civis Romanus obtinet à Senatoribus urbis, ne Viterbienses, qui in Ecclesiæ & Inquisitorum obsequium militare voluerunt, inid irrumperent, falso prætendens illud ad se spectare. Eum increpat acriter Pontifex, adhibitis inter alia his verbis: *Volumus igitur & præsentium autoritate tibi districtè præcipiendo mandamus, quatenus statim receptis præsenti-*

sentibus, sicut divinam & nostram charam habes gratiam, ab hujusmodi ausu tam nefario tamque pernicioso desistens, de defensione ipsius castri prædictâ, seu alio quocunque modo, te nullatenus intromittas; quin imò procures omninò, quod inhibitio hujusmodi, prædicto Communi Viterbiensi ad tuam instantiam facta, totaliter revocetur: alioquin scire te volumus, & pro certo tenere, quod adversus te, tanquam defensorem & fautorem hæreticorum, spiritualiter & temporaliter, autore Domino, procedemus. Anagniæ 2. Maji. Pontif. nostri anno VI. Hortatur porrò Viterbienses, ut non obstante mandato contrario Senatorum urbis, ad exterminium terrarum prædicti Capelli de Chia hostiliter procedere studeant.

Verum hodie Inquisitores Hispani ulterius potestatem suam ac jurisdictionem extendere cupiunt, & sub prætextu confiscationis bonorum etiam illorum occupare bona, qui in aliis regionibus, ditioni suæ minimè subjectis, & à Romanæ Ecclesiæ communione separatis, degentes commercia cum Hispanis habent; quia illi bona quædam in carcere Inquisitionis detentorum, aut ab Inquisitoribus condemnatorum, prout in negotiationibus inter mercatores quotidiè usu venire solet, asservant. Cujus memorabile specimen ante paucos annos edidit Inquisitio Madriliana. Mense Februario anni CIↃIↃCLXXXVII. Madriti plures in carcerem Inquisitionis sunt conjecti, occulti Judaismi insimulati, & inter hos Diego & Antonius Diaz, & Don Damianus de Lucena; & circa finem Augusti anni CIↃIↃCLXXXVIII. in eos pronuntiata fuit sententia, quà bona ipsorum fuerunt Fisco adjudicata, ipsique missi Toletum, ad agendam illic pœnitentiam salutarem. Hi commercium habebant cum Petro Poulle mercatore Amstelodamensi, non Judæo, nec Hispano, sed Christiano ac Batavo, in cujus manibus variæ erant merces horum Hispanorum. Inquisitio ut & bona illa, jurisdictioni suæ minimè subjecta, occupare posset, sagaci investigatione detexit, mercatorem illum Amstelodamensem cum mercatoribus aliis Hispanis commercium habere, multaque illius bona in Hispanorum manibus esse: Quare illa à Receptore bonorum publicatorum occupari jussit, ut ex illis pretium æquale illis bonis, quæ mercator Amstelodamensis detinebat, sibi vindicaret. Et violentæ huic occupationi quæsitus est hic prætextus: Captivos habere jus in bona illius Amstelodamensis: Ad Inquisitorem verò omne captivorum jus esse devolutum; posse ergò ipsam eodem quo captivos jure bona illius, quæcunque in Hispaniâ reperiebantur, vindicare. Verum frustraneus fuit ille conatus. Non enim fisco jus competit in bona, quæ extra judicis territorium in manus alterius, illius jurisdictioni minimè subjecti, deposita sunt. Quare etiam Unitarum Provinciarum Ordines, à mercatore Amstelodamensi moniti & requisiti, ut bona illa relaxarentur effecerunt.

Pœna hæc confiscationis omnibus de hæresi convictis aut confessis infligitur, sive pœniteant, sive in hæresi persistant: quoniam quam primum in hæresin incidunt ipso jure eam incurrisse judicantur.

Si tamen aliqui sponte redeant ad Ecclesiam, antequam sint accusati aut denuntiati; vel qui statim postquam capti sunt tam de se quam de aliis, quos hæreticos esse sciunt, plenè & integrè confitentur; quique puro corde redierint, antequam dicta testium publicata fuerint, sicut ab immuratione excusari benignè possunt; ita etiam ob eandem rationem ut confiscatio bonorum eis remittatur, æquum videtur. In Italiâ consuetudine magis quam jure Pontificio receptum est, hæreticorum pœnitentium bona non publicari. In Hispaniâ verò, non solum ex eodem jure, sed ex legibus etiam regiis, bona hæreticorum, quamvis pœnitentes sint, confiscantur: illic enim non licere Inquisitoribus credunt, bona ipso jure confiscata relinquere pœnitentibus in damnum fisci, cui videtur jam jus esse quæsitum.

Pegna Com. 148. in 3 part. Direct.

Simanc. tit. 42 § 17. & t. 47. § 15.

§ 17.

Si qui verò ad Ecclesiam redeunt intra tempus ab Inquisitoribus præfinitum, constituerunt Reges Catholici, ut illi bona omnia perinde recuperare ac dispensare queant, ac si nunquam in hæresin incidissent; excepto, si bona immo-

mobilia alienare voluerint: id enim prohibentur facere sine decreto principis, ne bonis omnibus venditis ad religionis hostes transfugiant. 2. *Instruct. cap.* 5.

Etiam in conditionibus pacis Raymundo Comiti Tholosano præscriptis, ulterius cavetur, *quod bona eorum qui fuerint hæreticè vestiti, licet recesserint sponte ab hæreticorum observantiâ, nisi de reconciliatione suâ literas testimoniales ostenderint, vel per alias personas Catholicas & honestas illud ostenderint, vel probaverint, confiscentur. Et etiamsi de reconciliatione constiterit, nisi cruces super hoc à suo Episcopo admoniti ad portandum assumserint, aut auctoritate suâ propriâ deposuerint, aut cum exterius super vestes extraque partem pectoris anterius prominentes portare debeant, eas celare infra vestes deprehensi fuerint, pœnâ simili puniantur.*

Bzovius a. 1228. §. 6.

Cum verò per istiusmodi pœnam summa damnatorum liberos premat egestas, utpote omnibus paternis bonis ac facultatibus spoliatos, ne eorum curam planè abjicere videantur, constituerunt ut Inquisitores pueris & puellis hæreticorum damnatorum pauperibus relictis provideant ex misericordiâ, ita ut rationem habeant sexus & ætatis: nam masculos jam corpore validos alicui arti mechanicæ jubebunt addici; fœminas aliquibus honestis ejusdem civitatis matronis assignabunt, ut eis famulentur, & ab eis in fide instruantur: cæterum quibus per ætatem, aut incommodam valetudinem, laborare non licet, tenuia alimenta ex paternis bonis ex solâ misericordiâ subministrabunt, deprecantes interdum principes, tam Ecclesiasticos quam sæculares, ut in hujusmodi filios damnatorum aliquam exerceant liberalitatem; quæ res ad eos imprimis spectat, ad quos damnatorum bona ex confiscatione pervenerunt. De his *cap.* 22. *Hispalensis Instructionis* a. 1484. ita cautum est. *Similiter decreverunt, quod si ex personis, ob delicta sua relictis curiæ sæculari, vel perpetuo carceri mancipatis, remanserint filii vel filiæ, qui non sint matrimonio copulati, Inquisitores provideant & ordinent, ut prædicti orphani commendentur personis honestis, & Christianis Catholicis, ut ab eis nutriantur, cibentur, & in fide Catholicâ instruantur: conficiantque libellum supplicem seu memoriale super prædictos orphanos, & de cujusque qualitate, qui indiguerint, & fuerint boni Christiani, & præsertim pro fœminis puellis orphanis, ut possint nubere, vel profiteantur religionem.* Hodie filiis hæreticorum nihil penitus relinquitur, quamvis Catholicis, ne quidem legitima, quæ quodammodò jure naturæ debita videtur.

Pegna in Direct. p. 103.

Pœnæ publicationis bonorum altera annexa est, exhæredatio filiorum; ita ut, licet filii sint Catholici, bonorum tamen patris in hæresi defuncti hæredes esse neutiquam possint. Cap. *Vergentis in senium.* de hæret. *Nec hujusmodi severitatis censuram Orthodoxorum exhæredatio filiorum, quasi cujusdam miserationis prætextu, debet ullatenus impedire; cum in multis casibus (etiam secundum divinum judicium) filii pro patribus temporaliter puniantur, & juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solum in auctores scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum.* Addit Zanchinus, quod filii hæreticorum etiam fiant inhabiles ad succedendum in testamento, vel ab intestato, quibuscunque aliis consanguineis, vel extraneis. Addit Joannes Royas, filios hæreticorum, etiam natos ante crimen commissum, sub pœnis & prohibitionibus canonicis comprehendi: aitque hanc esse communem Doctorum opinionem. Ratio autem illius est: Quia hæresis est crimen spirituale, & non trahit originem à carne; ideò nihil interest, an filii sint ex radice infectâ, vel non. Si autem filius patrem hæreticum deferat, ob præmium delationis liberatur à pœnis in hæreticorum filios statutis; juxta legem Friderici Imperatoris: *Nec quidem à misericordiæ finibus duximus excludendum, ut si qui paternæ hæresis non sequaces latentem patrum perfidiam revelaverint, quâcunque reatus illorum animadversione puniantur, prædictæ punitioni non subjaceat innocentia filiorum.*

cap. 28. § 2. part. 2. Assert. 44.

Tertia pœna est, quod sint infames. Cap. *Excommunicamus* 1. §. *Credentes.* de hæret. ubi inter alia dicitur: *Ipso jure sit infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte*

te judex exstiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per ipsum confecta nullius sint momenti, sed cum autore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus observari.

Quarta pœna est: Quod omni dominio priventur, naturali, civili, & eo quod jure gentium est introductum. Primò; naturali jure privantur, quod habent in filios: Cap. *Quicunque.* § ult. de hæret. lib. VI. Amisso autem jure patriæ potestatis, parentes eam jurisdictionem quam habebant super filios amittunt: filii verò velut alieni & extranei à paternâ familiâ effecti, non perinde ac prius patribus obedire tenentur. Crimen verò hæresis paternum, etiam antequam per Ecclesiam fuerit declaratum, filium liberat à patriâ potestate; ut docet glossa in dicto C. *Quicunque.* § ult. verbo, *desierint.* de hæret. lib. VI. Direct. part. 3. qu. 116. comm. 165. Simanc. tit. 46. § 74.

Deinde jure civili, quod habent in servos, ac etiam politico quod habent in quoslibet alios subditos. *Cap. ult. Extrav. de hæret.* Servi ergo, liberti & famuli, cum dominus ipsorum in hæresin incidit, ipso facto liberantur à servitute & debito quo tenebantur adstricti. In Hispaniâ, si servi fuerint fideles, seu religionem Christianam professi, quando dominus in hæresin incidit, libertati restituuntur, juxta *Instructionem Hispalensem anni* 1484. *cap.* 24. *Domini Rex & Regina, humanitate & clementiâ utentes, voluerunt servos quorumcunque hæreticorum libertate donari, si in eorum potestate existentes Christiani fuissent.* Si non fuerint religionem Christianam professi, cum reliquis bonis in fiscum transeunt; & licet manumissio facta sit à dominis postquam in hæresin inciderint, ea est nulla & penitus invalida. Direct. part. 3. qu. 116. comm. 168.

Subditi, quando Princeps aut Magistratus est hæreticus, omnes obsequii vinculo liberantur. Sic sæpius contigit Reges à Papâ pronuntiatos hæreticos, cum omnibus suis posteris, privari omnibus suis dignitatibus, jurisdictionibus, & juribus; omnesque subditos à juramento obsequii & fidelitatis absolvi; eorumque terras & fortunas aliis in prædam concedi.

Tandem & eo privantur dominio, quod est jure gentium introductum, quo amittunt rerum suarum dominium. Cap. *Cum secundum leges.* de hæret. lib. VI. Omnes itaque, qui aliquo obligationis genere aliquibus tenentur astricti, tunc liberantur penitus, cum illi quibus obligati erant in hæresin inciderint manifestè. per C. *absolutos.* de hæret. *Absolutos se noverint à debito fidelitatis dominii & totius obsequii, quicunque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur astricti.* Qu. 119. comm. 168.

„ Inde hæc deducuntur. Primum: Is apud quem hæreticus aliquid deposuit, non tenetur post manifestam ejus hæresim rem depositam hæretico restituere, sed fisco. Deinde. Nec Catholica uxor viro hæretico debitum reddere obligatur, quia per hæresim viri ab hoc debito liberata est, similiter & vir Catholicus, si uxor sit hæretica, ab hoc debito liberatus est; non tamen possunt propterea cum aliis commisceri, quia vinculum matrimonii dissolutum non est. Maritus etiam cogendus non est ad cohabitandum cum muliere in hæresim lapsâ, etiam reconciliatâ, neque eam maritus alere tenetur: quia dos ejus pro hæresi confiscatur, ac proinde ipsa culpâ suâ indotata remanet, & mulierem indotatam alere maritus minimè tenetur. Fusius hoc explicat Zanchinus Ugolinus: Ipsi filii, fratres & sorores talium debent eos deserere. Imò cum eis dissolvitur servitus conjugalis. Nam cum quis recedit à cultu fidei orthodoxæ, & in hæresim labitur, conjunx non tenetur sibi cohabitare, & potest petere, ut judicio ecclesiæ separetur ab illo; & pro hac fornicatione spirituali fiet tori separatio, sicut fieret pro carnali. Et si talis hæreticus post lapsum redierit ad Ecclesiæ unitatem, tunc si non erunt separati judicio Ecclesiæ, alter conjunx tenetur omninò redire ad illum: Si verò jam erant per sententiam separati, tunc erit in electione illius qui in fide remansit, an velit redire ad conjugem, vel religionem intrare; quia non pos- Simanc. tit. 46. § 73. J. Royas part. 2. Assert. 40. § 325. Zanchin. c. 18. § 2.

„ set

„ſet in ſeculo remanere, nec alium accipere vivente illo, qui eſt modò con-„ verſus; cum ipſe dicatur per pœnitentiam eſſe ſanatus.

„Porrò. Cuſtodes arcium ſeu caſtrorum, aut populorum vel civitatum, do-„ mino hæretico ea reſtituere non tenentur, neque ejus nomine cuſtodire. Tan-„ dem. Quicunque Vaſalli omni obligatione, etiam juramenti religione muni-„ tâ, quâ dominis ſuis tenebantur obſtricti, ipſo jure liberantur.

Ex hiſce fluit, quod fides data hæreticis non ſit ſervanda; idque quidam a-pertè docere non verentur. Maculam quidem hanc naſutiores in Germaniâ, Galliâ & Belgio à ſuâ Eccleſiâ amoliri nituntur: Verum Hiſpani, quibus per-fidia hæc quotidiè objici nequit, dum nulli inter eos hæretici (uti vocant) vi-vunt, abſque ullâ diſſimulatione nudis ac apertis verbis id aſſerere, & praxi Synodi Conſtantienſis defendere ac confirmare non erubeſcunt. Inter alios Simancas, *Cathol. Inſtit. tit. XLVI.* § 52, 53, 54.

tit. 46. § 52. „Ad pœnam quoque pertinet, & hæreticorum odium, quod fides illis data „ ſervanda non eſt. Nam ſi tyrannis, piratis, & cæteris publicis prædonibus, „ quia corpus occidunt, fides ſervanda non eſt, longè minus hæreticis pertina-„ cibus, qui occidunt animas &c. Jure igitur hæretici quidam graviſſimo Con-„ cilii Conſtantienſis judicio legitimâ flammâ concremati ſunt, quamvis pro-„ miſſa illis ſecuritas fuiſſet. &c. Beatus quoque Thomas cenſet, hæreticum „ indocilem prodendum eſſe judicibus, non obſtante fide & juramento, quibus „ Catholicum aſtrinxerit. Accedit eodem, quod cum hæreticis nullum com-

§ 53. „ mercium nec pax ulla Catholicis eſſe debet: quamobrem fides illis data, etiam „ juramento firmata, contra publicum bonum, contra ſalutem animarum, con-

§ 54. „ tra jura divina & humana, nullo modo ſervanda eſt. Si tamen fides hæreti-„ cis data eſſet à principe, vel publicâ poteſtate, exactè ſervanda eſſet; ſi modò „ quod addixiſſet non ſit de illo genere rerum, quas lex aut inſpirata, aut na-„ turalis, vetat præſtare.

In eandem ſententiam, licet multi hodiè eam fœditatem velare conentur, lo-

Brunus lib. 3. c. 15. § 8. „ quitur Brunus; Hodiè etiam nulla pax rata eſſe poteſt, quæ cum hæreticis eâ „ lege conciliatur, ut offendi non poſſint, pravam doctrinam in populo Chri-„ ſtiano impiis prædicationibus diſſeminantes. Ac tantò magis horrenda ac abo-„ minanda pax eſt, eâ conditione cum hæreticis & ſchiſmaticis inita, ut qui eos „ offenderint fractæ pacis condemnentur. Nam quæ fractio pacis eſſe poteſt, „ eos offendere, cum quibus nulla communio eſſe poteſt homini Chriſtiano, & „ quibus ne *Ave* quidem dicere poſſumus? Quos leges civiles banno imperiali „ ſubjiciunt, impunè offendendos offerunt. [*Aut. Gazaros. c. de hæret. l. Mani-„ chæos. C. de hæreticis*] nec ullam in Romano ſolo conveniendi morandique fa-„ cultatem permittunt, aut quicquam loci relinquunt, in quo etiam ipſis ele-„ mentis fiat injuria; denique quos omnia divina & dumana jura exſtinctos eſſe „ volunt?

c. 16. Idem porrò docet, non eſſe rata pacta, conventiones & leges, quibus hæreticis permittitur, ut Eccleſias habeant aut reforment, earumdemque bona poſſideant

c. 17. aut adminiſtrent: aut quibus lites Eccleſiarum adverſus hæreticos & ſchiſmaticos,

c. 18. in judicio motæ, vel movendæ, vel in totum tolluntur, vel ad tempus vel in perpetuum ſuſpenduntur: ac tandem, quibus hæreticis ac ſchiſmaticis permitti-tur, ut juriſdictionem aliquam vel adminiſtrationem, vel ſoli, vel cum Catho-licis exerceant, aliiſve publicis muneribus fungantur.

Quin & aſyla, quæ maleficis ac facinoroſis concedi ſolent, hæreticis dene-gantur; non aliter ac ſi καθάρματα ſint, qui cum religione Romanâ etiam ipſam naturam humanam exuerint. Docet id Simancas ibid. § 65.

Simanc. tit. 46. § 65. „Hæreticus ad Eccleſiam fugiens non defendetur præſidio ſanctitatis loci, id „ eſt immunitate Eccleſiarum. Quamobrem Gundemirus Gothorum Rex, qui „ hanc immunitatem Hiſpaniarum Eccleſiis ante nongentos annos conceſſit, tria „ hominum genera excepiſſe dicitur, ſcilicet, latrones, proditores, & hæreti-„ cos; ut in ejus vitâ Petrus Medina memorat.

„Aliud ibidem addit Simancas; Quamvis in omnibus fermè criminibus aliâ „pœnâ nobiliores, aliâ plebeii puniri soleant; in crimine tamen hæresis eadem „omnibus pœna sine delectu personarum constituta est. Quare nobilis, in hæ- „resim incidens, infamis & vilis erit, & plebeiorum pœnâ puniendus: nec „enim ulla differentia est in rebus fidei & religionis inter magnos & parvos, „inter nobiles & ignobiles. Lex Honorii atque Theodosii ait: *Pares cæteris* „*sint, quibus pares sunt in dogmatis pravitate.* Et alia lex inquit. *Quos par facinus* „*coinquinat & æquat, utrosque similis pœna comitetur.* l. 49. tit. 4. lib. 16. C. Theod. & „l. 1. tit. 27. lib. 9. § 67. § 68.

Tandem & ipsos Reges hæreticos regno ob hæresim privandos docent. Simancas ibid. „Quæsitum est, an regnum hæretici regis, qui superiorem non „habet, confiscari queat. Causa dubitationis oritur ex hoc, quod bona hære- „ticorum deferuntur fisco domini superioris: quamobrem Alphonsus Castrensis „censet, regnum illud ad filium Regis Catholicum pertinere, perinde ac si hæ- „reticus defunctus esset. Quod si filius & proximiores consanguinei hæretici „quoque sint, regnum ipsum Catholicum posset regem orthodoxum eligere. „Si vero regnum hæreticum esset electio Regis Catholici ad summum Pontifi- „cem pertineret. Hæc sententia non displicet quidem Simancæ; sed addit ta- „men, quod regnum istud possit à Catholicis occupari. § 75.

Quinta pœna est carcer: Quamvis enim jure civili carcer ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet: jure tamen Canonico carcer non solum ad custodiam habetur, sed etiam ad pœnam. C. *Quamvis.* de pœnis lib. 6. Hæreticus itaque, qui de hæresi vel confessus, vel convictus fuerit, vel curiæ seculari tradi, vel perpetuo carceri mancipari potest. Quo casu, si pœna alternativè condemnato imponatur, judicis optio erit, quam malit eligere. Brunus l. 5. c. 12.

Sexta pœna est bannum & diffidatio. Authent. *Gazaros.* C. de hæret. Est autem bannum sententia, quâ quis è republicâ ejicitur, ut gaudere non possit auxilio publico, nec fungi publicis officiis, nec aliquo juris beneficio juvari. Et habet similitudinem quandam cum excommunicatione. Sicut enim per excommunicationem quis ejicitur extra communionem fidelium; ita per bannum à bono publico separatur. Diffidatio hæreticos hostes patriæ & imperii esse declarat. Illius effectus est: Quod quando quis per sententiam judicis declaratus est hæreticus, quivis eum propriâ autoritate potest capere, spoliare, ac etiam interficere: tanquam hostem & latronem, etiamsi sit clericus. Quin & tanquam desertor capite puniri, & ubicunque reperitur impunè offendi potest. Liberè autem hæreticos à quolibet propria auctoritate posse capi ac spoliari apertè statuit Innocentius IV. rescripto incipiente; *Ad exstirpanda.* in quo inter alia hæc leguntur. *Idem quoque Potestas seu Rector cujuslibet civitatis, vel loci, in principio sui regiminis in publicâ concione more solito congregatâ, banno civitatis vel loci supponat tanquam pro maleficio omnes hæreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & teneatur bannum hujusmodi à suis prædecessoribus positum confirmare: præcipuè autem, quod nullus hæreticus, vel hæretica, de cætero habitet, vel moretur, aut subsistat in civitate, seu aliquo loco jurisdictionis, aut districtus ejusdem; & quicunque ipsum, vel ipsam, invenerit, liberè capiat & capere possit impunè, & omnes res ipsius, vel ipsorum, eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno jure, nisi auferentes hujusmodi sint in officio constituti.* Et hanc hæreticorum spoliationem ex jure divino fieri docet Brunus *de hæret. lib. V. cap.* 5. § 2, 4, 7. *Hæretici jure divino tanquam indigni omnibus bonis suis spoliandi sunt: Nam labores impiorum justi edent; ideo Catholici hæreticorum loca vendicare possunt. Hæc autem in hæreticos ideò permissa sunt, quia propter eorum impietatem religio & fides Christiana periclitatur. Augustinus Epist.* 48. Brunus l. 5. c. 14. Direct. 3 part. comm. 36.

„Quod si tota civitas vel Communitas hæreses foverit vel defenderit, vel „schisma adversus Catholicam Ecclesiam nutrierit, diffidatur, & banno impe- „riali percellitur. Inde consequitur, ut civitas hoc modo bannita & diffidata „hostis imperii fiat, omnesque cives ejus ut hostes impunè in personis & bonis Brunus l. 5. c. 16. § 15.

„offendi, & à principe omnes ex hujusmodi civitatibus expelli possint. Potest „etiam talis civitas pœnâ ultimo supplicio proportionabili plecti; ea est, ut in „eam aratrum inducatur de jure civili; jure autem Canonico, ut comburatur „tota: Quam pœnam Canonistæ deducunt ex *Deut. XIII.* ubi Israëlitæ jubentur „civitatem, cujus habitatores serviunt diis alienis, delere, & omnia quæ in il„lis sunt, usque ad pecora, & habitatores illius percutere in ore gladii. Et „sunt, qui unicuique hoc permissum esse putent, & ab Ecclesiâ omnibus ex„terminandi hæreticos autoritatem esse concessam: Alii autem non nisi autori„tate & jussu superiorum id fieri posse existimant. Quæ sententia (ait Brunus) „certè tutior est, si non juri conformior, ut Dominico videtur. Omnium au„tem maximè necessarium est, ut non ante offendantur Universitates vel Com„munitates hæreticæ, quam per sententiam declaratoriam eas hujus criminis reas „esse fuerit declaratum.

Si vero hæretici captivi sint, nulli eorum patrocinium suscipere licet; Sic cap. *Si adversus nos terra consurgeret.* de hæret. Advocati vel Notarii hæreticis vel eorum defensoribus præstantes auxilium vel favorem, aut sub eorum examine litigantibus patrocinantes, & pro eis instrumenta scribentes, pronuntiantur infames, & ab officio suspenduntur. Concordat textus in cap. *Excommunicamus.* § *Credentes.* & in *cap.* 2. § 1. *de hæret. lib. VI.* Inde colligunt,

„Pro hæreticis, quos hæreticos esse constat, nullo modo patrocinandum, „seu advocandum; secus quoties id est dubium, id est, cum nondum est ex„ploratum, an verba vel facta alicui objecta sint hæretica, manifestamve hæ„resin sapientia: vel cum nondum testibus, aliisve legitimis probationibus de „hæresi constat: tunc enim advocare licebit, seu patrocinium reis præsta„re; Inquisitorum tamen autoritate, solenni juramento præcedente, de ju„stâ defensione præstandâ, & de abstinendo ab eâdem defensione, quam pri„mum cognitum erit illum, qui defenditur, esse hæreticum. Atque ita obser„vari solet.

Pegna in Direct. p. 104.

Tandem ultima hæreticorum pœna est mortis supplicium, idque non vulgare, sed dirissimum, ut nempe vivi comburantur. Et hanc pœnam deducunt ex 2. *Reg.* XXIII. ubi Ozias jussit ossa Sacerdotum hæreticorum comburi; & ex verbis Domini, *Joan.* XV. *Si quis in me non manet, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Attamen observat Conradus Brunus, esse, qui hanc pœnam solâ consuetudine introductam esse putant, nec alio jure, sive divino, sive humano, probari. Quod & ipsi videtur. *Neque enim*, inquit, *probat, quod ex Evangelio de palmite in ignem mittendo affertur. Siquidem hic locus de igne inferni perpetuo, non de pœnâ ignis temporalis accipiendus est. Sed nec leges civiles hanc pœnam probant. Nam etsi pœnam ultimi supplicii, quam mortem interpretamur, in hæreticos statuant, tamen hoc genus mortis, nimirum pœnam flammarum, non exprimunt: quam procul dubio legislatores expressissent, si eam in hæreticos sancire voluissent: idque propter atrocitatem pœnæ, quam quoties propter immanitatem delicti infligendam esse decernunt, eandem quoque nominatim exprimere solent, ut ex aliis constitutionibus facile colligi potest, quibus hæc pœna in specie nominatur.* Primus qui eam, postquam aliquamdiu in Ecclesiâ Romanâ in usu fuit, in hæreticos constituit, fuit Fredericus II. lege quæ incipit, *Inconsutilem.* § 4. qui ita sonat: *Præsentis nostræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos, aliosque hæreticos quocunque nomine censeantur decernimus, quam affectant: ut vivi in conspectu hominum comburantur flammarum commissi judicio.* Quam legem plures Papæ confirmarunt. Et exinde ignis supplicium hæreticis impœnitentibus ordinariè inflictum fuit. Atque ita hodie etiam in Ecclesiâ Romanâ fieri solet. Panormitanus in cap. *Ad abolendam.* de hæret. lib. 6. super gloss. in verbo *audientia.* allegans Hostiensem post Joan Andr. dicit, quod *hæretici debent puniri pœnâ ignis, & quod debent cremari: Et quod in hoc convenit lex divina, canonica, civilis, & consuetudinaria, ut communiter puniantur pœnâ ignis.* Quin & Simancas *de Cathol. Institut. tit.* 46. § 47. *& seqq.* non tantum multis argumentis probare con-

l. 5. c. 13. § 14.

ten-

tendit, pœnam ignis deberi hæreticis, inter alia hoc, quod eâdem pœnâ Ethnici & Hæretici Catholicos punire solebant, ut Eusebius, Ruffinus, Socrates, aliique testantur; sed & contendit eam antiquissimam esse, idque ex actis Concilii Chalcedonensis constare; quoniam Episcopus Alexandrinus illic dixisse traditur; Si Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solum pœnâ dignus est, sed & igne: quod etiam, teste Nicephoro *Hist. Eccles. lib.* XVIII. *cap.* 4. Anatolium hæreticum igni vivum combusserunt.

Quin & eandem pœnam ex lege quadam Theodosii colligit Simancas: dum ait: Theodosius constitutionem edidit, in quâ hæc leguntur. *Præterea præcipimus, ut quicunque servum seu ingenuum invitum, vel suasione flectendo ex cultu Christianæ religionis in nefandam sectam ritumve traduxerit, cum dispendio fortunarum capite puniatur.* Et paulo post. *Cernat præterea bona sua proscripta, pœnæ mox sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnavit perversâ doctrinâ.* Additque Simancas; *Lex profecto Hispano Imperatore digna.* Vide *Cod. Theodos. tit. de Judæis. l. prima. & lib.* 16. *tit.* 6. *l.* 75. Simancas de Cathol. Instit. tit. 46. § 48.

„Pœnâ igitur ignis puniri debent hæretici, aut si id fieri non possit, certè „amandandi & expellendi sunt, bonis etiam publicatis. Quod legibus regum „Gothorum jam olim in Hispaniâ cautum fuisse legimus: Confiscabantur enim „hæreticorum bona, & honore ac dignitatibus exuti perpetuò exulabant. § 55.

Hac autem pœnâ ignis hæretici tantummodò relapsi, pertinaces & impœnitentes puniuntur, qui latâ sententiâ, quâ declarantur hæretici, judici seculari relinquuntur, qui confestim illos condemnare & in ignem mittere debet: pertinaces autem vivi cremari, alii verò antequam comburantur strangulari solent. 5. *Instruct. Hispal. cap.* 9. Simancas *ibid.* § 49.

Aliquando supplicium ignis aliâ additâ crudelitate aggravari solet. Ita in Hispaniâ, & in nostro Belgio, ne ad rogum producti circumstantes alloqui, suamque constantiam sermone pio testari possent, lingua eorum instrumento ferreo astricta fuit, ut non nisi inarticulatum clamorem in mediis cruciatibus edere potuerint. Atque ita etiam Simancas de *Cathol. Instit. tit.* 48. § 6. pronuntiat, *pertinaces hæreticos vivos esse comburendos, & in ignem tradendos ore obstructo, & linguâ ligatâ, ne pusillos offendere queat.* Capistrum hoc sive lupatum Hispani linguâ suâ *Mordaza* vocant. Et si graviora excogitare possent, in hæreticos ea constituerent. Id testatum nobis facit Carena *tit.* XIII. § 1. *n.* 7. ubi contendit, consuetudinem hæreticos pœnâ ignis puniendi esse maximè rationabilem, his allatis rationibus: *tum, quia combustio primum locum tenet inter pœnas mortis, ideò æquum est ut gravissimo omnium delictorum imponatur*, præses Abauo, num. 21. *ubi quod si pœna aliqua occurreret combustione atrocior, utique ea esset hæreticis imponenda: tum, quia hoc modo percitius deletur de memoriâ hominum hæreticus & ejus delictum.*

Ita videmus nullum esse, nec excogitari posse genus pœnæ, quin in hæreticos sit constitutum; mitiusque solere agi cum latronibus, proditoribus ac perduellibus, humani generis hostibus, quam cum miseris hæreticis, qui Deum purâ conscientiâ colere studentes, vitamque Euangelio consentaneè instituentes, placita quædam Romanæ Ecclesiæ, quæ Euangelio repugnare persuasi sunt, impugnant; graviusque esse in illâ Ecclesiâ humana quædam dogmata verbi divini luce coarguere, & Pharisaicas quasdam superstitiones respuere, quam præcepta divina impiâ ac profanâ vitâ palam contemnere, sanctumque Dei nomen contumeliâ afficere.

CAPUT III.

De Hæreticis Manifestis & Occultis.

HÆreticorum varia est in Ecclesiâ Romanâ distributio; eaque ad instructionem Inquisitorum valdè necessaria fuit; ut quæ in singulos sententia pronuntianda sit indubitanter constare possit. Non tamen omnia ita planè definita sunt, quin adhuc magnæ inter Doctores, quin & ipsos Inquisitores, remaneant controversiæ, & alter altero benignius multò judicet. Quarè multum interest coram quo Inquisitore quis judicandus sistatur: condemnatus enim ut hæreticus à judice austeriore, mitiorem potuisset obtinere sententiam, si obtigisset ipsi judex benigniore doctrinâ ac opinione imbutus.

Eymer. p. 2. qu. 33. Primò ergo hæretici distribuuntur in Manifestos, & Occultos. „Manifestus hæreticus est, qui contra fidem Catholicam publicè prædicat; aut qui „hæreticorum errorem fidei contrarium profitetur; aut qui proprium suum vel „aliorum hæreticorum errorem defendit: aut qui coram judicibus fidei convictus „est de hæreticâ pravitate, vel eam coram illis confessus: aut tandem per eorum sententiam condemnatus est de hæreticâ pravitate.

„Hæreticus Occultus seu secretus est, qui eorum quæ sunt fidei habet errorem in mente, & proponit habere pertinaciam in voluntate; sed tamen verbo Simanc. tit. 52. § 3. „vel factis externè non ostendit. Qui hac ratione hæreticus est occultus, solet „vocari hæreticus purè intellectualis. Et communis Doctorum sententia est, „talem non incidere in sententiam excommunicationis, neque ob suam hæresin „subjacere judicio Ecclesiæ, quia Ecclesia non habet potestatem super actus solos interiores, neque illos suâ jurisdictione dirigere, prohibere aut punire potest; & quia excommunicatio non pertinet ad forum conscientiæ, sed ad forum externi judicii.

Part. 1. §240. &c. Joannes Royas tamen dicit ab hac communi Theologorum sententiâ recedere „Canonistas, & statuere, hæreticum omninò occultum esse excommunicatum: „quia in pœnis quæ ipso jure contrahuntur hominis ministerio opus non est. Nam „quemadmodum solâ voluntate quis incidit in hæresin; ita eâdem ratione eo ipso „quod solâ voluntate credit erroribus hæreticis incidit in excommunicationem, „præsertim quia excommunicatio secum paratam trahit executionem, & hæresi „cohæret sicut lepra leproso, & homini umbra. Additque: Si quispiam in „mente & intellectu hæresin contraxerit, credendo Deum non fuisse incarnatum, „vel sanctam Mariam non fuisse virginem, & non processit ad actum exteriorem, sibi vel alteri aliquid proferendo, sed solum in corde errorem & hæresim prædictam conceptam retinuit, posteà verò meliori consilio ductus reliquit & pœnituit, accedensque ad Inquisitores hæreticæ pravitatis (ut pluries „se vidisse ait) confitetur prædictos errores habuisse, & credidisse, petens ab „eis absolutionem, atque pœnitentiam salutarem concedi, nonne iste fuit hæreticus? quamvis omninò & totaliter occultus & mentalis; & per consequens „excommunicatus, & est absolvendus? Quod verò objicitur, Ecclesiam non judicare de occultis, procedere dicit, quando agitur de judicio fori, quod ex actore, reo, judice, & testibus constat: Sed crimen hæresis omninò occultum non requirit aliquid ab extra, quia est delictum mentale, & solâ mentis „cogitatione perficitur: ergo Ecclesia bene potest sine judicio fori judicare de „illo, & pari ratione de excommunicatione quæ hæresi cohæret. Ecclesia etiam „actus animi interiores prohibet, & constituit hæreticum occultum vel mentalem. Ergo de re occultâ judicat: Quid ni etiam de Excommunicatione quæ §115. „hæresi cohæret non judicabit? Estque hæc decisio magni momenti: Nam excommunicatus reconciliatione indiget; & licet reconciliatio, quæ confertur

pœ-

„pœnitenti, sit favorabilis; tamen cum sit excommunicationis absolutio, simul „cum reconciliatione bonorum publicatio unà cum carcere perpetuo venit.

„Alio autem sensu potest quis vocari hæreticus occultus, qui hæresin quam „corde concepit, verbo aut scripto peperit, sed clanculum & occultè: adeò ut „hæresis hæc occulta vocetur, quia non est notoria, & probari nequit. Talis „eo ipso quod hæresin, licet occultissimè, protulit in sententiam excommuni„cationis incurrit, & aliis pœnis hæreticorum obnoxius est. Idem si coram In„quisitore fateatur hæresin & pœniteat, occultè absolvendus est. I. *Instruct. Hi„spal. cap.* 5. ubi cum generaliter primum traditur forma publicæ abjurationis, „deinde hæc exceptio ponitur, *nisi crimen usque adeò fuerit occultum, ut solus pœnitens illud sciat, nec ab alio revelari possit; tunc enim secretò reconciliatus absolvendus est.* Quod explicant, cum hæreticus intellectualem hæresim protulit, vel scripsit, & nullus eam audivit, vel legit. Alii autem hoc de purè mentali intelligunt. Simanc. tit. 52. § 11.

Etsi occultus sit hæreticus, debet tamen nullâ præcedente monitione statim judicibus indicari, si alios inficit ac pervertit. Non tamen ajunt hæreticum occultum obligatum esse seipsum prodere, cum in generali inquisitione interrogatur à judice, utrum sciat aliquem hæreticum esse. Similiter, quando hæreticus purè mentalis in sacro pœnitentiæ foro hæresin intellectualem confessus est, propter illum actum exteriorem non incidere in excommunicationem: quia ille actus bonus est & pius, & extra judicium humanum. § 14. § 9.

CAPUT IV.

De Hæreticis Affirmativis & Negativis.

RUrsus hæretici alii sunt Affirmativi, alii Negativi. Affirmativi sunt, qui habent eorum quæ sunt fidei errorem in mente; & verbo vel facto ostendunt, se modis prædictis habere pertinaciam in voluntate, eamque coram Inquisitore constituti apertè confitentur. Negativi sunt, qui coram judice fidei per testes legitimos, quos nolunt, vel non possunt, repellere, de aliquâ hæresi ritè & justè secundum leges Inquisitionis convicti sunt; sed non confessi, imò in negativâ constanter perseverant, Catholicam fidem profitentur, & hæreticam pravitatem detestantur. Excipi solent facta ante plures annos commissa, in quibus oblivio est præsumenda. Verum ea non facilè præsumenda est in factis gravibus, & insignibus, uti monet *Instructio Hispalensis anni* 1484. *cap.* 13. Qualia sunt: si quis ex proposito hæreticas propositiones prædicasset, aut Sanctorum imagines fregisset: nec etiam in hominibus tenacis memoriæ; sed solummodò in factis non arduis, & maximè in hominibus stupidis & suapte naturâ obliviosis. Qui autem tales censendi sint, & quantum temporis ad inducendam oblivionem requiratur, judicum ecclesiasticorum, inspectis personarum & causarum circumstantiis, arbitrio relinquendum docent. Eymer. part. 2. q. 34.

Negativus etiam à multis censetur, & velut diminutus confitens & pertinax, qui vel omnes hæreses de quibus convincitur, vel omne delicti tempus, vel omnes complices non revelat, si nempe adeò recentia sint, ut non facilè præsumatur oblivio. Inter Negativos diminutos etiam ab aliquibus numerantur, qui coram Inquisitore constituti fatentur quidem facta vel verba hæreticalia, sed pravam intentionem negant. Quanquam alii, ut mox videbimus, eos Impœnitentes vocant.

Quæ eorum pœna sit, disquirunt Doctores. Simancas *de Cathol. Instit. tit.* VI. § 19. ait, qui fassus est verba hæreticalia, sed negat pravam intentionem, damnari potest ut Impœnitens; excepto si res dubia fuerit: tunc enim aut purgandus est, aut propter suspicionem reus abjurabit, aut denique torqueri poterit: Quod scimus esse usitatum.

Quia vero hic casus in Hispaniâ frequens admodum est propter regni illius neophytos ex Judæis & Mauris, prolixius eum ventilat Joannes Royas *de hæret. part.* 1. cujus summam exhibere hic operæ pretium est; unde simul cognoscetur, quales sint Christiani, quos ex Judæis & Mauris ad suam Ecclesiam metu pœnarum Inquisitionis converterunt reges Hispani.

J. Royas de hæret. n. 1. & seqq. Ipsis rerum experimentis cognovimus, quam plurimos in carceribus sancti Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis detentos, facta ac verba hæretica ingenuè confiteri, credulitatem verò pravamque intentionem prorsus abnegare. Sic
3. contingit ut quispiam confiteatur dixisse (ut pluries in examinandis fidei causis vidi) quemlibet posse salvari in suâ sectâ seu opinione, Judæum in lege Judaicâ, Sarracenum in sectâ Mahometicâ, & Lutheranum in sectâ Lutheranâ.
4. Nam aliquando reus eodem contextu fatetur, inadvertenter & lapsu linguæ prædicta verba protulisse, & interdum ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis interrogatus, an talia credit, dicit quod nunquam talia credidit, sed semper tenuit, quod sancta Romana Ecclesia prædicat & docet: Denique negat intentionem, &
7. solum verba confitetur, quæ esse hæretica non est dubium. Aliud est exemplum de eo, qui confitetur se dixisse simplicem fornicationem non esse peccatum mortale, & credulitatem & errorem in intellectu negat, asserens causâ lasciviæ loquendo, cum mulierculis verba prædicta protulisse, quæ sanè verba hæretica sunt.

Exemplum de facto hæretico erit de eo, qui cum baptizatus sit, posteà fuit
10. circumcisus, & jejunium, vulgo *del ramadan* & Paschata modo Mahometico observavit, atque zalam in domo suâ, vel Mesquitis, loto prius corpore, maximè partibus pudendis, genibus flexis humiliando & extollendo caput fecit, & carnibus ab *Alchible* occisis vescitur. Multos alios ritus sacrilegos & nefandos neophyti in regnis Valentiæ, Aragoniæ & Granatæ publicè observant. Aliud
15. exemplum est de eo, præsertim si est de genere Judæorum, qui sabbathum celebrat cessando ab omni opere, aliaque Judæorum festa observat: Et qui fa-
33. cta ejusmodi vel dicta confitens dicit, inadvertenter & ignoranter id dixisse vel fecisse, & se esse paratum ad correctionem Ecclesiæ. Quæritur an talis hæreticus sit censendus, etiamsi legitimis testibus non sit convictus.

40. Pro negativâ afferri solet, quod hæresis requirat errorem in intellectu, & pertinaciam in voluntate, adhærendi iis quæ adversantur determinationi Eccle-
64. siæ. Unde inferunt verum & rationabile esse dictum Innocentii in cap. *Firmiter.* n. 6. *de summa Trin. & fid. Cathol.* dicentis: Quod si aliquis credit quicquid Ecclesia credit, sed falsò opinatur ratione naturali motus, quod Pater vel major, vel prior sit Filio, vel quod tres personæ sunt tres res à se invicem distinctæ, quod non est hæreticus, nec peccat, quia credit Ecclesiam sic credere, & suam opinionem fidei Ecclesiæ supponit: quia licet malè opinetur, tamen non est fi-
66, 67. des sua, imò fides sua fides est Ecclesiæ. Quapropter consentaneum esse censet, quod in defensionibus reorum de eorum rusticitate & imprudentiâ constat, ut pœna sit temperanda, judices verò, præsertim Inquisitores hæreticæ pravitatis, propter diminutam & truncatam reorum defensionem sint nimis solliciti, & diligentes in scrutandis & investigandis eorum defensionibus, etiam ex offi-
569. cio, parte non petente, & etiam renuente. Addit autem, quod decisio est Rotæ in antiquis. 875. in C. *Accusatus de hæresi*, in tit. *de hæret.* ubi dicitur, quod si accusatus de hæresi, & per testes vel aliter legitimè est convictus, & negat se talia hæreticalia dixisse, vel credidisse, quamvis asserat se credere, & credidisse, quod credit Ecclesia, nihilominus ut hæreticus Negativus & impœnitens est condemnandus, & brachio sæculari tradendus.

276. 284. Ordinariè etiam Doctores affirmativam tuentur, quia qualitas factorum demonstrat intentionem, animum & voluntatem actorum: veluti si quis faceret actum quem soli Judæi faciunt, qualis est observatio Sabbathi & aliorum rituum Judaicorum, exinde arguitur judaizandi intentio & voluntas: si de intentione non apparet, in dubio præsumitur ea intentione judaizandi fecisse vel commisisse, quando constat de actu

vel commissione per ejus confessionem, vel per testes; & præsertim si est persona suspecta: Confitens ergo factum hæreticale, & negans intentionem, quæ est qualitas afficiens illud factum ut sit punibile vel impunibile, ut hæreticus negativus forsan posset condemnari; saltem pro intentione torqueri potest, ut communiter Doctores sentiunt, & in praxi observari solet. Si verò sit in facto hæretico, ut in transitu seu reditu ad ritum Judæorum seu paganorum, tunc sufficeret accusatum convinci de illo facto ad hoc ut tanquam hæreticus condemnetur, licet de credulitate non constet. Tum & discrimen faciunt inter dictum, & inter factum hæreticum, & discriminis hujus rationem reddit Joannes Royas, part. II. § 400. Illud est discriminis inter eum, qui factum, & eum qui dictum hæreticum confitetur, & pravam intentionem negat, quod factum confitens, relaxandus est, maximè si est persona suspecta, & factum fuerit iteratum; dictum verò hæreticum confitens, pro intentione torquendus est. Ratio discriminis est, quia major animi affectus atque mentis deliberatio in factis quam in verbis inest. His addunt, quod alia sint peccata, ad quæ naturâ ipsâ proni sunt ho- 317.
mines, ut, avaritia, gula, venus, &c. Alia quæ natura non appetit, imò quibus appetitus hominis & voluptas repugnat; ut, tempore jejunii non comedere usque ad noctem, vel orare, vel carnem suillam non edere, neque vinum bibere, pravasque ceremonias servare more Mahomethanorum vel Judæorum: in priora homines propriâ voluptate capti ruunt: in posteriorum electione voluntas indubitanter regitur ab intellectu, ideoque ea ex pravâ intentione & credulitate procedere concludendum est. Licet ergò plures testes in genere 346.
deponant, aliquem esse bonæ famæ: illorum testimonium nullam meretur fidem ad probandum aliquem esse Catholicum, si duobus testibus idem convincatur in specie aliquid dixisse aut fecisse, quod fidei Catholicæ repugnat. Et hæc qui- 358.
dem omnia locum habent, quando actus est interdictus. Si verò sit indifferens, qui pariter ad malum & bonum indifferenter se habere potest, delictum ajunt non esse præsumendum, sed facta aut verba ambigua in meliorem partem esse interpretanda. Veluti si quis dixerit, Lutheranos esse nobiliores, id est, 366.
secundum sensum Catholicum, proceres & nobiles in Galliâ potius quam plebeios esse Lutheranos, non est hæretica: si verò intelligatur de nobilitate virtutum & morum, est suspecta; si de nobilitate religionis, est hæretica. Hoc au- 378.
tem solummodò intelligi volunt ad plenam delicti probationem, non autem ad præsumtionem ut torqueatur, præsertim si est persona suspecta. Nam in dubio præsumendum est pro hæresi, atque si nimis urgent indicia, iste talis torquendus est, cum de ejus animæ salute agatur, ut in torturâ confiteatur, & reconcilietur, ac pœnitentia ei injungatur, si sit paratus corrigi, ut spiritus ejus salvus fiat, teste divo Paulo Apostolo. Tum & hoc in officio Inquisitionis ob- 378.
servari volunt, ut in exponendis propositionum verbis attendatur loquentium qualitas & conditio; ut si verba prolata sint ab homine rustico & crassi ingenii, grosso modo, & citra dolum & malam credulitatem; vel ab homine docto & subtilis ingenii subtili modo: tunc enim non sine dolo sunt intelligenda. Hæc autem omnia à Theologis Qualificatoribus, quos Inquisitores advocare & consulere debent, consideranda sunt, quorum assertionibus omnimodam Inquisitores adhibere debent fidem. Tandem ajunt, si per actus exteriores animus & inten- 384.
tio non probaretur, illa nunquam probari, ac proinde crimen hæresis nunquam 377.
puniri posset. Inde concludit Royas, eum qui fatetur factum vel dictum hæ- 590.
reticale, impiam autem intentionem negat, id negare, quod principalis forma & substantia est, ac proinde tanquam diminutum impœnitentem & negativum esse relaxandum. Eâdem ratione dicendum de eo, qui de pluribus erroribus 595.
plenè convictus, nonnullos confitetur, alios verò negat: quia in parte substantiali est diminutus: non verò de eo, qui errores omnes confitetur, non autem omne tempus de quo per legitimos testes plenè constat.

Ex prolixâ hac dissertatione, cujus hic solummodo compendium exhibetur, colli-

colligere licet, communem Doctorum Hispanorum esse sententiam quod confitentes dictum hæreticum, vel factum hæreticale, negantes verò intentionem, pro confitendâ intentione sint torquendi; confitentes verò factum hæreticum, & negantes intentionem, tanquam negativi sint relaxandi & tradendi curiæ sæculari: Imò in verbis dubiis præsumendum esse pro hæresi, non ad plenam probationem, sed ad præsumtionem ut torqueri possit.

Idem affirmat Joannes Royas de revocantibus confessionem in judicio factam:

J. Royas part. 2. Assert. 25. „Qui errores hæreticos in judicio confitetur, posteà confessionem revocat, „tanquam negativus est relaxandus, nisi de errore constet. Quia delictum per „confessionem plenè constat; & per revocationem reus efficitur pertinax, im„pœnitens, & negativus. Idcircò non probato errore relaxandus est; quamvis „aliter de delicto plenè non constet, & facta sit confessio in torturâ cum rati„habitione; nam perinde est ac si libera & spontanea esset, quamvis posteà re„vocetur non constito de errore.

CAPUT V.

De Hæreticis Impœnitentibus & Pœnitentibus.

Eymer. part. 2. q. 40. Tandem, alii dicuntur hæretici pertinaces, seu Impœnitentes, alii Pœnitentes. Impœnitens est, qui coram judice fidei hæreseos legitimè convictus, vel eam confitens, mandanti judici ut ab errore resiliat, eum abjuret, & satisfactionem exhibeat competentem, non vult obtemperare, sed in errore pertinaciter perseverat.

Tit. 48. Distinguit Simancas inter hæreticum Pertinacem & Impœnitentem.

§ 7. „Quicunque credit aliquam propositionem veram esse, cujus contrariam scit „esse Catholicam, hoc solo consummatus hæreticus pertinax est.

§ 9. &c. „Sunt & alii, quorum pertinacia nondum planè manifesta est, sed tamen juris „præsumtione pro consummatis pertinacibus habentur: verb. gr. quicunque ra„tionis capax negat aliquam propositionem Catholicæ fidei, apud omnes fide„les publicè divulgatam; præsertim si peritus fuerit aut sagax: quia præsumi„tur scire quæ omnes sciunt, & quæ omnes Christiani explicitè scire tenentur.

§ 10. „2. Ille qui asserit aliquam hæresin, cujus contrariam veritatem Catholicam „prius docuerat, etiamsi erret in his propositionibus, quas explicitè scire non

§ 11. „tenebatur. Hæc tamen propositio locum non haberet, quando daretur proba„bilis oblivio, scilicet, ex diuturnitate, vel vitio memoriæ, vel stoliditate.

§ 12. „3. Qui diu persistit in errore, cujus contrariam veritatem Catholicam explicitè „scire non tenebatur; quia culpâ suâ persistit in errore, quem deserere tenetur „de necessitate salutis, & negligens est in quærendâ veritate, in quâ salus Chri-

§ 13. „stiana consistit. 4. Qui impedit prædicationem, defensionem atque doctrinam „Catholicæ fidei, & qui contemnit censuras Ecclesiæ; item, qui jurat se nun„quam ab errore discessurum.

§ 15. „Quamvis autem aliquis ignorantiâ probabili erret, si tamen legitimè admoni„tus statim non resipiscit, exinde pertinax esse censebitur; quia perinde hæreti-

§ 17. „cus est, ac si à principio sciens erraret. Legitima autem admonitio censeri de„bet, pro ratione hæresis: In hæresibus planè damnatis legitima admonitio erit, „si ostendatur erranti sacra Scriptura, vel Ecclesiæ Catholicæ definitio hæresibus „contraria: si verò hæresis nominatim condemnata non sit, argumenta eviden„tia vicem justæ admonitionis obtinebunt; breviter, quæcunque causa errantem „probabiliter ab errore revocaverit. *Pertinaces hæretici*, judice Simancâ, *vivi*

§ 6. *comburendi sunt, & in ignem tradendi ore obstructo, & linguâ ligata, ne pusillos offendere queat. In hoc enim*, ut ait Carena *part.* 3. *tit.* 14. § 13. *n.* 92. *dum impœnitens est, solum pietatis genus est, esse crudelem.*

„Im-

„ Impœnitens est, quisquis erroris sui pœnitentiam agere non vult, in quo „ pertinax quoque solet esse omnis impœnitens. Unde si hæresis alicujus plenè „ probata sit, & ille puro corde errorem confiteri noluerit, paratus hæresin ab- „ jurare, & injunctam pœnitentiam subire, tanquam pertinax & impœnitens ju- „ dici seculari relinquendus est, quamvis millies protestetur, se fuisse & esse Ca- „ tholicum, & in fide Christianâ vivere ac mori velle. Adeo ut impœnitens § 27.
„ ipsi sit, qui ab aliis vocatur Negativus: & tali, si convictus fuerit dixisse aut „ scripsisse aliquam hæresim, nihil proderit, quod ante, vel post, vel omni alio „ tempore probetur fuisse Catholicus, nisi ad Ecclesiam rediens pœnitentiam e- „ gerit.

Alibi autem explicat Simancas, semper posse hominem coram tribunali Inquisitionis confessionem suam revocare: & ultimam illius confessionem solam esse ratam, indeque colligi, utrum sit hæreticus pœnitens, an vero impœnitens. Si in confessione persistat, seque Ecclesiæ subjiciat, pœnitens est: Si confessionem revocet, impœnitens censetur, & ut talis punitur. Verba ejus clara sunt:
„ In judicio sanctæ Inquisitionis quocunque tempore & modo reus confessionem Tit. 13.
„ revocet, quamvis nec afferat causam probabilem, nec satis idoneam, admit- § 14.
„ titur tamen ejus revocatio; & sive pro eo, sive contra eum, extremæ confes- „ sioni statur; hæc enim est quæ efficit, ut reus pœnitens aut impœnitens esse „ videatur. Et hoc jure utimur.

Quod si contingat aliquem metu pœnæ fuisse confessum, non licet tamen illi innocentiam suam asserere, nisi rursus Inquisitioni tradi, & tanquam impœnitens puniri velit; adeò ne mutire quidem contra sancti hujus tribunalis judicia, etiam injusta, licitum est. Ita manifestè docet Simancas; Reconciliatus Eccle- §. 25.
„ siæ, qui ait se nunquam fuisse hæreticum, sed metu falsorum testium confes- „ sum esse quæ non commisit, is ut impœnitens puniendus est, nisi resipuerit.
„ Id tamen locum habet, cum is nondum pœnitentiæ injunctæ satisfecerat; nam §. 26.
„ si jam eam peregerat, temerarius magis est, quam impœnitens: temerarii au- „ tem puniendi sunt arbitrio judicum, & nonnunquam fustibus castigandi, ad- „ ditâ comminatione gravioris pœnæ, si deinceps in eandem temeritatem incur- „ rerint. Distinctius de talibus disserit Zanchinus: Si quis post confessionem Zanchin.
„ erroris, & post indictam sibi pœnam pœnitentialem, confessionem revocat, de hæret.
„ seque confessum dicit propter metum expensarum, vel majoris pœnæ; is per cap. 23.
„ hanc suam retractationem non videtur verè, sed fictè fuisse conversus, ideoque „ tanquam hæreticus est puniendus: Et si in suâ primævâ confessione abjurasset, „ posset modò censeri fictè relapsus; & si in suâ negatione persisteret, posset tan- „ quam pertinax hæreticus condemnari.

Interim ne videantur ullius injustæ sententiæ esse patroni, innocentibus, qui tædio carceris ac supplicii ultimi metu confessi fuere crimina à se non commissa, facultatem concedunt denuò judicio coram Inquisitoribus experiendi, sed eâ adhibitâ limitatione, quæ & innocentissimos deterrere possit. Quam nobis descripsit Simancas:

„ Innocens, qui metu testium ac tœdio carceris confessus est se fuisse hæreti- Tit. 13.
„ ticum, si innocentiam suam probare possit, non debet negligere famam, sed § 27, 28.
„ causam de integro apud Inquisitores agere. Si verò neque testes refutare, ne- „ que confessionem justè revocare potuerit; debet id peccatum fateri parocho „ suo, & nihil præterea facere, ne quid deterius inde contingat. Id est, ne tanquam impœnitens relaxetur, & curiæ sæculari tradatur.

Præter hos & aliud est Impœnitentium genus; eorum nempe, qui hæresin professi sunt, sed pœnitentiam sibi ab Inquisitore impositam non servant: quia creduntur fictè conversi, ideoque Impœnitentes. Vide eundem Simancam:

„ Qui pœnitentiæ injunctæ non satisfecerint, puniri debent ut impœnitentes, tit. 48.
„ perjuri, & fictè conversi. Sunt enim impœnitentes, quia pœnitentiam non § 29.
„ peragunt: perjuri, quia violant juramentum, quo promiserunt se mandatis Ec-

„clesiæ obtemperaturos; fictè conversi, quia nec veram pœnitentiam agunt, nec „permament in Ecclesiæ debitâ obedientiâ. Hos etiam Frater Bernardus Co„mensis in Lucernâ Inquisitorum in voce *Impœnitens*, n. 3. vocat Impœnitentes. Sed Pegna illud maturâ deliberatione & multiplici distinctione indigere ait.

Illos tamen Simancas non eodem habet loco cum aliis Impœnitentibus: quia
§ 32. „addit: Cæterum impœnitentes isti non sunt protinus curiæ seculari relinquen„di, sed jure agendum est cum eis, usque ad sententiæ definitivæ prolationem. „Neque enim ante ab Ecclesiâ Catholicâ sunt evellendi, quam per viros doctos, „pios & religiosos de salute animæ semel atque iterum & sæpius admoneantur.

Pœnitentes sunt, qui à judice ecclesiastico moniti errorem abjurarunt, & ad arbitrium Episcopi & Inquisitoris satisfactionem congruam exhibuerunt. Horum duplex est genus; quidam sponte veniunt, aut intra tempus gratiæ, non citati aut vocati nominatim, nec specialiter inquisiti: alii verò redeunt post deprehensionem, citationem & inquisitionem, ac sæpe post multas monitiones. Qui primo modo revertuntur mitius tractantur, & occulta quandoque iis pœnitentia injungitur: abjurare tamen debent errores, & ad implendam pœnitentiam sibi injunctam bona sua omnia Inquisitioni obligare. Quæ omnia tradit Concilium Biterrense cap. 5. *Talibus infra tempus gratiæ sponte ac plenè confitentibus, & ad ecclesiasticam se dicentibus redire unitatem, beneficium juxta formam Ecclesiæ absolutionis impendatis: facientes videlicet ipsos abjurare omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & Romanam ecclesiam, & fidem orthodoxam, quibuscunque nominibus censeatur; & jurare, quod fidem Catholicam, quam eadem sacrosancta Romana tenet Ecclesia & prædicat, servabunt pariter & defendent: & hæreticos cujuscunque sectæ Vestitos pariter & condemnatos, credentes, receptatores, defensores & fautores eorum persequentur pro viribus, investigando, accusando & capiendo, vel saltem eos Inquisitoribus, seu aliis fidelibus, qui eos opportunius capere velint & valeant, bonâ fide manifestando: Et quod super his quæ inventi sunt vel fuerint in eodem crimine deliquisse, stabunt mandatis Inquisitorum & Ecclesiæ, ac pœnitentiam, quæ sibi fuerit quandocunque per ipsos injuncta, recipient & implebunt, pro eâ recipiendâ & implendâ bona sua omnia Inquisitioni & Ecclesiæ solemniter obligantes.*

Eymer. p. 2. q. 40.

In eodem etiam Concilio in fine eadem de cautione pecuniariâ præstandâ sollicitè præcipiuntur. *Circa verò redeuntes per se, sine aliorum accusatione, attendat diligenter Inquisitor, quod cautionem pecuniariam præstent, postquam juraverint stare præcise mandatis Ecclesiæ, & servare & parere; posteà pœnitentia privata imponatur arbitrio Inquisitoris, sic redeuntes absolvantur, & secum dispensetur.* Clemens verò IV. in bullâ, *Licet ex omnibus.* Inquisitoribus mandat, ut solerter provideant, ne simulatâ conversione se decipi patiantur. *Si verò aliqui ex prædictis hæreticâ labe penitus abjuratâ redire voluerint ad Ecclesiasticam unitatem, eis juxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis, & injungatis eisdem quod injungi talibus consuevit; proviso solerter, ne simulatâ conversione redeant fraudulenter, & vos, imò seipsos potius fallentes sub agni specie gerant lupum.*

Tr. tract. fol. 416. verso.

Cæteris vero qui non sponte revertuntur acriores imponuntur pœnitentiæ, qui censentur convicti, & quodammodo coacti. His quales pœnitentiæ injungi debeant præscribi non potest, sed Inquisitorum arbitrio relinquitur; in quo quem modum servare oporteat tradit Concilium Narbonense, *cap.* 5. his verbis. *Hoc quidem ita perstringimus, non ut vos pœnitentias prætaxatas omnes ubique, vel omnes omnibus imponatis; sed ut eas secundum discretionem vobis traditam à Domino, pro culparum, & personarum, locorum & temporum, & aliarum circumstantiarum qualitate ita cautè ac providè dispensetis, ut sive plectendo sive ignoscendo, vita culpabilium corrigatur; vel saltem valeat apparere, quis in tenebris ambulet, quis in luce, quis verè sit pœnitens, quis fictè conversus; nec inde veris Catholicis scandalum generetur, nec prætextu scandali, seu alio quantum in vobis fuerit defendi possit hæresis seu nutriri.*

Si tamen magna sit pœnitentium multitudo, decrevit Concilium Tarraconense discretum judicem aliquâ posse moderatione uti.

Item,

Item, si multitudo hæreticorum, seu credentium, fuerit multa, & parati sunt hæresim abjurare, discretus judex secundum magis & minus juxta provisionem Apostolicæ Sedis pœnas canonicas poterit infligere talibus, & sic pœnam intrusionis vitare; vel etiamsi multitudo non est tanta, circa Credentes discretus judex consideratis circumstantiis poterit moderari prout viderit expedire; proviso tamen, quod Perfecti hæretici, vel dogmatizantes eorum errores, vel credentes relapsi in credentiam post abjuratam hæresin, vel renuntiatam, in perpetuo carcere intrudantur, hæresi penitus abjuratâ, & absolutione habitâ excommunicationis, ut ibi salvent animas suas, & alios de cætero non corrumpant. Bzovius a. 1242. § 4.

Tandem etiam cavet Concilium Narbonense *cap.* 18. ne qui ab hæresi revertuntur, cum graviter fuerint culpabiles, ad religionem admittantur: his verbis. *Ne autem per tales religionis simplicitas corrumpatur, nullum de præfatis culpabilibus religionem quamcunque ingredi, nisi ex Domini Papæ vel ejus Legati indulgentiâ permittatis. Et si qui sine ipsorum & vestri licentiâ post inchoatam inquisitionem, vel si etiam ante, non tamen confessi & canonicè absoluti, ingressi fuerint, revocetis.* Postremò requiritur, ut reconciliati, postquam ab Inquisitoribus judicialiter sunt absoluti, eadem crimina proprio parocho confiteantur: quod & cautum est Instructione Madrilianâ a. 1561. *cap.* 71. *Postquam pœnitens judicialiter fuerit absolutus, eum Sacerdos absolvet sacramentaliter.*

Illos verò nullo pacto recipi volunt, qui post longum tempus frequentesque admonitiones & cohortationes vix converti posse videntur, & maximè instanti tempore quo tradendi sunt curiæ sæculari; quia hos metus mortis potius quam studium veritatis ad petendam misericordiam videtur inducere. Deinde, qui præceptis, comminationibus, pœnis, præmiis, promissionibus juratis, aut aliis similibus modis conantur aliquem, vel aliquos cogere ad hæresim contrahendam, vel contractam pertinaciter defendendam: Ac tandem, qui regibus, principibus, reginæ, aut filiis filiabusve regum hæreses aut persuaserunt, aut persuadere conati sunt. Et rationem addit Simancas *de Cathol. Instit.* tit. XLVII. § 68. &c. „quod talis sine ullâ misericordia judici sæculari relinquendus sit; quia „cum hæresi conjunxit crimen læsæ majestatis, crimine quippe maximi sceleris „animam principis, atque adeò universæ reipublicæ, occidere voluit. Per mu„lieres autem illas Reges ipsi facile perverti possunt; & quoniam in crimen læ„sæ majestatis incurrunt, qui fæminarum illarum pudicitiam polluunt, multò „ergò magis qui animas earum adulterant.

Quod attinet hæredes hæreticorum pœnitentium, ad quæ illi cogi possint exstat decretum Concilii Biterrensis. *Ab eorum hæredibus, qui confessi & reconciliati non acceptâ pœnitentiâ decesserunt, satisfactionem congruam exigatis, ne tantum ac tale crimen, quod etiam publicè in judicio confessi sunt, remaneat in aliquibus impunitum; & idem faciatis de illis qui decesserunt acceptâ pœnitentiâ, nec impletâ, si esse in morâ cæperunt, vel pro illâ complenda se obligaverunt, ut supra tetigimus, bona sua omnia, vel injunctus fuerit transitus transmarinus.* Consentit Alexander IV. in Consultationibus, dicens. *Quidam insuper, ut adjicitis, pro iis quæ commiserunt in hæresi adstringunt se Inquisitoribus sub obligatione bonorum suorum ad recipiendum ab eis pœnitentiam complendam; sed licet injunctâ, non tamen peractâ, quin potius in toto vel in parte neglectâ decedunt. Quæritur ergò, utrum Inquisitores ipsi, vel qui in eorum loco succedunt, possint ad satisfactionem pro ipsis defunctis hæredes vel detentores bonorum sic decedentium coarctare? Ad quod dicimus: Quod si per hujusmodi pœnitentiam aliquod onus ad salutem proficiens impositum fuerit in bonis temporalibus exequendum, ad complementum ipsius Inquisitores cogere debent hæredes, vel alios, ad quos bona talium cum suo onere devenerunt.* Nullo modo autem cogi possunt, ad pœnas personales ipsis hæreticis redeuntibus impositas: Unde Guido Fulcodius in suis Consultationibus respondet, quod *credat, eos qui ab Inquisitoribus sunt absoluti, & ante sibi injunctam pœnitentiam decesserunt, reservari purgatorio, nec aliud hæredibus esse injungendam.* Et Alexander IV. respondet: *Sunt & alii qui confessi sunt in judicio de hæresi coram Inquisitoribus hujus pravitatis, sed antequam eis injungeretur pœnitentia decesserunt. Respon-* Tr. tr. fol. 417.

spondemus, quod postquam tales non decesserunt hæretici, sed incorporati potius Ecclesiæ unitati, non videmus quod eis post mortem, vel hæredibus qui ad successionem talium admittuntur, sit satisfactio pro exstincto jam crimine exigenda: in eo verò casu, in quo hujus hæredes ad successionem non deberent ob culpam sui authoris admitti, non obstante quod autoribus viventibus hæc non fiunt, intercedente morte per sententiam declaratam ad confiscationem bonorum post mortem nihilominus procedatur.

Distinctius & succinctè hæc explicat Zanchinus, cap. XXVIII. 2.

„In filios damnati ut hæretici triplex descendit pœna. Prima est, ademtio„nis bonorum, quia omninò privantur successione paternâ. Secunda, quia „fiunt inhabiles ad succedendum in testamento, vel ab intestato, quibuscun„que aliis consanguineis vel extraneis. Tertia, quia fiunt inhabiles ad ali„quod beneficium ecclesiasticum, vel etiam publicum officium obtinen„dum. Aliæ autem pœnæ, quæ hæreticis imponuntur, non infliguntur illo„rum filiis.

Zanchin. cap. 28. § 3.

„Filiis verò illorum qui redeunt, & recipiuntur ad misericordiam, quantum„cunque fuerint hæretici, vel etiam filiis eorum qui fuerant suspecti, & deces„serunt indictâ eis purgatione, vel non indictâ, non imponuntur istæ pœnæ. „Tertia solummodo pœna filiis suspectorum de hæresi propter fautoriam, de„fensionem vel receptionem, imponitur, si parentes tales decesserint; si verò „decesserint recepti ad misericordiam, & pœnâ pœnitentiali impositâ, in eo„rum liberos etiam hæc pœna non transit, sive pœnitentia sit completa, sive „nondum peracta.

„Quod attinet pœnas pœnitentiales, quædam sunt tales, quæ possunt per a„lium explicari, cum sumtu tamen, quales sunt, fabricare ecclesiam vel hospi„tale, dotare virgines pauperes, solvere pœnam pecuniariam, restituere usu„ras: si decedat ante impletam pœnitentiam, filii & hæredes ad ejus impletio„nem sunt obligati. Aliæ sunt personales: ut jejunare, orare, audire Theo„logiam, singulis diebus audire missam, abjurare errorem, qualibet hebdoma„dâ confiteri: illæ non possunt transire in filios vel hæredes; sed servantur pur„gatorio.

Hisce consentiunt quæ Pegna habet in 3. *part. direct. Inquisit. Quæst.* 120. *Comment.* 169.

„Suspectorum, fautorum, &c. hæredes cogi non possunt ad perficiendam „pœnitentiam personalem injunctam suspecto, sed non peractam. Sed cogi „possunt ad pœnitentiam viventi impositam de bonis ipsius exequendam. cap. „*Accusatus.* § *Si vero.* de hæret. lib. 6. Si ergo injunctum ipsi est fabricare Ec„clesiam, vel hospitale, restituere usuras, & similia, isque bona sua pro hac „pœnitentiâ adimplendâ obligavit, post mortem ejus ad quemcunque successo„rem, etiam particularem, ea bona devolvantur, ad eum semper pervenient cum „illo onere. Idem etiam cavit Concilium Biterrense *cap.* 19. *Et idem faciatis de* „*illis, qui decesserunt acceptâ pœnitentiâ, nec impletâ, si esse in morâ cœperint; vel pro* „*illâ complendâ obligaverint, ut suprà tetigimus, bona sua.*

CAPUT VI.

De Hæresiarchis.

Direct. part. 2. qu. 39, 40.

INter hæreticos quidam sunt Hæresiarchæ, qui hæreses invenerunt seu excogitarunt, aut inventas alios docuerunt, & sic erroris Magistri facti sunt. Hi vocari solent dogmatistæ, dogmatizatores, & olim, hæretici perfecti vocati sunt. Illi si converti voluerint, de eos ita statuit Concilium Biterrense, *cap.* 16. *Perfectos hæreticos seu Vestitos coram discretis aliquibus & fidelibus examinetis secretò, ipsos ad conversionem prout oportet inducentes, & converti volentibus vos exhibeatis favorabiles*

&

& benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium & promotum : ac ipsorum pœnitentias pro qualitate conversionis & meriti mitigetis; vel quantum vobis visum fuerit deferatis. Et Concilium Tarraconense : *Perfecti verò hæretici si converti voluerint, & dogmatizantes, absolutione præhabitâ, & abjuratione factâ, perpetuo carceri intrudantur.* Hinc & in sententiâ Petri Auterii, Doctoris inter Albigenses, in libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ fol. 40. legitur : *Salvo tibi & retento, quod si volueris à sectâ & hæresi supradictâ averti & converti, ac redire ad ecclesiasticam unitatem, conserveris ad vitam; in quo casu retinemus nobis plenam & liberam potestatem imponendi tibi pro tuis commissis in sectâ & hæresi pœnam & pœnitentiam salutarem.*

Causæ verò, ob quas Hæresiarchas seu Dogmatistas pœnitentes recipi volunt ad pœnitentiam, hæ assignari solent : Quia si convertantur, & deceptis prædicent, multos eorum facilè convertent. Ad hæc, cum melius intelligant errores & fraudes deceptorum, quas ipsi docuerunt, commodius vel scribendo, vel eloquendo, eas refutant. Postremò, quoniam Dogmatistæ verè conversi & publicè pœnitentes sunt veluti limpidum pœnitentiæ & humilitatis speculum, in quod peccatores intuentes & convertuntur, & in officio continentur. Præcipuè id observari volunt, cum hæresiarcha magnæ est autoritatis, doctrinæ aut dignitatis, qui facilè speraretur suâ auctoritate multos conversurus. Et sic olim receptus fuit Berengarius. Sentiunt tamen doctores, spectatâ horum temporum conditione miserrimâ, quibus nihil non impium audere ajunt hæreticos, omnes hæresiarchas sine misericordiâ tradendos curiæ sæculari; utpote (uti ait Simancas tit. XLVII. § 54. &c.) *non unâ morte digni, sed pluribus.* Quare & illos § 71. puniri vult *non ut cæteros hæreticos, sed poenis severioribus sine ullâ miseratione.* Et § 63. dicit, *Magistris Lutheranarum hæresium nullo pacto esse ignoscendum; quippe multis simul vitiis & flagitiis contaminatis; utpote qui sint hostes ecclesiæ, inimici sanctorum, divini juris violatores, sacrilegi, bonorum operum, atque adeò bonorum omnium morum corruptores, rerum publicarum eversores. Nec enim*, addit, *ignosci potest iis, qui nefaria crimina tantorum facinorum ac tam atrocium suscipiunt.* Et Pegnâ judice nullus fortassis hæresiarcha, etiamsi conversionem non fictam ostenderet, evitaret ultimum supplicium : At quia Ecclesia benigna est & clemens, nullo adhuc Pontificio jure cavit, ut dogmatistæ curiæ sæculari indistinctè tradantur : Quin & contrarium colligi posset ex cap. *ad abolendam.* de hæret. Tunc autem maximè recipi possent hæresiarchæ, cum sponte, non inquisiti, nec nominatim citati aut vocati accederent ad confitendum peccatum suum & misericordiam implorandam. Cum autem recipiuntur, gravissimas illis imponi vult pœnitentias, nec eas mitigari, nisi post longum tempus, & post manifestissima veræ pœnitentiæ conversionis & humilitatis signa.

CAPUT VII.

De Credentibus hæreticorum, & Schismaticis.

Porrò alii sunt Credentes, alii Receptatores, alii Defensores, alii Fautores hæreticorum. Credentes hæreticorum alii sunt, qui credunt eorum erroribus & hæresibus; & isti sunt excommunicati : alii judicantur credere hæreticorum erroribus ex suis verbis atque factis. Verbis quidem, ut confessione propriâ, dicendo se talium erroribus credere : vel facti evidentiâ, publicè prædicando vel defendendo illorum errores : vel testium productione legitimâ, per quos convincuntur talium errores divulgasse. Quod facta attinet : initio delegatæ Inquisitionis valde dubitatum fuit ex quibus factis possent aliqui judicari credentes hæreticorum : Verum id declaravit Concilium Narbonense *cap.* 29. *Sanè inter culpas ex quibus credentes possunt judicari, ne ulterius dubitetis, has esse firmiter arbitramur : Si reverentiam fecerunt hæreticis, ubi credentes, orationes ipsorum implo-*

Direct. part. 2. qu. 50.

plorantes, & bonos homines profitentes, quasi adorant illos: Si consolationi eorum, ubi eum quem consolantur in hæreticum recipientes, per impositionem manuum se salvare proditionaliter mentiuntur: Aut servitio eorumdem, ubi Majore ipsorum librum tenente apertum, per ipsum quasi sub generali confessione remissionem intelligunt fieri peccatorum: Aut cœnæ Valdensium, ubi die cœna mensa posita, & pane superposito, Valdensis unus benedicens & frangens, dansque astantibus, credit secundum damnabilem sectam conficere corpus Christi; non causâ prodendi vel reprehendendi eos, vel aliâ commendabili seu excusabili, affuerunt: Si eisdem Valdensibus peccata sua confessi fuerint, ut solet & debet quis Sacerdoti proprio confiteri. Si pacem ab hæreticis, seu Valdensibus, vel panem ab eis benedictum, à quocunque sibi missum, vel datum, scienter & damnabiliter receperunt. Si crediderunt eos in sua sectâ salvari posse, vel esse bonos, vel sanctos homines, vel Dei amicos, vel nuncios, vel bonæ conversationis, vel vitæ; vel eorum persecutores peccare; vel si eos taliter laudaverunt, vel si aliquo qualicunque signo seu verbo in eis se fidem & credentiam habuisse in jure, vel alibi, sunt professi. Si eos libenter & pluries receperunt, audierunt, visitaverunt, victualia seu alia dederunt, seu miserunt eisdem; orationes ab eis, vel Epistolas, vel Euangelia didicerunt. Hæc enim & similia, etsi non probent singula, multa juvant; præsertim cum Joannes dicat in Epistola, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi, ave, communicat operibus ejus malignis. *Hæc autem omnia intelligimus, cum hi qui sic culpabiles sunt inventi, sciebant illos, quibus vel per quos ista fiebant, esse hereticos, vel Valdenses; nec ignorabant quod sancta Ecclesia tales propter errores proprios, sectasque suas damnabiles, ab unitate Catholicæ fidei segregatos denuntiat, & excommunicat, persequitur, atque damnat; nec dicenti se hoc ignorasse leviter est credendum.*

Qu. 34. In hoc decreto quælibet facta statuuntur indicia, unde quis hæreticorum credens possit judicari. Verum quoniam ex his factis singulis non æquè certò ac validè de fide alicujus illatio fieri possit, hinc Doctores Pontificii distinctione quâdam utuntur. Alia nempe dicunt esse facta, in quibus error exprimitur manifestè, quæ nullo modo possunt in bonam partem accipi; ut, reverentiam hæreticis ipsorum more exhibere, communionem ab eis juxta ritum ipsorum accipere. Hæc demonstrant aliquem hæreticum, & contra eum ut hæreticum procedi potest. Difficulter enim exceptionem admitti posse dicunt, quod hæc fecerit non errore mentis, sed ob commodum aliquod temporale. Alia sunt, ex quibus violentæ oriuntur suspiciones; ut cum quis de hæresi infamatus aut suspectus tempore mortis petit consolationem ab hæreticis juxta consuetudinem eorum. Hæc enim si quis committat, præsumtione juris, contra quam non admittitur regulariter probatio, censetur hæreticus. Alia sunt in quibus nihil apparet de ritu infidelitatis; ut, hæreticos visitare, alimoniam eis præstare, comitari, defendere eorum personas, & similia. Hæc neminem hæreticum demonstrant, sed solummodò hæreseos suspectum reddunt.

Inter signa unde Valdenses agnoscantur etiam est negatio juramenti, quando ab Inquisitoribus ad id compelluntur: quia Valdenses omne juramentum in quocunque casu illicitum credunt. Sic cap. *Excommunicamus itaque.* Extra. de hæret. § *Adjicimus.* inter alia legitur. *Si qui verò ex eis juramenti religionem obstinatione damnabili respuentes jurare forte noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur.*

Alii sunt hæreticorum credentes, de quibus non apparet clarè, quod eorum erroribus credant, sed videntur credere hæreticorum verbis, jussionibus, & operibus. Tales sunt, qui ea committunt facta, in quibus nihil apparet de ritu infidelitatis: qui nimirum ad eorum mandatum eunt & veniunt, sermones eorum (licet raro) audiunt, literas eorum hinc inde deferunt, eis serviunt, libros suscipiunt, nec comburunt, alimoniam eis deferunt, ducatum præbent, eos visitant, & alia faciunt, in quibus de ritu hæreticorum nihil ostenditur.

Tales, uti mox dictum est, non quidem habentur hæretici, nec ut hæretici,

tici tractantur; non carent tamen suspicione vehementi, vel levi, prout majora vel minora in ipsis indicia apparebunt: Quare cum iis ut cum suspectis, de quibus mox, agitur. Disquiri hic solet, an qui bis vel semel hæreticorum conciones audiverit, hæreticorum credens debeat haberi? Et communiter statuunt, non posse hæreticorum credentem censeri ex actu uno vel bino, audiendi hæreticorum conciones, sed crebrius iterato. Distinguunt tamen: Nam si quis Catholicus in terris hæreticorum vivens semel vel bis ad conciones eorum accedat, non judicabitur credens: si autem in terris Catholicorum occulta ab hæreticis conventicula celebrari intelligat, etsi semel tantum vadat, nisi denuntiet Episcopo, vel Inquisitori, non carebit credentiæ suspicione: cum in hoc posteriori casu approbare censeatur, quod potuit avertere, si judicibus ecclesiasticis, ut debuit, indicasset.

Cum Hæreticis magnam habent affinitatem Schismatici. Hi autem ita distringui solent à Simanca.

„Schismatici vel sunt consummati hæretici; vel hæreticis confines, qui tantummodò ab unitate ecclesiæ & Summi Pontificis obedientiâ recedunt; hi parum ab hæreticis distant; nam credunt extra Ecclesiam esse veram salutem, & vera sacramenta, aliaque plura quæ schisma sequi solent. Hi iisdem ferè pœnis coërcendi sunt, quibus hæretici puniuntur. Simancas tit. 58. § 4, 5.

„Alii culpâ carent, & justam excusationem habent: hi sunt, qui probabili aut insuperabili ignorantiâ ducti, putant aliquem summum esse Pontificem, qui rectè electus non est: quod tunc evenire solet, cum propter ambiguam electionem duo aut plures de Pontificatu contendunt, & alioqui bonâ fide quendam illorum pro vero Pontifice habent, qui tamen justè electus non est. § 9.

His ita à Simancâ explicatis, sententiam sævam in hæreticos hodiernos, id est, in omnes qui extra Ecclesiæ Romanæ communionem hodie in Germaniâ, Galliâ, Belgio, regionibusque aliquot Borealibus vivunt, pronuntiat.

„Hæretici novelli non sunt unum, plurima inter illos sunt schismata, ita ut vel in unâ domo varias fides invenias; dum aliud maritus, aliud uxor, aliud liberi, aliud credit familia. § 12.

„In hos igitur fanaticos impios, qui divina omnia contaminare conantur, insurgant leges igne ultore. Pellantur Hispaniâ pestiferi hæretici, qui omnem disciplinam veterem, quam Spiritus Sanctus docuit, quam tot annorum ætates, tot gentium consensus, tot præclari, & omni sanctitatis atque doctrinæ laude florentes homines tradiderunt, & ex verâ illâ Christianæ Reipublicæ gubernandæ ratione in perturbationem rerum omnium, & plus quam Babylonicam confusionem, conjiciunt. § 14.

Pœnæ Schismaticorum sunt, privatio ecclesiasticæ potestatis, excommunicatio, inhabilitas ad officia in futurum consequenda; ac tandem mors. Et observant Doctores, ubi Schismatici sunt impœnitentes, quod in tali casu judices sæculares possunt sine degradatione punire Clericos schismaticos. Addunt: eâdem pœnâ mortis puniri debere Dominos & Magistratus omnes, tam Ecclesiasticos quam sæculares, qui in schisma inciderint, excitaverint, &c. juxta Bullam Pauli IV. incipientem, *Cum ex Apostolatus officio.* ubi tales omnes schismaticos etiam pro primo lapsu puniri mandat Papa, uti verè relapsos. Si verò pœniteant, post abjurationem schismatis formalem, & suspicionis hæresis secundum gradus ipsius, solent etiam ab Inquisitoribus pro arbitrio aliis pœnis puniri: quales sunt pœna pecuniaria, exilium, carceratio, relegatio, triremes, ultimum supplicium, pro modo & gravitate delicti. Carena p. 2. t. 3. § XII. n. 49. § XIII.

CA-

CAPUT VIII.

De Receptatoribus & Defensoribus hæreticorum.

Direct. part. 2. qu. 51. Receptatores hæreticorum definit Concilium Tarraconense, qui bis vel pluries hæreticos scienter in domo suâ, vel in alio loco suo, receperunt. Receptaculum autem est domus, vel hospitium, ubi hæretici bis vel pluries convenerunt ad prædicationem vel lectionem; vel ubi pluries hospitantur. Illi autem in graviore culpâ sunt, qui eorum errores sciunt, nec ignorant Ecclesiam illos persequi, & nihilominus, ne ad Ecclesiæ manus perveniant, eos latenter receptant, licet illud semel tantum fecerint: & hac receptatione se hæreseos suspectos reddunt; quæ suspicio pro circumstantiarum diversitate vel levior vel gravior est: ideoque etiam illis ut suspectis abjuratio imponitur. Pœna eorum porrò est excommunicatio; & si, postquam sunt excommunicatione notati, in crimine suo persistant, banno exponuntur, & in perpetuum relegantur, & bona eorum fisco addicuntur. Si quis tamen consanguineum hæreticum receptaverit, minus peccat, & mitius punitur: in quâ mitioris pœnæ impositione habenda est ratio graduum consanguinitatis, ut mitius puniantur qui gradu proximi sunt receptato hæretico, quam remotiores.

Qu. 52. Defensores hæreticorum sunt, definiente Concilio Tarraconensi, qui scienter defendunt hæreticos verbo, vel facto, vel quocunque ingenio in terris suis, vel alibi, quo minus Ecclesia possit exercere suum officium, ad exstirpandam hæreticam pravitatem. Diversi namque sunt defendendi modi; potest enim quis hæreticum defendere cum armis, vel sine armis, potest & clamoribus monendo ut fugiat; potest & illum defendere in judicio, & extra judicium. Tandem & defensores hæreticorum per consequentiam dici possunt, quicunque officium Inquisitionis quâcunque ratione impediunt. Sed & præter hæc alius etiam est casus, quo quis hæreticorum defensor dicitur, cum supponit alium hominem, vel etiam seipsum pro illo hæretico qui fuerat capiendus: De quo ita rescripsit Innocentius IV. *Ad exstirpanda. Si quandoque aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsitan assignaverint, prædicti suppositi perpetuo carceri mancipentur, & hæretici nihilominus redire & assignari cogantur; & qui hunc dolum fecerint, juxta legem prædictam bonis omnibus publicatis in perpetuum relegentur.* In eâdem Bullâ alia pœnarum genera contra defensores hæreticorum statuuntur. *Quicunque autem hæreticum vel hæreticam captum vel captam auferre de manibus capientium vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur: seu prohibere aliquem intrare domum aliquam, vel turrim, seu locum aliquem ne capiatur, & inquiratur ibidem, juxta legem Paduæ promulgatam per Fredericum tunc Imperatorem, publicatis bonis omnibus in perpetuum relegetur, & domus illa, à quâ prohibiti fuerint, sine spe reædificandi funditus destruatur, & bona quæ ibi reperta fuerint fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inventi.* Quin & ipsorum filios infames notat, & ab omnibus honoribus excludit, nisi hæreticos revelaverint; nam si revelaverint his pœnis liberantur. Et Pius V. rescripto quodam, incipiente, *Si de protegendis.* in hæreticorum defensores gravissimas statuit pœnas, quas in multis casibus illic expressis incurrant.

CA-

CAPUT IX.

De Fautoribus Hæreticorum.

FAutores hæreticorum, ut nomen ipsum indicat, sunt, qui hæreticis favorem præstant; & per omnia defensoribus exæquantur. Sunt autem illi vel magistratus, vel privati. Omnes autem illi possunt hæreticis favere, omissione seu negligentiâ; facto, seu cooperatione; ac tandem consilio, seu verbis. Magistratuum officium est, hæreticos exstirpare, & è regnis ac dominiis suis pellere, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, qui, quoniam inermes sunt (scilicet) sine Magistratuum auxilio hæreticos pellere nequeunt, omne consilium ac favorem ad hæreticos puniendos & coërcendos præstare, exorientes hæreses supprimere, omniaque sua studia eò referre, ne sub eorum imperio hæreticorum augeatur improbitas, & Catholicorum minuatur aut perturbetur securitas & religio. Fautores itaque illi sunt hæreticorum; primò, omittendo ea facere circa hæreticos vel suspectos, infamatos, vel credentes, receptatores, defensores & fautores, ad quæ ex eorum officio obligantur, cum tamen ab Inquisitoribus & Episcopis, vel eorum altero requiruntur: videlicet, si hæreticos non capiant, captos diligenter non custodiant, ad locum destinatum non deducant, ac damnatos sibi relictos non promptè puniant. Nam ad hæc omnia obligantur, cap. *Ut Inquisitionis.* de hæret. lib. 6. & maximè rescripto Innocentii IV. & Clementis IV. incipiente, *Ad exstirpanda.* Similiter Prælati vel Inquisitores, qui tutos carceres facere omittunt, & fidos custodes eis præficere, capere, torquere, aut punire hæreticos, vel fideliter in carcere custodire negligunt, ut hæreticis ipsis faveant, verè fautores judicantur. Secus verò, si ex negligentiâ, aut aliâ ex causâ ea faciant. Secundò, Magistratus hæreticorum fautor est committendo: Si captos hujusmodi absque Episcopi, & Inquisitoris, vel alterius ipsorum licentiâ, vel mandato, è carcere liberent; vel processum, judicium vel sententiam eorum directè vel indirectè impediant, aut alia his similia faciant. Ut patet cap. alleg. *Ut Inquisitionis.* § *Prohibemus.* Omnes isti ut hæreticorum fautores ipso jure sunt excommunicati; quam excommunicationem si per annum sustineant animo pertinaci, ut hæretici puniuntur. Sed & alias iis constituit pœnas Concilium Tholosanum *cap.* 3. & 4. *Statuimus etiam, ut quicunque in terrâ suâ de cætero permittet scienter morari hæreticum, sive propter pecuniam, sive propter aliam quamcumque causam, & fuerit inde confessus aut convictus, amittat in perpetuum terram suam, & corpus suum sit in manu Domini ad faciendum inde quod debebat. Si autem de scientiâ convictus non fuerit, & probata non fuerit negligentia dissoluta, vel frequenter in terrâ sua inveniantur hæretici, vel super hoc sit diffamatus, pœnis legitimis puniatur.* Vide & Bullam Pauli IV. cujus initium: *Cum ex Apostolatus officio.* Narrat etiam Bzovius, ad ann. CIOCCXV. § 10. jussu Legati Apostolici dejecta esse mœnia Narbonæ, & majori ex parte Tholosæ, quia hæreticorum receptacula fuerant. Quâ verò pœnâ sint afficiendi minores magistratus, qui in singulis locis præsident, si negligentes inveniantur in capiendis hæreticis, definit idem Concilium Tholosanum *cap.* 6. *Ballivus verò, qui semper est residens, in loco contra quem præsumitur, nisi contra hæreticos valde sollicitus inveniatur & diligens, bona sua amittat, & de cætero nec ibi nec alibi constituatur Ballivus.*

Qu. 53.

Sousa lib. 1. c. 25. § 4.

Privatæ personæ dicuntur hæreticorum fautores; quando hæreticos, seu pro hæresi captos, propriâ temeritate è carcere liberant: vel auxilium, consilium vel favorem ad liberandum præstant; vel liberatos ita comitantur ut non capiantur: vel capientibus se opponunt; ac alias processum, judicium, & sententiam in causâ fidei directè vel indirectè impedire præsumunt; vel ad impediendum præstant consilium, auxilium, vel favorem. Ex solâ verò omissione non so-

solent privati dici hæreticorum fautores, quia hæreticos non capiunt, aut custodiunt; quia ad hoc non sunt obligati. Fautores tamen erunt, si cùm ipsis incumberet ex officio eos indicare, vel comprehendere, hoc omiserint: quales sunt Crucesignati, quos in Hispaniâ Familiares vocant; aut si à Magistratibus requisiti fuerint ad præstandum auxilium ad hæreticos capiendos, & sine causâ, non impediti, nolint eos adjuvare.

Postremò; tam Magistratus quam privati hæreticorum fautores dici possunt ex omissione denuntiandi eos; quoniam omnes hæreticos, etiam occultos, denuntiare Episcopis & Inquisitoribus, ac, si necesse quoque fuerit, accusare, sub pœnâ excommunicationis tenentur. Ita constituit Gregorius IX. extravagante quadam contra Patarenos, cujus initium est, *Excommunicamus*: & refertur inter literas Apostolicas pro officio Inquisitionis: *Item si quis hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu à communi conversatione fidelium vitâ & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii per quem credat ad Prælati sui notitiam pervenire, alioquin excommunicationis sententiâ percellatur.* Estque obligatio hæreticos denuntiandi tanta, ut etiam locum habeat, non obstante quovis juramento in contrarium emisso, pacto, aut promissione. Attamen si sola uxor sciat maritum diebus prohibitis vesci carnibus, aut alia hæreticalia committere, eumque cognoscat terribilem, qui facilè eam aut interimeret, aut malè tractaret, si denuntiaretur, censent aliqui eam ob metum posse excusari à suspicione fautoriæ hæreseos. Verum de obligatione denuntiandi plenius libro sequente agetur.

Singulos verò modos, quibus quis hæreticorum fautor dici possit, definivit Concilium Narbonense, *capp.* 14, 15, & 16. *Planè inter fautores accipimus tam eos, qui hæreticorum seu credentium exstirpationem seu correctionem impediunt, quam eos qui non dant ad id operam, quam non possunt sine culpâ omittere manifestâ: ex diligenti tamen circumstantiarum consideratione plus minusve contingit culpæ in talibus reperire: nam multum favet hæreticis sive credentibus, qui eos celat, cum possit & debeat indicare: plus, qui eos occultando, seu aliter, ipsorum examinationem, vel incarcerationem, vel punitionem malitiosè nititur impedire: plurimum, qui captos vel incarceratos relaxat præter Ecclesiæ voluntatem; seu cujus consilio, vel auxilio, mandato, vel curâ, talia perpetrantur. Cujus criminis reus incomparabiliter est habendus ille, qui temporalem habens jurisdictionem præfatos pestiferos hæreticos, seu rebelles ab Ecclesiâ denotatos, persequi, & de suâ terrâ vel provinciâ exterminare postponit, vel in eos animadvertere sine morâ: quippe nec caret scrupulo societatis iniquæ, qui tanto facinori sibi per denuntiationem Ecclesiæ, seu aliter, legitimè manifestato, cum teneatur & possit, desinit obviare: præsertim si ad hoc faciendum etiam juramento proprio se adstrinxit. Sed nec illi sunt immunes à crimine, qui, cum se illis offert opportunitas loci & temporis, ac facultas, hæreticos seu prænominatos rebelles capere, capientesve juvare nequiter prætermittunt; maximè si de hoc fuerint à capientibus, seu capere volentibus, requisiti. Et quoniam plures & quasi investigabiles sunt modi nocendi, quibus hæretici eorumque credentes atque fautores nituntur vineam Domini Sabaoth demoliri; & eis est tam prudenter quam viriliter occurrendum, curet vestra devotio, secundum datam à Domino gratiam, mala illorum agnoscere, & salutarem apponere medicinam, suppleatque discretio, quod scripto non posset facilè comprehendi.*

Tandem & frater Ivonetus indicia & signa descripsit unde fautores hæreticorum deprehendantur: Exstat in summâ illius, cujus fragmentum est in codice membranaceo bibliothecæ Vaticanæ, titulus, *Quomodo deprehendantur fautores hæreticorum*: enumeratque ibi quinque indicia, hisce verbis. *Facilè possunt deprehendi hæreticorum fautores, & hoc per quinque indicia satis probabilia.* **Unum:** *Quicunque clam visitant eos dum captivi tenentur, & susurrant cum eis, & victualia ministrant eis, suspecti sunt quod eorum sint discipuli & fautores.* **Secundum est:** *Qui valdè lamentantur de eorum deprehensione vel morte, videntur eorum amici*

ci spirituales fuisse dum viverent: esse autem hæretico diu familiarem, & ejus ignorare secreta, vix est credibile. Tertium est: Quicunque causantur quod injustè sunt condemnati, postquam apertè convicti fuerint, vel etiam confessi de hæresi, apparet quod eorum sectam approbant, & Ecclesiam reputent errare, quando eos damnat. Quartum: Quicunque amarum vultum habent ad illos qui persequuntur hæreticos, vel prædicant contra hæresim efficaciter, sicut potest tum in oculis & naso & aspectu talium notare, qui velit advertere ista, quod non possint rectis oculis aspicere, suspectum est valdè quod odio habent illos, contra quos cor eorum ita amarescit, (quod etiam in vultu apparet) & diligunt illos de quorum exterminio tantum dolent. Quintum est: Si aliqui furtivè inveniuntur ossa hæreticorum combustorum nocte colligere quasi reliquias, dubium non est, quin eos pro sanctis venerentur, quorum ossa pro sanctuario recondunt, & esse hæreticos, sicut illos: Nullus enim habet hæreticum pro sancto nisi qui ejus sectam credit esse sanctam, & talis hæreticus est sicut ille. Hæc indicia vehementem faciunt præsumtionem contra illum de hæresi, etsi non plenam probationem ad condemnationem, nisi & alia concurrant argumenta, ex quibus liquidò constaret, prædicta eos in favorem hæresis fecisse.

Fautores hæreticorum ipso jure sunt excommunicati. C. *Excommunicamus.* § *Credentes.* Si sunt fautores meri, & non publicantur excommunicati, non incurrunt alias pœnas: si verò publicati fuerint, nec intra annum satisfecerint, multas incurrunt pœnas, quæ prolixè describuntur C. *Excommunicamus.* § *Credentes.* de hæret.

CAPUT X.

De Impeditoribus Officii Inquisitionis.

Fautoribus hæreticorum proximè accedunt impeditores Officii Inquisitionis, qui etiam inter hæreticorum fautores numerari solent.

Ut officium Inquisitionis strenuè exerceatur, nullique hæretici illius rigorem effugere possint, omnibus, cujuscunque dignitatis ac conditionis, severissimè præceptum est, præsertim Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis, ut negotio Inquisitionis faveant, & Inquisitoribus omnem præstent favorem & auxilium. Sic Alexander IV. in Bullâ *Orthodoxæ fidei Christianæ.* Omnibus Archiepiscopis, Episcopis aliisque Prælatis præcipit: *Cum igitur quidam Fratres Ordinis Prædicatorum sint in prædictis Provinciis Inquisitores contra hæreticos per Sedem Apostolicam constituti, ut negotium fidei ferventi animo & corde constanti non sine multis tribulationibus & persecutionibus prosequantur, Universitatem vestram monemus & exhortamur in Domino Jesu Christo, vobis per Apostolica scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo, mandantes quatenus Inquisitoribus ipsis favorabiliter assistentes ad promovendum dictum negotium, eis consilium & auxilium omni humano timore postposito efficaciter impendatis; scientes, quod ipsi qui ea præstiterint sibi hactenus & præstabunt, in omnibus favorem Sedis Apostolicæ sentient specialem, & in eorum opportunitatibus nos invenient favorabiles & benignos: Ii autem quos noverimus contemtores, præter divinum judicium quod iis imminet, ecclesiasticam non effugient ultionem.* f. 420. Tr. II.

Idem in Bullâ, *Ne commissum vobis.* dicit, quod si Clerici & Religiosi non juverint Inquisitores secundum officium & posse suum, quod procedant contra eos secundum canonicas sanctiones, non obstantibus aliquibus privilegiis. Et in V. Decret. in cap. *Excommunicamus.* in fine, Episcopis mandatur sub pœnâ depositionis, ut hæc omnia exequantur.

Magistratibus verò, nisi negotium Inquisitionis promoveant, multò magis verò si id ullâ ratione impedire præsumant, omnes diras & terribile exitium interminatus est Innocentius IV. in Bullâ ad Provincialem Lombardiæ, quæ incipit. *Tunc potissimè. Verum quia tam salubre negotium super omnia promovere cupimus, propter quod impedimenta qualibet ab ipso intendimus penitus cum Dei adjutorio removere: quia si forte, quod non credimus, aliqua civitas vel communitas, sive aliqui Magnates, vel* Bzovius a. 1252. § 4.

nobiles, seu potentes huic negotio se opponere, aut illud præsumpserint aliquatenus impedire, ut non possit per deputatos ad hoc à nobis procedi liberè in eodem, imò nisi foverint illud & juverint studiose, nos procul dubio ad comprimendam tam superbam & perniciosam audaciam, & omnimodò confundendam, in illos gladium Ecclesiasticæ potestatis acriter extendemus: Et reges, ac principes, aliosque Christi fideles, sive pro terræ Sanctæ succursu, sive alias pro Christi servitio crucis charactere insignitos, nec non & cæteros Catholicos, invocabimus contra eos; ut & cælum & terra adversus detestabilem temeritatem ipsorum pariter moveantur; cum non minus expediat, imò magis, fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare. Eadem fermè ad verbum exstant in Bullâ Urbani IV. *Licet ex omnibus mundi partibus.* editâ 1262. 13 Cal. April.

Direct. Inquis. p. 2. qu. 54. Inquisitionis autem Officium alii dicuntur impedire directè, alii indirectè. Directè; qui captos ob crimen hæresis propriâ temeritate è carcere liberant; vel processus Inquisitionis lacerant; testes in causâ fidei ob testimonium ipsorum vulnerant: Vel si dominus temporalis statuat, quod nullus de crimine hæresis cognoscere debeat nisi ipse; nullus accusari, nullus testari, nisi coram ipso. Etiam omnes, qui minis & terroribus verbalibus tantummodò utuntur. *Carena p.* 2. t. 4. n. 23. Et qui processum, judicium vel sententiam in causâ fidei directe impediunt; vel qui ad hæc agenda præstiterint consilium, auxilium, vel favorem.

Indirectè impedire dicuntur, qui insinuatione utuntur, aut alio medio, unde in consequentiam oriatur impedimentum Officii Inquisitionis: Tales sunt, qui præcipiunt, ne ullus arma portet nisi de familiâ Domini temporalis, neve ullus quempiam capiat aut capi faciat, nisi Dominus temporalis. Inde enim sequitur, eos, qui sunt de familiâ Inquisitoris, non posse arma gestare neque quemquam capere. Hi minus sunt culpabiles, quam priores: Omnes tamen excommunicantur; & si eam excommunicationem anno integro sustineant, si volunt redire, abjurare debent impedimentum, & fautoriam; aliàs ut impœnitentes hæretici traduntur brachio sæculari.

Inquisitoribus autem contra tales procedendi potestas data est per Urbanum IV. aliosque Papas, rescripto ad Inquisitores hæreticæ pravitatis, cujus initium, *Præ cunctis.* Ubi inter alia ita habetur. *Cæterum si forte (quod non credimus) aliqui cujuscunque conditionis, huic negotio vobis commisso se opponere, seu illud præsumserint aliquatenus impedire, ut non possit procedi liberè in eodem, imo nisi requisiti illud foverint, & juxta officium & posse suum singuli juverint studiosè; contra eos, tanquam contra hæreticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones canonicas, freti eâdem autoritate, intrepidè procedatis.* Et per caput, *Ut Inquisitionis.* § *Prohibemus.* lib. VI.

Nec desunt exempla Inquisitionis institutæ, non tantum contra privatos, sed & contra Magistratus, imò integras civitates & communitates, quæ Inquisitioni impedimentum objecerant. Refert nobis Bzovius memorabile exemplum, quod circa annum CIↃCCLXXXV. in ditione Parmensi contigit, allatâ Honorii IV. epistolâ ad Episcopum Parmensem, quâ hæc continentur. Frater Florius „Ordinis Prædicatorum Inquisitor hæreticæ pravitatis in partibus Lombardiæ „ab Apostolicâ sede deputatus, quandam mulierem post abjurationem in crimen „hæresis relapsam condemnavit; quæ curiæ sæculari tradita incendio fuit deputata. Verum nonnulli, qui in loco incendii prædicti convenerunt, & etiam „quamplures alii ex diversis civitatis partibus confluentes, ad locum Fratrum „dicti Ordinis, in civitate prædictâ morantium, hostiliter cucurrerunt, ac in „prædictum locum impetum facientes, valvas Ecclesiæ confringere, tecta lapidibus obruere, & officinas loci ejusdem violenter ingredi præsumpserunt; ac „Libris, vestibus & rebus eorumdem Fratrum iniquè direptis, nonnullos ipsorum „verberibus ac vulneribus affecerunt, quorum unus post paucos dies ex illatis sibi „vulneribus exspiravit. Quare & Fratres prædicti ex illo loco excesserunt.

(a. 1285. § 12.)

„Quia Potestas & Magistratus ad correctionem illius criminis, pro officio, „procedere negligebant, citati sunt ab Ostiensi Episcopo, ut coram eo certis „loco & termino personaliter comparerent. Comparuerunt quidem; sed quia „juxta formam citationis prædictæ nullus prædicto Communi sufficiens Syndi-

„cus

„ cus comparuit coram eo, in ipsos excommunicationis, & in civitatem inter-„ dicti sententiam promulgavit. Posteà Potestas & Magistratus petierunt senten-„ tiam excommunicationis & interdicti relaxari, promiseruntque se beneplacitis „ Ecclesiæ obedituros, & de stando juri super excessibus, offensis & injuriis su-„ pra dictis impendere sufficientem, juratoriam & fidejussoriam cautionem. Ita-„ que cautio hæc admissa est; & receptis à præfato communi fidejussoribus ido-„ neis, personis scilicet singularibus de mille marchis argenti, quod mandatis „ Ecclesiæ parerent, sententia illa fuit relaxata; ipsique citati, ut infra unius „ mensis spatium coram Papâ Martino IV. per se, vel per Syndicos, seu pro-„ curatores idoneos, ad hoc sufficienter instructos, comparerent, super illis ex-„ cessibus mandato Papæ parituri, & recepturi quod ordo exigeret rationis. „ Comparuerunt prædicto termino coram Papâ, sed nullus in eo negotio ulte-„ rius est habitus processus. Quare Honorius IV. mandat Episcopo Parmensi „ ut eos denuò coram ipso citet, ut ita ipsius mandatis pareant, & recipiant „ quod ordo dictaverit rationis. Quis verò processus hujus fuerit eventus, & quæ poena Magistratui huic irrogata, Bzovius non narrat.

Aliud nobis exemplum exhibet liber Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ. fol. 138. verso & seqq. In castro de Cordua ditionis Tholosanæ, in carcerem Inquisitionis aliqui fuere conjecti. Magistratus unaque plebs insurrexit contra Episcopum Albiensem & Inquisitores, variisque modis officium Inquisitionis impediverunt. Pronuntiata in ipsos fuit sententia excommunicationis. Tandem Magistratus ac præcipui è populo supplices in Sermone generali de fide se coram Inquisitoribus prosternunt, & oblatâ supplicatione humiliter fatentur, & deprecantur culpam: simpliciter ac totaliter se supponunt voluntati & ordinationi Inquisitorum, offerentes se paratos ad emendationem, & ad suscipiendam poenitentiam & perficiendam, qualemcunque ipsis duxerint injungendam: orant absolvi à sententiis excommunicationis; promittuntque se fore devotos & perseveraturos in devotione, & reverentiâ & obedientiâ erga Inquisitores, ipsorum successores, & Officium Inquisitionis, toto tempore vitæ suæ. Hæc tam humilis supplicatio ad misericordiam commovit Inquisitorum animos, adeò ut, licet Magistratus ac populus graviter deliquerint contra Episcopum Albiensem, Inquisitores, ipsorumque officium, ac proinde gravibus poenis forent digni; tamen considerantes eorum humiliationem & supplicationem eos à sententiis excommunicationis absolvunt: sed hac impositâ poenitentiâ, ut in suo castro construi faciant Capellam, cum ornamentis omnibusque requisitis ad officium divinum peragendum: ac tandem super Capellæ ostium tres erigantur imagines, quarum una sit Episcopi Albiensis, reliquæ duæ duorum Inquisitorum. Et tandem retinent sibi ordinationem faciendam de quibusdam personis singularibus dictæ communitatis, usque ad sex vel octo, quas eodem vel postero die essent nominatim vocaturi, quibus, quoniam amplius deliquerunt, salutares poenitentias essent injuncturi: ac totam universitatem & singulares ejusdem personas onerant, ut ipsi & eorum quilibet Episcopo & Ecclesiæ Albiensi, nec non officio Inquisitionis & Inquisitoribus, & quibusvis personis ipsis adhærentibus, & de expensis per eos negotii dicti ratione factis satisfaciant.

In eodem Sententiarum libro duo etiam occurrunt exempla Inquisitionis institutæ contra privatas personas, impedientes officium Inquisitionis: Prius est Fratris Bernardi Deliciosi Ordinis Minorum: Alterum Magistri Guilielmi Garrici de Carcassona, legum Professoris.

Frater Bernardus Deliciosi accusatur, quod tanquam principalis Director fol. 132. & seqq. Carcassonensis, Albiensis, & Corduensis civitatum querelas, magnâ pecuniæ summâ, tam à dictis locis collatâ, quam venditis suis libris corrasâ, & mutuo acceptâ, sit prosecutus: processus & sententias Inquisitorum in quosdam privatos super hæresi promulgatas, in publicis sermonibus & alibi, etiam in curiis secularibus exagitaverit: captos de hæresi, & condemnatos, justificaverit, &

ipsos, licet veros Catholicos, per tormentorum violentiam de se & aliis confessos super hæresi & injustè condemnatos fuisse dixerit; atque ita Consules & populum contra Episcopum & Inquisitores concitaverit: quod etiam publicè Tholosæ asseruerit, *Quod Beati Petrus & Paulus ab hæresi defendere se non possent si viverent, dum tamen inquireretur cum eis per modum ab Inquisitoribus observatum*; quodque ita Regem Franciæ contra Inquisitores informaverit: Quod falsò imposuerit Inquisitoribus instrumentum contra Communitatem Carcassonensem super negotio hæresis, & inde porrò argumentum desumserit concitandi populum, viderent, quid Prædicatores isti facere possent contra singulares personas, qui contra integram communitatem falsum ac perniciosum confecerant instrumentum: & hac ratione Inquisitionis officium impediverit, seditionem ac rebellionem concitaverit, & plura alia fecerit, quibus exercitium Officii Inquisitionis fuit impeditum: Quin & consilio cum variis, pluribus vicibus & diversis in locis habito, à Consulibus Carcassonensibus ad Dominum Ferrandum de Majoricis deputatus sit, ipsique burgum Carcassonam obtulerit his verbis: „Sciatis Domine, quod Consules burgi Carcassonæ propter turbationem Inquisitorum, quia Dominus Rex „Franciæ non vult providere eis super factis Inquisitorum secundum voluntatem „eorum, vellent vos recipere in dominum & defensorem eorum, & recipient „vos si & quando venire volueritis, & tradent vobis burgum Carcassonam: &c. Et quod Dominus Ferrandus responderit, quod libenter reciperet quod sibi per dictum Fratrem offerebatur. Tandem accusatur magiæ, quodque libellum necromanticum habuerit & perlegerit. Quod per hæc sententiam excommunicationis incurrerit, eamque quindecim annis animo indurato sustinuerit, & nihilominus divina celebraverit: Quod tandem post diuturnam contumaciam, & longos contra ipsum habitos processus, omnia plenè fuerit confessus, & à sententiis excommunicationis humiliter petierit absolvi. Itaque ab excommunicationis quidem sententiâ absolvitur; sed pronuntiatur statim degradandus, & perpetuò carceri deputandus, in quo sub vinculis ferreis in pane doloris & aquâ angustiæ perpetuam agat pœnitentiam. Reservant prætereà Inquisitores sibi mitigationem prædictæ pœnitentiæ, secundum quod expedierit, & ipse per patientiam & humilitatem ac cordis contriti sacrificium hujusmodi mitigationem meruerit. Papa autem Joannes XXII. (prout fol. 135. in margine sententiæ annotatur) reservationem illam mitigationis penitus revocavit, mandavitque quod circa eundem Bernardum Deliciosi rigor latæ sententiæ & pœnitentiæ integraliter servaretur.

fol. 142. verso. & seqq. Guilielmus verò Garrici præterquam quod hæreticationi cujusdam interfuerit, & hæreticos more hæreticali adoraverit, dicitur cum aliis consensisse in consilio & tractatu, ut libri Inquisitionis Carcassonensis, in quibus scriptæ erant confessiones & depositiones in facto hæresis, clam per quendam familiarem Inquisitionis ejusdem subriperentur & comburerentur, aliisque modis officium Inquisitionis impediverit, & propterea sententiâ excommunicationis punitus eam per plures annos sustinuerit, ideoque ad carcerem muri fuerit condemnatus: Nunc verò post varias tergiversationes tandem culpam agnoverit, seque Inquisitorum voluntati submiserit, gratiam & misericordiam sibi fieri petens. Qui post solennem abjurationem non tantum hæreseos, sed & favoris, & receptationis, & defensionis ac participationis hæreticorum, à sententiâ excommunicationis absolvitur, imponiturque ipsi hæc pœnitentia, ut in primo generali passagio (verba sunt sententiæ) teneatur personaliter transfretare, ibidem moraturus usque ad Inquisitorum aut successorum suorum beneplacitum seu mandatum: Aut si legitimè fuerit impeditus, teneatur transmittere sui loco sufficientem & idoneum bellatorem in subsidium terræ sanctæ suis sumtibus & expensis: Et intra triginta dierum spatium è regno Franciæ egrediatur ad locum ipsi ab Inquisitoribus deputandum, ubi commoretur ad tempus usque transfretationis; vel etiam post illam, si alium bellatorem suo loco mittat. Quâ sententiâ latâ, lectâ & publica-

blicatâ per Inquisitores, Magister Guilielmus Garrici flexis genibus, complosis manibus cum humilitate, dixit quod prædicta acceptabat, gratias agens & reddens, primò Domino Jesu Christo, ac postmodum Inquisitoribus de gratiis hujusmodi sibi factis.

In alios Magistratus excommunicationis sententiæ vibratæ sunt, terræ ipsorum Interdicto suppositæ, & concessæ primo occupanti. Qualia plura in primo Historiæ hujus libro exempla vidimus. Et quoniam officium hoc, per se odiosum, Inquisitores nimiâ suâ sævitiâ plerumque magis odiosum reddunt, atque ita hominum in se iras ac indignationem provocant; ne vel minima ipsis læsio vel offensio obtingat, atque ita officio huic aliquod objiciatur impedimentum, Papa Pius V. anno Domini CIↃIↃLXIX. severissimam edidit Bullam contra offendentes statum, res & personas sacri Inquisitionis hæreticæ pravitatis Officii, quam operæ pretium est hic integram exhibere.

Pius Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Si de protegendis cæteris omnibus Ecclesiæ ministris, quos in fidem & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet; quanto majori studio eam nos sollicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis hæreticæ pravitatis officio versantur, sub tutelâ inviolatæ autoritatis hujus sedis periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur? Cum itaque ejus generis impiorum vis quotidiè magis invalescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subvertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur; eò jam nos detrusit necessitas, ut nefariam & scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus. Hac igitur generali constitutione de Fratrum nostrorum consilio sancimus, ut quicunque sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemvis ex Inquisitoribus, Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliisque ministris prædicti Officii, vel Episcoporum id munus in suâ Diœcesi aut provinciâ obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem, in causâ fidei quomodocunque productum, vel evocatum, occiderit, verberaverit, dejecerit, seu perterrefecerit, quive ecclesias, ædes, aliasve res, sive publicas sive privatas, officii, aut ministrorum expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit, aut libros, literas, autoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliave instrumenta, sive publica sive privata, ubicunque posita combusserit, diripuerit, seu interverterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo illa exportaverit, seu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis, sive capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causâ fuerit, sive res aut personas servari defendive prohibuerit, quive carcerem aut aliam custodiam, seu publicam seu privatam, effregerit, vinctum extraxerit seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu jusserit id fieri, qui cœtum concursumve fecerit, sive ut aliquid horum fieret homines accommodaverit, sive alias auxilium, consilium, aut favorem publicè vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum direptumve, nullum denique damnum reipsâ sit secutum, nihilominus is sit anathemate præsentis canonis autoritate ligatus, idem quoque læsæ majestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocunque alio beneficio temporali & perpetuo eo ipso privatus, secularis judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis rebusque omnibus fisci juribus applicatis, uti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum; ejus filii paternæ infamiæ subjecti omnis cujuscunque hæreditatis, successionis, donationis, & legati, sive propinquorum sive extraneorum, omninò sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut causam ullam proponere, vel prætendere possit, qui tantum nefas in contemptum & odium hujus officii admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porrò de prædictis eorumque filiis statuimus, idem illud de omnibus clericis & presbyteris, secularibus, & quo-

Constitutio contra offendentes statum, res & personas sacri Inquisitionis hæreticæ pravitatis officii.

quorumvis Ordinum, etiam exemptorum, regularibus, & quacunque etiam Episcopali & majore dignitate præditis, ac etiam privilegio quomodocunque suffultis, decernimus exequendum, ita ut ipsi beneficiis & officiis omnibus ecclesiasticis præsentium autoritate privati, per judicem ecclesiasticum hæreticorum more degradentur, demum potestati seculari traditi pœnis prædictis laicorum instar subjiciantur: Pontificum tamen causis nobis & successoribus nostris reservatis, ut re quæsitâ, & nobis renuntiatâ, contra eos ad depositionem & alias pœnas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare. Quicunque autem pro talibus veniam petere, aut alias intercedere tentaverint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse. Verum si quis etiam hujusmodi criminum conscius vel affinis, sive religionis studio, sive pœnitentiâ ductus, rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur. Cæterum eamomnium & quarumcunque absolutionum rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationum, & restitutionum etiam ad famam & honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cujusque assumtionem ad hujus dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes, omnes & quascunque hujusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones, quæ precibus sic non verificatis de cætero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, & gratiâ ex certâ Romani Pontificis scientiâ factâ, & propriâ manu subsignatâ, ullâ in parte derogatum censeri debere, & si illis ex quâcumque causâ aliter derogari contigerit, derogationes hujusmodi nullius prorsus fore roboris & momenti. Jubemus igitur universos & singulos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos, & cæteros Ecclesiarum Prælatos per universum orbem constitutos, ut per se, vel alium, vel alios, præsentes literas, aut earum exempla, in suis quisque provinciis, civitatibus, diœcesibus & locis solemniter publicare, & quantum in se est firmiter observari procurent, contradictores quoscunque per censuras & pœnas ecclesiasticas appellatione postpositâ compescendo, ipsasque censuras & pœnas etiam iteratis vicibus aggravando, & invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque Notarii publici manu, & cujuscunque curiæ ecclesiasticæ vel Prælati sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ. Cæterum omnes orbis terrarum principes, quibus gladii sæcularis potestas ad malorum vindictam est permissa, per eam quam se tueri promiserunt fidem obtestamur, ita suas quisque partes, sive in præstando ministris prædictis auxilio, sive in criminum post ecclesiæ sententiam animadversione, interponere, ut eorum quoque præsidiis ministri ipsi tanti officii munus pro Dei æterni gloriâ & religionis incremento feliciter exequantur, amplissimum à Deo præmium recepturi, quod fidei prædictæ assertoribus æternæ beatitudinis consortio præparavit. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, legationis, statuti, decreti, jussionis, obtestationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ CIƆ IƆLXIX. *Cal. April. Pontificatus nostri anno quarto.*

p. 2. t. 13. § XXIV. Et juxta Bullæ hujus constitutionem graves illius violatoribus pœnæ aliquoties sunt irrogatæ. Refert Carena ex Farinacio, quemdam carceratum in S. Officio, qui præparatâ fugâ vulneraverat ad mortem custodem carcerum, fuisse suspensum: Addit, Cremonæ anno CIƆ IƆCXIV. Hebræum quendam fuisse suspensum, eò quod occiderat quendam Hebræum, qui contra eum in S. Officio deposuerat. Nec hoc tantum, verum quando vulnus non est lethale, sed leve, vidisse se ait sic offendentes aliquando damnari ad triremes perpetuas, vel saltem decennales; prout Cremonæ executioni mandatum est in personâ cujusdam, qui baculo percusserat testem, qui in S. Officio deposuerat contra ipsius fratrem; sententiaque illi publicè prælecta fuit, præsente Carenâ, in aulâ magnâ Episcopatus Cremonæ.

Refert tamen idem Carena casum, ex quo liquet, perterrefacientes testes (non ta-

tamen secuto effectu) aliquando dimissos fuisse cum gravi objurgatione, & intimatione Bullæ memoratæ. Cum quidam Currerius S. Officii detulisset quoddam præceptum Inquisitoris uxori cujusdam rustici, quod absente uxore voluit consignare ejus viro, qui dictum Currerium injuriis verbalibus affecit, & cum armis insecutus fuit, dicendo, *li scirro becco torna in dietro à tor il tuo precetto*, coram Papâ die xv. Julii CIↃ IↃCXXI. fuit, annuente Papâ, probata sententia de partibus, quod dictus vir incidisset in pœnam hujus Constitutionis, & quod erat damnandus ad triremes per quinquennium: addito, quod ex benignitate Papæ audietur, si gratiam commutationis petierit, attentâ viri rusticitate, & affectu maritali.

Addit autem cautelam Carena, quod ex his exemplis non licebit Inquisitoribus, nec Ministris S. Officii formare sibi regulam generalem, quod scilicet perterrefacientes puniri debent, ut supra, & pariter vulnerantes: nam hoc arbitrium in materiâ hujus Bullæ non est Inquisitorum, nec Ordinariorum, sed Cardinalium Supremorum Inquisitorum, ad quos spectat declarare, an rei inciderint in pœnas hujus Constitutionis, nec ne.

Aliud refert exemplum, quod Cremonæ accidit anno CIↃ IↃXCII. Quidam omnes testes contra ipsum in S. Officio examinatos accusaverat, & carcerari fecerat per judicem sæcularem ob varia crimina, & damna ab eis & eorum animalibus in ejus prædiis illata. Major pars Congregationis Cremonensis censuit, licet illa accusatio non possit dici formaliter perterrefactio, de quâ in Bulla; tamen quia visa fuit calumniosa & dolosa, reus ille teneretur expensis suis liberare testes carceratos, & solvere omnes expensas liberatis è carcere.

Et hæc locum habent, non tantum si aliquis sit accusatus tanquam hæreticus, sed §17.
„ etiam in omni & quacunque causâ ad S. Officium spectante: quoniam omnis „ causa ad hoc tribunal pertinens dicitur propriè causa fidei, & ad eam spectans, „ notamque aliquam fidei inferens, sive directè, sive indirectè; & in omnibus causis hujusce S. Officii militat ratio eadem libertatis hujusce tribunalis. Sic anno „ CIↃ IↃCXXXV. quidam miles Neapolitanus, qui è manibus Birruariorum quendam blasphemum, nomine S. Officii captum, eripuerat, de ordine Supremi Tribunalis de Urbe fuit condemnatus in omnes pœnas hujus Constitutionis; licet posteà ex benignitate ejusdem supremi Tribunalis fuerit ei commutata pœna vitæ in pœnam remi decennalis; idque ita publicè fuit Cremonæ „ executioni mandatum in aulâ S. Officii.

Imò eò usque quandoque extenditur, ut quæcunque etiam extra causas fidei contra Inquisitorium Familiarem commissa, puniantur, non aliter ac si per ea aut Inquisitionis Officium esset impeditum, aut Inquisitori ipsi gravis injuria illata. Cujus memorabile exemplum nobis refert Reginaldus Gonsalvius, quod superiore sæculo Hispali contigit. Episcopus Tarraconensis Hispali Inquisitor p. 191.
primarius æstate quâdam ad amænos Bæticæ ripæ hortos animi gratiâ, cum universo Inquisitorio satellitio, atque episcopali apparatu pro consueto sibi more est egressus. Ad stagni crepidinem ejus horti, in quo Dominus Episcopus tum voluptati indulgebat, sedebat forte ludibundus hortulani filius bimus aut forte trimus. Unus ex pueris Domini Inquisitoris extortâ è manu filioli hortulani arundine quâ ludebat, ploratus ei excitavit. Hortulanus audito plorante filio mox adest, & causâ puerilium lachymarum intellectâ, succenset inquisitorio famulo, petitque arundinem puero restitui: sed eo minus obtemperante, ac insolenter contemnente rusticum, arundinem is è manu arripit, quam dum inquisitorius famulus pressiusculè conatur retinere, arundinis stipulæ acie in manu nonnihil est læsus. Haud erat lethale vulnus, membrive cujusquam mutilatio, quæ mulctâ severiore foret vindicanda; sed scalptura quædam cute tenus, qualem arundinis confractæ acies efficere poterat; puerile planè vulnus. Adit herum suum non procul deambulantem puer inquisitorius questum sanguinem; hortulanum capi jubet Inquisitor & in arcem Inquisitoriam trahi, ubi eum in prægravibus compedibus detineri fecit

per totos novem menses, jacturam in fortunis suis, alioqui satis tenuibus, pauperi homini non facilè resarciendam, recipientem, liberis intereà & uxore fame fortasse pereuntibus, quod scilicet inquisitorio puero, veluti sancti quoque Tribunalis membro, non detulerit. Post novem demum menses eum remittunt, persuadentes majore longè misericordiâ quam pro culpâ suâ erga eum fuisse usos.

CAPUT XI.

De Suspectis de hæresi.

Direct. part. 2. Qu. 55. 56.

QUanquam alias distingui soleat inter suspicionem & præsumtionem, quod suspicio sit opinio mali alicujus, ex quâ ad præsumtionem venitur; una autem suspicio non inducat præsumtionem, sed plures suspiciones requirantur; in causâ tamen hæresis pro eodem accipiuntur. Est itaque præsumtio seu suspicio in hoc negotio, rei dubiæ conjectura verisimilis, quæ ex naturâ rei, vel circumstantiis negotiorum aut personarum proficiscitur. „ Præsumtiones desumuntur ex patriâ, ex parentibus: verum illæ sunt nimis generales: alia desumitur „ab educatione, & ex moribus illorum quibuscum conversatus est. Hæc causa est, quod Inquisitores in primâ parte actorum tam diligenter interrogare soleant reos, ex quâ natione, patriâ, familiâ, cognatione, sint, apud quos „educati, quos habuerint magistros, præceptores, socios, amicos. Ea enim „& mille talia considerari solent in rebus dubiis, ut inde argumenta verisimilia „ducantur. Tum & sexus est considerandus: facilius de viro præsumitur latrocinium; de fœminâ veneficium: tum & ætas, fortuna, conditionis distan„tia, animi natura, & studia.

Simancas tit. 50. § 8. &c. § 17.

In causâ hæresis suspicio dicitur esse triplex, levis, vehemens, & violenta. Levis est, quæ provenit ex signis exterioribus operum aut verborum, ex quibus capitur conjectura, quâ concludi potest, non quidem frequenter, sed rarò, seu casu, quod talia dicens vel faciens sit hæreticus: Quod deducitur levi consequentiâ. Veluti si quis ita argumentetur: ille reperitur occulta conventicula frequentare, aut vitâ ac moribus à communi conversatione fidelium recedere, ergo est hæreticus: quia nempe hæretici talia frequenter facere probantur. Tales de hæresi leviter habentur suspecti. Illis tamen non facilè moveri debere Inquisitores docent, in causâ tam gravi. Attamen hæreticos solummodò alloqui quandoque impunè non fuit. Sic refert Bzovius anno CIↃCCXXXIV. § 14. Acursium, filium Aldobrandini civis Florentini, in canonem incidisse, quod in Galliis agens hæreticos fuerat allocutus: Sacrum enim tunc censebatur, si quis contra Apostolica instituta vel unicum ave eis edixisset: & cum jam per Raymundum Peniafortium Sedis Apostolicæ pœnitentiarium absolutus esset, injunxit Papa Gregorius Priori & Fratri Roberto, & reliquis Fratribus Prædicatorum Parisiensium, ne eum in quoquam vel molestarent, vel molestari tolerarent aut juberent.

Vehemens suspicio, quæ & vocatur juris, provenit ex signis exterioribus operum vel verborum, ex quibus cognitis accipitur argumentum concludens frequenter; & ut in pluribus, quod talia agens vel dicens est hæreticus; & si nihil in contrarium probetur, pro plenâ probatione haberi solet. Tales sunt, qui vocati ad respondendum de fide non comparent in tempore assignato: Quicunque scienter impediunt Inquisitionis officium: Qui impeditoribus ejusmodi præstant scienter consilium, auxilium, vel favorem: Qui instruunt hæreticos citatos ut veritatem subticeant, & dicant falsitatem: Excommunicati ex causâ fidei quocunque modo: Fautores, defensores, receptatores scienter hæreticorum: Infamati de hæresi ob familiaritatem cum his quos noverunt esse hæreticos: Scienter deducentes, visitantes, receptantes hæreticos: Quin & qui hæretico osculum dedit, judicio Synodi Tarraconensis hæreseos vehementer est suspectus;

spectus; juxta decretum hoc: *Item quæritur: Utrum ille, qui dedit osculum Inzabbatato, vel hæretico, quem credebat, vel sciebat eum Inzabbatatum; vel oravit cum eo, & celavit eum, vel audivit prædicationem vel lectionem ab eo, & credidit talem esse bonum hominem, sit judicandus credens ejus erroribus? Et dicimus, quod non: sed talis condemnetur tanquam fautor, vel occultator, & benefactor, & vehementer suspectus quod credit ejus erroribus: nisi adeò esset literatus, vel discretus, quod non posset ignorantiam prætendere: quod arbitrio discreti judicis duximus relinquendum* Præter hos etiam vehementer suspecti sunt convicti de perjurio vel mendacio judicialiter in causâ fidei: Qui dixerunt vel fecerunt sæpius aliquid contra fidem, & similes; non enim omnes speciales casus enumerari possunt. Et qui hæc committunt dicuntur vehementer suspecti.

Suspectis de hæresi etiam annumerantur qui hæreticos, credentes, receptatores, defensores & fautores eorum scienter tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ, hoc est, qui eos ad modum Christianorum cum psalmis & orationibus in cœmeterio Ecclesiæ sepeliunt. Qui enim scienter sepelit eos, quos Ecclesia ut hæreticos, aut de hæresi suspectos, persequitur & damnat, quamvis aliud animo gerat, hoc facto indicare ac profiteri videtur, aut non debuisse Ecclesiam tales sepulturâ privare, aut pro hæreticis & eorum credentibus, &c. esse orandum, cum more Catholicorum eos sepeliat. Num autem suspicio hæc sit tantum levis, an vehemens, ex qualitate personarum pensandum erit judicio peritorum. Pœna illorum est excommunicatio, à quâ non possunt absolvi, nisi per idoneam satisfactionem, sive ea sit abjuratio, sive canonica purgatio. Nec absolutionis beneficium mereri poterunt, nisi propriis manibus extumulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum: ut habet textus cap. *Quicunque*. in princ. de hæret. lib. 6. Direct. part. 3. qu. 40. com. 89.

Eadem suspicio oritur, si quis celebrat alicujus exequias more catholicorum, quando is hæreticus aut suspectus alibi est defunctus, puta Genevæ, aut alibi, ubi hæreticè vivitur & creditur. Tandem, si quis hæreticorum combustorum cineres, ossa, vestes, aut similia furatur & custodit.

Si quis autem hæreticum credentem, fautorem, aut cæteros hujusmodi mortuos deprehendat in his locis, in quibus non possit facilè eos ad legitimos judices deferre, tunc terrâ non sacrâ condere potest, ne cadavera insepulta aërem corrumpant: neque ex hoc merebitur ullam pœnam, nec contrahet ullam hæresis suspicionem; rem tamen cum poterit ad judices fidei deferre debet, ut illi quid facto opus sit statuant.

Est & aliud suspectorum genus, eorum nempe, qui scandalosum quid aut suspectum dixerint: prout docet Simancas Tit. XLIX. „Nemo prædicare debet, qui examinatus & approbatus non sit. Quod si prædicator examinatus „& approbatus aliquid scandalosum aut suspectum dixerit, ab Inquisitoribus vocandus est, & statim cogendus, ut publicè illud retractet, vel pio & Catholico sensu populo exponat, & prætereà corrigendus, & admonendus est, ne „talia iterum prædicare audeat. Si verò hæresin aliquam prædicaverit, puniendus „quoque est pro modo criminis, & officio prædicationis privandus. Plenius id „explicat Joannes Royas qui confessus, vel convictus fuerit de propositionibus „temerariis, injuriosis, scandalosis, vel similibus, pœnâ extraordinariâ cum abjuratione de levi, vel vehementi, pro modo suspicionis, est puniendus. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 8. *Instruct. Madril. anni* 1561. *cap.* 53. *& cap.* 65. Pro his „& similibus delictis, quæ non sunt hæreses formatæ, raro in carceribus Sancti „Officii secretis rei sunt detinendi; sed in monasteriis, vel locis privatis. 4. *Instruct. Hispal. cap.* 4. & 3. *Instruct. Pinciana* c. 10. Quod procedit etiamsi delictum non sit plenè probatum, sed pœnæ pecuniariæ, quæ pro hujusmodi delictis imponuntur, in utilitatem Sancti Officii debent tantum converti. Tit. 49. § 1. 3. part. 2. assert. 33.

Ne verò Doctores Pontificii facile hæreseos suspecti reddantur, & ab Inquisitoribus officio priventur, protestatione quâdam uti solent, ut hac ratione censuram evadant: Prout docet Simancas, Tit. LV. § 1. „Quia periculosum est „de rebus fidei & religionis disserere, tametsi vera dicantur, idcirco viri eru- Tit. 55. § 1.

„diti, sapientes & pii, hæc eadem tractantes prudenter admodum protestari solent, se nolle à fide Catholicâ aliquo pacto deviare, sed in omnibus semper „Ecclesiæ universalis doctrinam amplecti & ejus censuræ libenter subjacere velle: Deinde revocationem sub conditione subjiciunt, in hunc fere sensum; Quod „si forte aliquid contra fidem Catholicam eos dixisse aut scripsisse contigerit, „exinde illud revocant, & ex imperitiâ vel imprudentia dictum aut scriptum „intelligi volunt, non autem ex malitia vel pertinaciâ. Sed verò, ne temere aliqui ejusmodi protestationibus Inquisitorum censuram eludant, limitationes

§ 6. 8. hasce addit Simancas; „Hæc autem protestatio, etiamsi millies iteretur, non „excusat, quando quis sciens errat contra Catholicam fidem; aut quando per „ignorantiam errat in his, quæ explicitè scire tenetur, nisi forte ignorantiam

9. „suam aut aliquam erroris causam probare potuerit: Sed multum proderit, „quando errat in iis, quæ usque adeò sunt difficilia, obscura & ambigua, ut „viros doctissimos nonnunquam latere possint; quia ex ignorantiâ magis quam „ex malitiâ talis error natus esse censetur.

part. 3. com. 23. p. 472. Oritur etiam suspicio, quod quis malè sentiat de aliquo Ecclesiæ dogmate, instituto, aut ordine, aut re aliquâ de quâ sentiendum est sicut sentit Ecclesia, veluti de potestate Papæ, & Prælatorum, de sacris Monachorum religionibus, de Sacramentorum ritibus, aliisque; si quis indigno aliquo facto injuriam & contumeliam his inferat, aut libellos excommunicatorios, quos vulgus cedulones vocat, conspurcat cum turpium figurarum appositione: quales Marcus Antonius Columna Marsilius, Archiepiscopus Salernitanus, responso quodam ad Sanctum Officium pertinere contendit: quia hoc facto videntur de potestate Prælatorum malè sentire, & censuras Ecclesiæ contemnere, atque irridere, &

Lucern. Inquisi. in v. Suspicio. & ignominiam Ecclesiæ irrogare, quæ eis censuris utitur. Prætereà, si quis in excommunicatione persistat per biennium, imò per annum, suspectus est de hæresi: præsumitur enim malè sentire de Sacramentis Ecclesiæ, ejusque potestate, quatenus ejus excommunicationem flocci facit. Si autem quis fuerit excommunicatus pro contumaciâ commissâ in causâ hæresis, tunc post lapsum anni habetur pro hæretico, & ut talis puniri potest.

Suspecti etiam sunt, qui conversantur cum hæreticis; & ex hâc conversatione oritur indicium sufficiens ad torturam contra conversantem; uti docet Carena p. 2. t. 4. § 7. n. 69.

Violenta suspicio, quæ & vocatur juris & de jure, est quædam legis dispositio aliquid præsumentis, & super præsumto, tanquam sibi comperto & noto, statuentis: Nec contra hanc præsumtionem regulariter & directè admittitur probatio in contrarium; quia cum ab apertis & violentis indiciis proficiscatur, pro manifestâ veritate habetur. Nascitur autem ex signis exterioribus operum aut verborum, ex quibus concludi solet efficaciter, & fere semper, quod talia dicens vel faciens est hæreticus: Uti olim, si quis hæreticos adoraverit, aut eis reverentiam ipsorum more exhibuerit; consolationem vel communionem ab eis receperit; vel similia, quæ ad ritum eorum pertinent, perpetraverit: per cap. *Filii.* & per cap. *Accusatus.* Extra. de hæret. lib. 6. Et tales dicuntur violenter suspecti.

Leviter suspecto imponitur canonica purgatio, aut etiam abjuratio pro levi. In hoc tamen casu cautè procedendum docent, quia per abjurationem si in similem suspicionem recidat gravius punitur: per cap. *Accusatus*, in principio. *Accusatus de hæresi vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna & vehemens suspicio orta erat, si hæresin in judicio abjuravit, & posteà committit in ipsâ, censeri debet quâdam juris fictione relapsus, licet ante abjurationem suam hæresis crimen probatum non fuerit. Si autem levis & modica illa suspicio fuerit, quamquam ex hoc sit gravius puniendus, non tamen debet in hæresim relapsorum pœnâ puniri.*

Vehementer suspectus non est hæreticus, nec potest ut hæreticus puniri: Extra. de præsumpt. cap. *Literas.* § *Quocirca*; ubi expressè dicitur: *Cum propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine condemnari.* Sed

illi

illi mandari debet, ut abjuret generaliter omnem hæresin, & specialiter eam, in quâ commisit tanquam vehementer suspectus. Eaque non est levis pœna: Quia si posteà relabitur vel in pristinam hæresim, vel in aliam; vel eos, quos scit hæreticos, associet, seu favorem eis impendat qui excusari non possit, relapsorum pœnam incurrit: per cap. *Accusatus*. Ubi sic dicitur: *Eum verò qui in unâ hæresis specie vel sectâ commisit; aut in uno fidei articulo seu Ecclesiæ sacramento erravit, & postmodum hæresin simpliciter, vel generaliter abjuravit; si ex tunc in aliam etiam hæresis speciem, sive sectam, aut alio articulo seu sacramento committat; volumus ut relapsum in hæresin judicari. Ille quoque, de cujus lapsu in hæresin ante abjurationem constiterat, vel nunc constat; si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, sive associet, aut dona vel munera eis donet, vel mittat, seu favorem eis impendat qui excusari non possit, etiam sine adoratione (ut verbis vestris utamur) meritò debet judicari relapsus: cum illum ex approbati à se prius erroris consequentiâ non sit dubium id fecisse.* Si ad judicis sui mandatum non consenserit continuò abjurare, excommunicatur; in quâ excommunicatione si per annum steterit, est ut hæreticus condemnandus, & brachio sæculari tradendus: & potest interim aliâ mitiori pœnâ puniri arbitrio judicantis; quales sunt pœnæ pecuniariæ.

„Verum id tum demum fieri solet, cum reus est vehementer suspectus, & „propter ætatem, vel valetudinem, vel aliam causam, nec torqueri, nec pur- „gari potest: nam tunc trahitur cum aliis reis in publicum, indutus habitu pœ- „nitentiæ, & abjurat solemniter, & tertiâ parte bonorum mulctatur, plus mi- „nusve, arbitrio judicum. Sed has pœnas applicare debent expensis officii san- „ctæ Inquisitionis, nec eas accipere possunt, ne in solutum quidem ratione sa- „larii, sibi aut ministris debiti; ut mandato quodam generalis Inquisitionis ple- „nius continetur. 4. *Instruct. Tolet. cap.* 8. Simanc. tit. 46. §76.

Cæterum hæredes eorum qui suspecti erant de crimine hæresis, uti & fautorum, &c. condemnari non debent ad pœnas illas pecuniarias præstandas, etiamsi mortui fuerint illi suspecti accusatione pendente; quia suspiciones, quantumvis vehementes, morte reorum exstinguuntur. Cap. *Accusatus*. § *Porro*. de hæret. lib. 6. *Porro si propter hujusmodi hæreticorum receptationem, defensionem, seu favorem, quis ad faciendam pœnitentiam, quam Inquisitores ipsi injungere vellent, bona sua obligaverit eisdem, & antequam ei pœnitentia injungeretur decesserit; ejus hæredibus non est satisfactio pro extincto jam crimine injungenda.* Neque etiam cogi possunt ad perficiendam pœnitentiam personalem injunctam suspecto, sed non peractam. Cogi autem possunt ad pœnitentiam viventi impositam, de bonis ipsius exequendam. d. cap. *Accusatus*. § *Si vero*. *Si verò pro iis, quæ in hæresi receptando, vel defendendo hæreticos seu eis favendo, non tamen existens hæreticus, quis commiserit, sub obligatione bonorum suorum Inquisitoribus se adstrinxit ad recipiendam ab eis pœnitentiam & complendam: & eâ licet injunctâ, non tamen peractâ, decessit: si per ejusmodi pœnitentiam onus impositum fuerit proficiens ad salutem, in bonis ejus temporalibus exequendum, ad complementum ipsius per Inquisitores cogi debent hæredes, vel alii ad quos cum suo onere bona hujusmodi pervenerunt.* Si ergò ipsi injunctum est fabricare Ecclesiam, vel hospitale, restituere usuras, & similia, isque bona sua pro hac pœnitentiâ adimplendâ obligavit, post mortem ejus ad quemcunque successorem, etiam particularem, ea bona devolvantur, ad eum semper pervenient cum illo onere. Idem etiam cavit Concilium Biterrense cap. XIX. *Et idem faciatis de illis, qui decesserunt acceptâ pœnitentiâ, nec impletâ, si esse in morâ cœperint; vel pro illâ complendâ obligaverint, ut suprà tetigimus, bona sua.* §77. Eymer. P. 3. q. 120. com. 169.

Violenter suspectus pro convicto de hæresi & ut hæreticus est condemnandus: per cap. *Excommunicamus*. 1. § *Qui vero*. Extra. de hæret. lib. 5. & per cap. *Cum contumacia*. & per cap. *Ut officium*. Nam vel fatetur crimen, vel non. Si fatetur, & voluerit redire, & hæresim abjurare, ad pœnitentiam est recipiendus, per cap. *Ad abolendam*. & per cap. *Excommunicamus* 2. § fin. Si non consenserit abjurare, tradendus est curiæ sæculari, animadversione debitâ puniendus, per cap.

 alleg.

alleg. *Ad abolendam.* § 1. Si autem non fatetur crimen postquam est convictus, nec consentit abjurare, est ut hæreticus impœnitens condemnandus, per cap. alleg. *Ad abolendam.* Ex hisce liquet, licet levis, vehemens, & violenta suspicio ex diversis causis oriantur, contingere tamen posse, ut levis suspicio tandem evadat in violentam, aut violentæ suspicionis initium levis sit suspicio: Veluti si quis leviter suspectus, & citatus ut respondeat de fide, non compareat, fit vehementer suspectus, & excommunicatus: si eam excommunicationem per annum sustineat, fit violenter suspectus, & ut hæreticus condemnatur.

CAPUT XII.

De Diffamatis de hæresi.

Direct. part. 2. qu. 57.

QUinam sint Diffamati de hæresi, docet Concilium Tholosanum *cap.* 16. *Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat; vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram Episcopo loci legitimè constiterit.* Ut itaque diffamatio aut infamia de hæresi perfectè probetur, duo testes boni & graves sufficiunt: si verò sint viles & infames, licet contemnendi non sint ad hoc, ut ex dictis eorum ad inquirendum procedatur; non tamen diffamatio plenè per eos probatur.

Lucerna Inquisit. in voce Infamia.

Nec etiam necesse esse ajunt, quod testes audierint hanc infamiam ab eisdem providis & discretis, sed sufficit si à diversis; etiamsi non audiverint eodem tempore, & eodem loco, sed diversis: Illiusque hanc reddunt rationem; quia cum infamiam tantum probare habeant, sufficit si testes de hac & super hac fuerint concordes. Nec etiam necesse esse docent, ut testes concordent super causis scientiæ: Unde si testes dixerunt se scire de illâ infamiâ, quia audierunt, non debent probare quod sic audierunt, nec requiritur ut unus testis cum alio concordet de loco, tempore, & causis scientiæ: quia de illis nulla est quæstio, sed solummodò de famâ & infamiâ: unde quanquam videantur singulares in suis dictis, tamen stabitur assertioni eorum.

Ibid.

Quando autem infamia per testes est probata, quærunt, an inquisitus probare possit se esse bonæ famæ, atque ita repellere inquisitionem super veritate criminis, & tollere probationem malæ famæ. Hic admodum dissentiunt Doctores Pontificii. Alii dicunt, quod non debet admitti probatio super bonâ famâ, quia videretur frustratoria: nam si centum dicerent aliquem esse malæ famæ; & mille quod esset bonæ famæ, probatio super bonâ famâ non relevat, quin saltem remaneat infamatus apud alios, & respectu illorum facienda est inquisitio. Alii dicunt, standum esse dictis plurimorum. Alii, probationem admittendam, sed an præjudicet contrariæ probationi, attendi debere quid habeat communis vox exterior, tum & qualitatem testium & personarum, secundum quæ judex arbitrabitur quæ probatio valeat. Alii tandem dicunt, quod aut testes utriusque partis deponunt super famâ ejusdem loci & ejusdem temporis, & tunc standum esse testibus magis idoneis: aut testes hinc inde sunt æquales, & tunc standum esse numero; vel datur paritas numeri, & tunc standum probationi magis verisimili; eam autem probationem magis esse verisimilem, quæ reddit causam surgentem ex aliquâ simili præsumtione.

Pœna Diffamati de hæresi est canonica purgatio; & alia pœna ordinaria, juxta cap. *Excommunicamus itaque.* Extrav. de hæret. § *Adjicimus.* quæ imponitur, quando diffamatio plenè est probata: si verò plenè non sit probata, ad purgationem canonicam cogi non potest, nisi plenior probatio accedat, & alia indicia & adminicula simul cum diffamatione concurrant. Idem docent, si infamia originem habuerit ab æmulis & inimicis, quod sufficiat ad dandum initium Inquisitioni, non tamen ad canonicam purgationem injungendam, nisi verisimilia dixerint.

xerint. Aliquando etiam diffamatio de hæresi oritur adversus aliquos ex eo, quod in locis diffamatis de hæresi aut suspectis versati fuerint, ex quibus inde ad Pontificios accedunt; quod Synodus Salisburgensis superiori sæculo celebrata decrevit *Constit.* 6. *cap.* 2. *Eos quoque observare debent Parochi, qui ex hæreticorum locis, sive de hæresi suspectis, veniunt, singulorumque dicta & facta animadvertant; ac de eorum vitâ, consuetudine, & ratione cognoscant, & si qua de his suspicio fuerit, Ordinarium admoneant.* Tandem etiam Concilium Tholosanum cavit *cap.* 16. ne Prælati, Barones, aut quicunque alii Domini terrarum, diffamatos de hæresi, vel suspectos, in familia aut consilio suo habeant, his verbis: *Sed nec eos*, sc. hæreticos aut hæreticorum credentes, *aut etiam aliquos diffamatos de hæresi, vel quos credunt de hoc esse suspectos, in suâ familiâ, vel suo consilio, habere vel retinere præsumant.* Quod explicant, non tantum postquam damnati sunt, & in judicio legitimè constitit de infamiâ & suspicione, verum etiam ante sententiam.

CAPUT XIII.

De Relapsis.

Relapsus dupliciter quis dicitur, vel in hæresin, vel in fautoriam hæresis. Relapsus in hæresin est, qui, postquam vel facti evidentiâ, vel confessione propriâ, vel testium legitimâ productione convictus fuit, hæresin publicè abjuravit, iterum in eam incidisse convincitur. Licet itaque ille, qui in eundem errorem iterum atque iterum labitur, nullâ pœnitentiâ solemni interveniente, aut abjuratione canonicave purgatione judicialiter factâ, verè relapsus dici possit: at puniri non potest ut verè relapsus, ita ut tradatur curiæ sæculari, modo velit pœnitere. Relapsorum autem quatuor sunt species. Prima quando quis incidit in eandem hæresin quam abjuravit. Disputant tamen Doctores, si quis coram subdelegato ab Inquisitore uti hæreticus abjuret & postea in eandem vel aliam hæresin reincidat, sit habendus pro relapso, si non constet de subdelegatione illius judicis, coram quo abjuravit. Verum in civitate Comi de consilio totius Collegii Jurisconsultorum illius civitatis, & Episcopi, & Joan. Thom. Odeschalci Senatoris, mulier quædam, quæ hac ratione abjuraverat, uti relapsa brachio seculari relaxata est, & combusta. Eodem modo etiam Mantuæ fuit judicatum in simili casu. Secunda: quando labitur in hæresin, quam abjuravit ut vehementer suspectus: ut patet in cap. *Accusatus.* in prin. de hæret. lib. 6. non verò, si iterum in vehementem hæresis suspicionem incidit. Tertia: quando post generalem hæresis abjurationem labitur in hæresim aliam ab ea quam in specie abjuraverat: per cap. alleg. *Accusatus.* § *Cum vero.* Quarta: postquam abjuravit ut hæreticus, deducit, visitat, &c. hæreticos, dona eis mittit, seu favorem eis impendit; per cap. alleg. *Accusatus.* § *Ille quoque.*

Direct. part. 2. qu. 58.

Carena. p. 2. t. 2. § 11. n. 36.

Excipit solummodò glossa in illud Cap. famem, quæ in hoc casu excuset, dummodò sit violenta. Verum hæc exceptio recepta non fuit in supremo Consilio Inquisitionis Hispanæ, in qua fuit relaxatus brachio sæculari, uti relapsus quidam, qui cum fuisset uti de genere Maurorum reconciliatus, & posteà relapsus fuit ad alios ejusdem generis, se excusabat ex illa glossa, quod iverit ad eos ob famem.

Carena. p. 2. tit. 2. § 5. n. 31.

Itaque ut quis haberi possit relapsus, dicit Joannes Royas necesse esse, quod constet reum fuisse lapsum, & nunc esse relapsum: de primo verè, vel præsumtivè: de secundo legitimè debet constare. Ideo monet ut sit cautus Promotor Fiscalis in accusando etiam reum de primo lapsu, ne tantum præsentare primam sententiam contra relapsum prolatam teneatur; sed per confessionem rei & instrumentum sententiæ constet reum in hæresim fuisse lapsum, & abjurasse: sed & reus tunc audiendus est, volens innocentiam suam allegare & probare.

J. Royas part. 2. assert. 41. § 332.

Ibid. § 335. bare. Idem refert, in Inquisitione Valentinâ esse indultum Apostolicum, quo cautum est, relapsos, si sint de genere Maurorum, & verè pœnitentes, Inquisitoribus posse iterum reconciliari; quia cum neophytis mitius agendum est. Hoc tamen extendi non debet ad dogmatistas, vulgò *Alfaquins* dictos.

§ 348. Tr. tr. f. 417. verso. Sed præter hos sunt & duo alii modi quibus quis censetur relapsus: primò, quando post abjurationem invenitur perjurus: juxta rescriptum Innocentii IV. *Sperabamus. Convocantes ad vos de novo tam confessos, quam etiam non confessos, de hæreticâ pravitate, sive eis super hoc, sive non à vobis pœnitentiæ sint injunctæ, ipsos ad exprimendam veritatem tam de se, quam de aliis suspectis, de hæresi compellatis, ita quod si aliqui ex eis reperti fuerint suppressisse in aliquo veritatem, seu tanquam canes rediisse ad vomitum, indigni omni gratiâ penitus habeantur.* Unde autor libelli *de formâ procedendi contra inquisitos de hæresi*, qui creditur esse Joannes Calderinus, colligit, tales relapsos haberi. Secundò, quando post abjurationem & purgationem non servavit pœnitentiam impositam ab Inquisitoribus. Hunc in finem citantur verba Concilii Biterrensis. *Post hujusmodi verò abjurationem* (supple generalem) *quicunque lapsi fuerint, & qui non servaverint nec fecerint sibi injunctas pœnitentias, pœna relapsis debita puniantur.* Ejusdem sententiæ est Bernardus Comensis in Lucernâ Inquisitorum: *Pœnitentiam injunctam post abjuratam hæresim si non implent hæretici, dicit Matthæus quod debent haberi pro relapsis, & allegat text. Clem. 3. eod. tit. in fi. ibi, & satisfactionem habuerint. Allegat etiam cap. Ad abolendam. § penult.* Annotat Pegna. *Non est vera hæc sententia simpliciter accepta, sed multa capita distinguere oportet, ut veritas intelligatur, sicut docuimus in Directorio Inquisitorum part. 3. quæst. 97.* Inter hos autem, & priores relapsos id discriminis interesse volunt, quod priores sine ullâ penitus misericordiâ brachio sæculari sint relinquendi; sed quod ad posteriores, in arbitrio Inquisitoris sit, ut tradatur judicio sæculari, vel non tradatur.

Lucerna in voce pœna pecuniaria.

Simanc. tit. 47. § 77. Hic autem non omnes promiscuè, pœnitentiam sibi injunctam non servantes, pro relapsis habent, verum hac utuntur distinctione. Pœnitentia injuncta aut omninò contraria est hæresi, puta, si pœnitenti præcipitur, ut abjuret, ut adversus errores suos prædicet, ut hæreticis non communicet, vel quippiam simile: & hoc casu illum qui non paruerit pœnâ relapsis debitâ puniri posse ajunt. Aut pœnitentia ad purgationem culpæ tendit; ut puta, si jejunia, orationes, vel alia opera pia fuerint pœnitenti injuncta: hoc casu eum qui omnia non fecerit puniri posse pœnâ arbitrariâ. Ab hac autem sententiâ discedit Simancas, qui tales pertinaces, impœnitentes, vel quidvis potius esse putat, quam relapsos; ac proinde judicum arbitrio illis pœnitentiam denuò pro criminis qualitate imponendam.

Simancas tit. 16. § 24, 25. Similiter & qui damnatus est ad perpetuum carcerem, & ex eo fugit, vulgò censetur relapsus, quia videtur fictè conversus in in errorem pristinum recidisse. & in illâ sententiâ est Bernardus Comensis in Lucernâ Inquisitorum, in voce *Fugitivus.* Hanc antem opinionem ut crudelem & falsam Simancas rejicit, dicitque talem esse impœnitentem, non relapsum. Itaque quamdiu ille in fugâ fuerit, & injunctæ pœnitentiæ non satisfecerit, condemnari poterit tanquam impœnitens; si verò vel ipse redierit, vel comprehensus fuerit, & paratus sit Ecclesiæ satisfacere, tunc majore pœnitentiâ coërcendus propter fugam, sed tamen Ecclesiæ gremio benignè excipiendus est.

De Relapsorum pœnâ ita olim statuit Concilium Tarraconense: *Dubitatio oritur apud quosdam; utrum relapsi in credentiam, & hæretici dogmatizantes, si postquam fuerint deprehensi voluerint pœnitere, relinqui debeant judicio sæculari? Et videtur nobis quod non; sed in quocunque casu tales ad intrusionem sunt condemnandi.* Sic etiam Guido Fulcodius in quadam consultatione, quæ dicitur fuisse prima, respondet. *Si autem, quod absit, tales relapsi fuerint, non recipiantur nisi cum pœnitentiâ publicâ, quæ habetur alibi determinata, nisi forte scandalum foret, & major scissura fieret, quam debemus sollicitè cavere.* Concilium verò Narbonense *cap.* 11. ita statuit:

Et

Et illos, qui post abjurationem erroris, seu purgationem, deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse, sæculari judicio sine ullâ penitus audientiâ relinquatis animadversione debitâ puniendos, cum sufficiat tales per falsam conversionem semel Ecclesiam decepisse. Hoc solummodò est discriminis, quod si pœniteant, sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ iis non denegentur, cap. *Super eo.* de hæret. lib. 6. In Hispaniâ tamen talibus relapsis Sacramentum Eucharistiæ denegari solet propter periculum, quod posset evenire ex alteratione, quam recipit relaxandus brachio sæculari; & solummodò exhibetur Sacramentum pœnitentiæ; unde dicunt, relapsos pœnitentes quidem reincorporari Ecclesiæ, quod fit per Sacramentum pœnitentiæ; non autem reconciliari; quoniam ad reconciliationem requiritur Sacramentum Eucharistiæ. Si verò non pœniteant, ut hæretici pertinaces curiæ sæculari traduntur. Simancas tamen observat, tit. LVII. § 8. esse, qui putant relapsis hæreticis interdum veniam concedi posse; nimirum cum quispiam verè relapsus, nec dum accusatus, nec testibus ullis convictus, secretò Inquisitoribus se deferens, & sponte suos errores confessus, flebilis misericordiam petit, paratus quamcunque pœnitentiam subire; quia in eo cessat sinistra illa suspicio, quâ relapsi præsumi solent ficte conversi. Ipse autem Simancas putat sententiam hanc defendi non posse, nisi benignâ interpretatione juvetur; quia judex legum custos est & minister, non dominus. Omittendum hic non est, quod Papa Paulus IV. an. 1555. per Bullam quæ incipit, *Cum quorundam hominum.* mandavit *pro relapsis in hæresim haberi, & ut relapsos curiæ sæculari tradendos, etiam in primo lapsu, omnes & singulos, qui docent, Deum non esse trinum in personis, Dominum Jesum Patri & Spiritui S. non esse ὁμοούσιον: aut non esse conceptum ex Spiritu S. aut non subiisse crucis mortem ut nos Patri reconciliaret: aut Virginem Mariam non esse veram Dei matrem, nec perstitisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, & perpetuò post partum.*

Carena p. 2. t. 1. § VI. n. 41.

Relapsus in fautoriam hæreseos est, qui fautoriam abjuravit, & posteà in abjuratam fautoriam relabitur, uti definit Concilium Tarraconense. An verò id intelligatur, si relabantur in eandem fautoriam, an verò etiam in aliam; & an utrique, vel illi tantùm, non hi, sint tradendi curiæ sæculari ultimo supplicio feriendi, jura non loquuntur clarè; ideoque quidam tutius credunt, in tali casu summum Pontificem, aut generalis Romanæ Inquisitionis Senatum consulere.

De relapsis tamen in fautoriam hæresis ita definivit Concilium Tholosanum, prout decretum hoc exstat in libello *de formâ procedendi contra inquisitos de hæresi. Illi autem, qui cum Receptatores, Defensores, & Fautores notati exstiterint, & reconciliati fuerint, seu mandatis Ecclesia juraverint obedire, in culpam reciderint abjuratam, seu pœnitentias contumaciter refugerint accipere vel implere, si posteà moniti vel non moniti reatum suum humiliter recognoscentes voluerint emendare, receptis ab ipsis talibus & tantis securitatibus præter juratoriam cautionem, quod timore pœnæ temporalis debeant coërceri, talem eis pœnitentiam injungatis, quæ metus esse possit aliorum; alioquin adversus eos quantum de jure poteritis procedatis.*

Tract. Doctor. tom. XI. p. 2. f. 417. verso

CAPUT XIV.

De legentibus ac retinentibus apud se libros prohibitos.

SUnt præter hos & alii, quorum crimina possunt censeri alterius fori: verum contingit nonnunquam quod ea hæreseos labe dicantur aspergi, & eo respectu etiam ad Inquisitionis tribunal trahuntur, quatenus tales hæreseos habentur suspecti, & ratione suæ intentionis inquiri debent. Inter hos primò occurrunt legentes & retinentes apud se libros prohibitos propter hæresim; hi enim suspectis annumerantur, & contra illos severa exstant edicta Romanorum Pontificum.

Campeg. in Zanch. c. 34. Pius V. edidit Bullam in cœnâ Domini. In primo capite excommunicantur omnes hæretici & schismatici, quocunque nomine nuncupentur, & cujuscunque sectæ existant, ac omnes eorumdem hæreticorum fautores, receptatores, & illis credentes, ac eorum libros absque Sedis Apostolicæ autoritate scienter quomodolibet legentes, aut in domibus suis tenentes, imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quâvis causâ, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore, & generaliter quilibet defensores eorumdem. Et per Pium IV. licentiæ omnes legendi & tenendi consimiles libros revocatæ fuerunt per ejusdem constitutionem, quæ incipit, *Cum pro munere.* die 24 Martii 1564. in his quippe literis mandat, ut omnes damnatos libros Inquisitoribus civitatum, in quibus ii libri sint, tradant atque consignent. Similiter tenentes excusari minimè possunt, si libros in arcâ occlusos & clavibus obsignatos occultè retinent, ita ut à nemine legi aut videri permittantur: quia omnes similes excusationes per hanc sententiam, & etiam per allegatam constitutionem Pii IV. præscinduntur. Excommunicantur rursus imprimentes, & etiam illi, qui quovis modo hæreticos libros ex quâvis causâ defendunt, publicè vel occultè, &c. & horum omnium absolutio Papæ reservatur.

Sousa Aphor. Inquis. lib. I. cap. 21. § 8 &c. Et ut omnis facultas, vel minimum quippiam in libro ob hæresim damnato legendi, præcidatur, declarant, librorum nomine intelligi non solum impressos, sed & manuscriptos, & eorum partes: quod ita exponunt: Qui ex libris hæreticorum in tomos divisis illum legit, qui hæresim ex professo non continet, non censetur legere librum in Bullâ Cœnæ prohibitum, quamvis alii tomi hæretici sint: Si verò ex tomo hæresim continente, aut de religione tractante, diviso in plures libros, illum legerit, qui hæresim non continet, nec de religione tractat, licet ab aliis libris separatim conglutinetur, dicendus est legere librum in Bullâ prohibitum. Imò ut quis dicatur legere librum prohibitum, satis est ut illum oculis percurrat, cum advertentiâ ad ea, quæ in eo scripta sunt, quamvis ore nihil exprimat. Interim, quod mireris, addunt, quod recitans memoriter librum prohibitum, quamvis malâ intentione id faciat, non censetur legere ad effectum incurrendi censuram contra legentes latam: (Adeò observantes sunt literæ legis) cum tamen censuram Bullæ incurrat, qui legit librum in eâ prohibitum, quamvis non dolo malo id faciat, sed ex solâ curiositate, aut
22. ad confutandum hæreticorum errores. Requirunt autem ad incurrendum pœ-
23. nam excommunicationis; ut quis scienter legat: Unde excusat quidem ignorantia, sed non crassa, nec affectata, quâ quis ignorat autorem libri esse hæreticum, licet sciat librum de religione tractare: aut librum de religione tracta-
28. re, licet sciat autorem esse hæreticum. Retinens prædictos libros, sive in propriâ, sive in alienâ domo, sive librum intelligat, sive non, sive totum retineat, sive partem (dummodò folium unum tantum non sit) sive etiam retineat ut legat, sive solum causâ curiositatis, ornatus, vel permutandi eos cum aliis
33. libris, seu ut ea quæ vendit librorum foliis obvolvat, excommunicationem
34. Bullæ incurrit. Similiter qui librum imprimi facit, defendit, laudat, vel ait non esse combustione aut prohibitione dignum; aut facit ne ad manus Inquisitoris deveniat.

36. Hi omnes de fide suspecti censentur, & ut suspecti ab Inquisitoribus puniri
30. possunt. Si quis verò librum hæreticum Inquisitoribus non tradit, sed propriâ autoritate comburit, non est de hæresi suspectus, attamen in excommunicationem incidit: quoniam Julius III. Constitutione, quæ incipit, *Cum meditatio cordis.* præcipit, quod tales libri realiter & cum effectu Inquisitoribus tradantur: ut observat Carena, *part. 2. tit.* 10. *n.* 46. Quando verò librum tradit Inqui-
39. sitoribus, ab iis interrogari debet, unde eum habuerit. Qui librum hæreticum sine nomine autoris retinet, reputatur autor, nisi ipsum autorem ostendat, vel
41. unde librum accepit. Qui libros hæreticorum, aut propter hæresin, aut falsam & suspectam doctrinam prohibitos, ad terram fidelium deferunt, fautores hæ-

hæreticorum sunt, excommunicationem incurrunt, eorum bona confiscantur, & si viles sint personæ verberibus afficiuntur; si verò honestiores, exilio mulctantur pro Inquisitorum arbitrio. Verum hic nondum sistuntur pœnæ, ad majorem sævitiam sibi gradum parat tyrannis: Si propter lectionem, retentionem, defensionem, ac impressionem librorum hæreticorum, additis circumstantiis, oriatur vehemens præsumtio hæresis, adhiberi potest tortura ad indagandam veritatem. 42.

Circumstantiæ autem illæ sunt: si Inquisiti homines sunt docti; secundò, libri hæreses contineant: tertiò, si eos diutissimè retinuerint, & legerint, ac cum diligentiâ, ex longinquis regionibus conquisitos, ad se transportari curaverint: tum enim vehementer reddunt suspectum, potestque inquisitus torqueri super intentione & credulitate propositionum hæreticalium, super complicibus à quibus libros habuit: & porrò cogendus est ad abjurationem de vehementi: potest etiam pro Inquisitorum arbitrio exilio puniri. Qui verò libros hæreticorum scribunt, ut imprimantur aut divulgentur, & qui ad talem scripturam vel impressionem vendunt chartas & atramentum, scienter tamen, fautores sunt hæreticorum, & arbitrariâ pœnâ plectuntur. Nec à pœnâ immunis est, si quis legat vel retineat librum hæretici, qui ex professo hæresim continet, vel de religione tractat, licet id faciat animo confutandi illius errores, idque S. Officio legitimè constet; putà, quia in perquisitione domus dum libri fuerunt inventi, inventæ etiam fuerunt scripturæ retinentis dictos libros, in quibus eorum dogmata confutabat: licet enim talis ab omni hæresis suspicione sit liber, ac proinde ab omni torturâ & abjuratione sit abstinendum; tamen puniendus est, & in excommunicationem Bullæ de cœnâ incidit, quia sine licentiâ, & propriâ auctoritate dictos libros retinuit, à quâ iterum est absolvendus. Carena p. 2. t. 10. n. 44. Sousa. 43. Carena n. 28. 29.

Estque hoc libros prohibitos legendi interdictum adeò universale, ut & ipsos Clericos, imò, uti plures contendunt, etiam Episcopos, quin & ipsos Cardinales comprehendat, qui absque Papæ licentiâ dictos libros legunt: quoniam omnes licentiæ & privilegia per Julium III. Constitutione quæ incipit, *Cum meditatio.* fuerunt revocata: & porrò per Constitutionem Pauli IV. incipientem, *Cum futurum.* & Pii IV. *Cum prò munere.* & posteà per Constitutionem Gregorii XV. editam die XXX. Decembris CIↃ IↃCXXIII. incipientem; *Apostolatus officium*; ac tandem per Constitutionem Urbani VIII. editam die XI. Aprilis CIↃ IↃCXXXI. aliquoties hæc revocatio fuerit confirmata. Hinc est, quod & contra Clericos retinentes & legentes libros prohibitos hæc sit constituta pœna: quod sint vehementer suspecti, quod possint privari voce activâ & passivâ, suspendi à divinis, privari muneribus legendi, concionandi, & id quidem ultra jejunia, peregrinationes, &c. n. 11.

Quod Inquisitores attinet, alii volunt illos bullâ istâ non comprehendi: alii verò, eos similiter eâ esse comprehensos, nisi particularem habeant facultatem ab ipso Papâ, vel à Congregatione Cardinalium S. Officii, penes quos solos facultas est, & quidem non nisi in plenâ Congregatione, vel saltem majori Cardinalium parte præsente, licentiam hanc dandi: Quam facultatem quidam adeò restringunt, ut contendant, licentiam hanc à Collegio Cardinalium, Sede vacante, minimè concedi posse. Quæ verò concessa est Cardinalibus generalibus Inquisitoribus limitata est expressâ exceptione librorum Caroli Molinæi, quorum lectionem solus Papa concedere potest: juxta Constitutionem Clementis VIII. quæ incipit, *Apostolicæ Sedis autoritati*, editam anno CIↃ IↃCII. In Lusitaniâ verò, possunt Inquisitores Generales, ex concessione Pauli IV. ad Cardinalem Henricum die X. Decembris anni CIↃ IↃLX. Inquisitoribus & aliis personis probatæ vitæ & religionis, idoneis tamen, & in sacrâ Theologiâ peritis & doctis, minimèque suspectis, ad effectum hæreticos impugnandi & persequendi duntaxat, concedere licentiam legendi quoscunque libros prohibitos. Et quæ concessa est licentia Inquisitoribus, in regno Lusitaniæ etiam concessa intelligitur De- 12, 13. 9. Sousa l. 1. c. 21. § 59. § 64. § 57.

putatis Inquisitionis: quia enim privilegiis gaudent Inquisitorum, votumque habent in causis decisivum, & judices sunt in causis hæresis, tam ad hæreticos puniendos, quam ad hæreticorum libros comburendos, eosdem libros prohibitos legere possunt, qui ipsis Inquisitoribus legi permittuntur: & hoc majore ratione possunt, qui supremo Senatui Inquisitionis sunt à Consiliis.

CAPUT XV.

De Polygamis.

Carena p. 2. t. 5. § 2. POlygami sunt, qui plures uxores unâ simul ducunt. Illorum causa Inquisitorum tribunal spectat, quia hæreseos suspecti habentur, quoniam præsumuntur malè sentire de Sacramento Matrimonii, & tenere licitum esse plures uxores simul ducere.

§ 10. n. 55. „Constitutus polygamus in carceribus S. Officii, verificatâ identitate personæ ipsius, vel per ipsius confessionem, vel per testes, probatoque delicto, „interrogatur, an verè crediderit licere, & licitum esse homini Christiano post „legem Euangelicam plures simul uxores ducere. Quod si respondet affirmativè, habendus est pro formali hæretico, & hæreticorum pœnis est plectendus: „Si verò respondeat negativè & Catholicè, negando se intentionem habuisse hæreticam, sed potius ad secundum matrimonium convolasse ex libidine & carnis „concupiscentiâ; cum crimen hæresis occultum sit, & in mente lateat, ut fidei „judices se certificent, quid verè de fide sentiat polygamus, ad tormenta super „ipsius intentione deveniendum est: quod est singulare in hoc S. Officio; & „secundum illius leges rectè ad hanc torturam devenitur: nam cum factum quod „reus fatetur, vel de quo est convictus, potuerit fieri absque mentis errore, ex „aliquâ aliâ causâ, putà ex concupiscentiâ, tunc reus torquetur super intentione & credulitate eorum quæ operatus est. Ita levius in Ecclesiâ Romanâ crimen est, ex libidine & concupiscentiâ carnali contra conscientiæ dictamen alteram uxorem ducere, quam ex quodam mentis errore, & conscientiâ factum non condemnante.

§ 11. Polygami hæreseos sunt suspecti. In Hispaniâ polygami leviter tantum sunt suspecti; ideoque ex generali Hispaniæ consuetudine solent abjurare tantum de levi. Sed in supremo tribunali Romanæ Inquisitionis sunt vehementer suspecti; & sic etiam debent abjurare de vehementi.

n. 59. „Imò qui secundam uxorem ducunt, ignorantes primam esse mortuam, inducentes tamen testes ad probandum se non habuisse uxorem, quamvis non „constet de eorum actuali polygamiâ, attamen debent abjurare de vehementi, „& damnari ad triremes. Et refert exemplum Carena cujusdam Bononiensis, qui cum ibi primam duxisset uxorem, & posteà examinatis testibus quod nunquam habuerat uxorem, Neapoli duxisset secundam, ignorans an prima mortua esset, die XIX. Octobris CIↃ IↃCXX. à sacrâ Congregatione coram Papâ fuit prævià torturâ super intentionem coactus ad abjurandum de vehementi, & damnatus ad triremes per quinquennium: quia licet non constaret de actuali polygamiâ, quoad se consummavit crimen.

Si quis verò vivâ primâ conjuge cum aliâ sponsalia contraxerit, censetur tantum de levi suspectus, & de levi tantum abjurare debet. Discriminis hujus hanc adferunt rationem: quia in tali non intervenit abusus sacramenti, sed adest tantum prava animi dispositio ad abusum Sacramenti.

§ 13. n. 61. Post abjurationem solent polygamis ab Inquisitoribus injungi variæ pœnitentiæ salutares, ut jejunia, & orationes, & alia hujusmodi: post quæ condemnatur polygamus ad triremes, si duas duxerit uxores, per quinquennium; & si

si produxit falsos testes ad probandum mortem prioris conjugis, per septennium, & amplius, arbitrio Inquisitorum, & jubetur ad primam uxorem redire: plebeii etiam fustibus cædi solent, parte etiam dimidiâ bonorum publicatâ: quibusdam in locis etiam infami mitrâ dehonestati fustibus cæduntur: in Hispaniâ ad triremes damnantur per decem annos. Si ter vel etiam ulterius matrimonium contraxerit, gravius punitur, & longiore tempore ad triremes damnatur. Ita Romæ die XVIII. Maji anni CIↃ IↃ XCVII. in Ecclesiâ S. Mariæ supra Minervam quatuor polygami à supremo tribunali Inquisitionis Romanæ damnati fuerunt ad triremes, videlicet duo per septennium, qui cum tribus simul contraxerant, & alii duo ad quinquennium, qui ad secundas tantum nuptias convolaverant.

CAPUT XVI.

De Celebrantibus, & Administrantibus Sacramentum Pœnitentiæ, cum non sint Sacerdotes.

QUi in Presbyteratus gradu non constitutus Missas celebrat, judicio Inquisitorum subjicitur, factoque Catholicam veritatem oppugnat, juxta Constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit. *Officii nostri.* Malitia hujus criminis „(judice Sousa) ad idololatriam pertinet; quia sic celebrantes faciunt Christi „fideles adorare panem & vinum, tanquam verum corpus & sanguinem Christi „Domini. Sousa lib. 1. c. 32. n. 7.

Similiter qui non Sacerdos confessiones audit, & absolutionem impendit, abuti dicitur sacramento cum notabili detrimento proximi.

Tales hæreseos vehementer sunt suspecti, quia existimant, (saltem facto ipso) alios, præter Sacerdotes, posse esse illorum Sacramentorum ministros. Carena p. 2. t. 11. § 1.

Reis hisce imponitur abjuratio de vehementi, & tum relaxantur brachio sæculari extremo supplicio afficiendi: prius tamen degradantur ab Ordinibus si quos habuerint. Sic anno CIↃIↃCXXXVI. & sequenti, Neapoli duo istiusmodi rei traditi fuerunt Curiæ sæculari, & ex ordine sacri Concilii primò suspensi, mox combusti. § 6. n. 30.

Urbanus VIII. jussit per epistolam Cardinalis Mellini ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ, die V. Martii CIↃIↃCXXII. quod rei hujusce criminis confessi, vel convicti, omninò brachio sæculari relaxarentur, ultimo supplicio afficiendi. Verum sicuti ante has literas in Hispaniâ juxta Constitutiones Gregorii & Clementis pœnâ mortis non afficiebantur; ita nec post memoratas literas Cardinalis Mellini unquam se vidisse in Hispaniæ regnis pœnam mortis practicari, testatur Sousa. Verum hæc arbitratio circa pœnam adhiberi illic solet, ut si fictus Sacerdos fuerit laicus, ac vilis persona, fustigetur, ad triremes mittatur, & aliquæ spirituales pœnitentiæ ei addantur. Si verò fuerit persona honesta, aut religiosa, damnetur ad triremes. Quod si talis sit qualitatis, ut ad triremes mitti non debeat, in exilium mittatur: & si fuerit in aliquo ordine, ab eo suspendatur toto exilii tempore. Si delictum aliquas circumstantias habuerit aggravantes, addantur aliæ pœnæ secundum earum qualitatem. § 7. Sousa l. 1. c. 32. n. 13.

Exemplum, quod huc aliquatenus referri potest, habemus in libro sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, fol. 122. Rusticus quidem Rollandus nomine credebat se habere potestatem à Domino celebrandi Missam, & consecrandi verum corpus Christi de pane communi, & verum sanguinem de vino cum oleo & sale commixtis in scypho ligneo cum pede, quem calicis loco adhibebat: atque ita quotidie secretò in domo suâ super arcam panno lineo coopertam sacrificabat; & sæpius de pane illo communicabat, credens eum esse verum corpus Christi. Post quatuor annorum decursum in carcerem fuit conjectus, & ægrè ad

ad abjurandum errorem induci potuit. Verum dum adhuc in muro detinetur, deprehensus est in eundem errorem relapsus, & ritum hunc repetiisse; verum antequam pœna illi tanquam relapso imposita fuisset obiit in muro detentus, sine confessione peccatorum & Eucharistiæ Sacramento. Cadaver ejus sententiâ Inquisitorum jussum est exhumari & comburi.

Aliud nobis refert exemplum Rainaldus, cujusdam, non qui celebraverat, aut pœnitentiæ Sacramentum administraverat, Sacerdos non existens; sed qui absque diplomate Papæ se Episcopum dixit, & Sacerdotes sacravit: Quod, quoniam extremæ crudelitatis specimen in eo exhibitum est, hic iisdem quibus in Annalibus ipsius ex octo tomis ad unum redactis exstat, adscribam.

a. 1391. § 21. &c. „Jacobus Sacerdos in Belgio pseudo-minorita, patriâ Juliacensis, adulterato „Pontificio diplomate se Episcopum dixit, nec sacris episcopalibus initiatus „Sacerdotes ficto ritu sacravit in pluribus Germaniæ Belgiique diœcesibus: de„mum convictum flagitii Ultrajectini Magistratus non flammarum incendio, quo „citissimè absumendus foret, sed ferventibus aquis sensim adurendum censue„runt, ut ejus pertinaciam, quâ impudentissimè flagitium agnoscere detrecta„bat, edomarent. Is autem sensim ferventi ollæ immissus dolorum magnitu„dine victus execrari scelus & mitius supplicium deprecari cœpit: motique mi„sericordiâ judices ex ollâ ebulliente eductum capite truncari jusserunt. Heda candem historiam paucioribus verbis complexus est, in vitâ Florentii quinquagesimi Episcopi Trajectini: „Quidam ex professione Divi Francisci sese pro Sa„cerdote & Episcopo gerens, & in suffraganeum Episcopi Florentii assumtus, „cum jam diu sacra omnia peregisset, inventus falsó caractere atque literis usus, „destituitur, & ferventibus aquis immergendus adjudicatur. Impositus verò a„quis (quia clamore suo Episcopum ad pietatem commovit) statim extrahitur, „& capite truncatus obtinuit sepulturam. Unde plerique consecrati ab eo rur„sum fecere se ab alio Episcopo consecrari. Cæteri verò ad sæculum reversi „uxores duxere, actis illius omnibus irritatis.

Ultrajecti verò in Archivis Capituli S. Salvatoris, in libro, dicto catenato, fol. 105. & seqq. eadem hæc historia legitur, additurque sententia in ipsum Jacobum pronuntiata; quæ quoniam illius seculi morem egregiè exprimit, eam fideliter, prout in libro catenato reperitur, hic exhibebo.

„Anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo secundo, ultimâ die „Septembris, quidam Jacobus Ordinis Fratrum minorum Presbyter de Du„catu Juliacensi oriundus, fuit in civitate Trajectensi super quoddam sola„rium in medio *Noede* de lignis erectum, verbaliter & actualiter per mo„dum infra scriptum degradatus, pro eo quod ipse sibi usurpando per quas„dam literas confictas apostolicas, quas falsavit, titulum & nomen Episco„pi Lavacensis, in Diœcesi in suffraganeum Episcopi Trajectensis assumptus ali„quamdiu, & antea per decem annos in Treverensi, Maguntinensi, & Argen„tinensi Diœcesibus ordines minores, & majores cæteraque Episcopalia cele„brare, & exercere præsumsit. Post degradationem vero fuit relictus tanquam „laicus Sculteto, & Scabinis Trajectensibus ibi præsentibus, & eum in suum fo„rum recipientibus, & per eorum sententiam in eodem loco præsidente Domi„no Florentio Episcopo Trajectensi fuit idem Jacobus addictus ignis crematio„ni in cacabo, propè dictum solarium inferius parato. Tandem tamen de gra„tia fuit ereptus de cacabo, & capite in eodem loco truncatus.

Forum est Trajectinum.

„Constitutis igitur Domino Florentio prædicto, plusque sex Episcopis sub„scriptis, & singulis eorum indutis Pontificalibus, ac sedentibus in solario su„pradicto, Magister Arnoldus Pot vice ac de mandato eorum in dictum Jaco„bum talem sententiam promulgavit.

In Dei nomine, Amen. Florentius de Wevelichoven Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Trajectensis, nec non eâdem gratiâ fratres Arnoldus Episcopus Capitoliadensis, Wenemarus Episcopus Symboliensis, Hubertus Episcopus Yppnsensis, Bertoldus Episcopus Lindavensis,

danensis, Andreas Episcopus Muscoviensis, & Jacobus Episcopus Sarreptensis, Conjudices in negotio infra scripto. Præsidente rationis imperio in animo... sedet in examine vicarius pro tribunali Justitia, & quasi Rex in solio judicum rectitudo, de cujus ore procedit gladius bis acutus: Cujus etiam aspectu terribili quodque voluntatis dissipatur arbitrium, reproborumque noxius appetitus, absque personarum delectu sub juris regula limitatur. Hæc enim fuit etiam in providentiâ judicis, de cujus vultu recta judicia prodeunt, ut judices constituerentur in orbe, qui justitiam diligant, filios hominum judicent & pro modo culpæ feriant delinquentes. Sanè cunctis inauditam seculis immanitatem tuam, qui caput es scandali, & petra offensionis, non sine grandi cordis mœstitiâ, attendentes, & tuam infaustissimam temeritatis audaciam, quæ nimirum cælum perturbat, & terram tremere facit, crebris suspiriosisque angustiis recensentes, cogimur ut contra te ad debitè quam meruisti animadversionis vindictam exigente justitiâ procedamus. Christi igitur nomine invocato, sedentes pro tribunali, & solum Deum præ oculis habentes, communicato nobis virorum prudentum & jurisperitorum consilio: Quia nobis per tuam confessionem & aliunde evidenter, & legitimè constat, quod tu literas Apostolicas falsasti, ac titulum Pontificalis apicis temerariè & fallaciter usurpare & tibi adscribere, & per quam plurimis hominibus ordines minores & majores conferre, crismata conficere, ecclesias, capellas, & altaria consecrare, &..... in frontibus confirmare, cæteraque Pontificalis dignitatis ministeria.... exercere, sub falso & pro te conficto episcopali titulo in Treverensi, Maguntinensi, Argentinensi, Trajectensi Diœcesibus, aliisque locis, per decem annorum curricula & ultra, quanquam Episcopus non esses, nec sis de facto, in tuæ, & multarum grave periculum animarum, totius Catholicæ & Universalis Ecclesiæ injuriam & contemptum frontosè & dampnabiliter præsumpsisti, licet etiam per diutina satis tempora nos Florentius Episcopus Trajectensis tibi spatium pœnitendi in carceris nostri custodiâ reservato dudum præ clementiæ motu duximus indulgenda, quo iram Altissimi, quem tam graviter tuis nefandis reatibus offendisti, placare studeres, & ipsius misericordiam devotis crebrisque precibus lacrymosis assequi posses. Tu tamen nesciens ad cor reverti, & pœnitentiæ agere dignos fructus, quamvis diucius expectatos, indurato corde, & obstinato animo tempora pœnitudinis tibi per nos misericorditer, ut antefertur, indulta, quod dolenter referimus, usque in tempus præsens in tuæ salutis dispendium perimpendere nullatenus horruisti. Idcirco nos Florentius, aliique Coepiscopi superius nominati, propterea & ad actum præsentem convocati specialiter & præsentialiter congregati, propter ea quæ vidimus, audivimus & cognovimus, cognoscimus atque scimus, te ad eundem actum legitimè citatum, ab omnibus Ecclesiasticis ordinibus & officio sacerdotali tanquam literarum Apostolicarum falsatium, sacramentorum Ecclesiasticorum abusorem & hostem animarum, fidelium vastatorem ac sacrorum canonum transgressorem, perpetuo degradamus, deponimus & privamus, teque actualiter degradandum, & demum degradatum curiæ seculari relinquendum, & tunc citra mortis periculum puniendum fore sententialiter condempnamus.

„Post prædictam sententiam in eum præsentem latam seorsum ducebatur de„gradatus, & induebatur vestimentis sacerdotalibus, & ferendo calicem, &c. Hic jam in libro catenato prolixa degradationis sequitur narratio; verum cum libro IV. de degradatione ex professo erit differendum, quicquid materiam degradationis spectat, ne actum agamus, illic simul ac semel pertractabitur.

CAPUT XVII.

De Confessariis sollicitantibus.

PEr Confessarios sollicitantes intelliguntur Confessarii, qui in sacramentali confessione sollicitant & provocant, seu sollicitare & provocare tentant mulieres ad actus inhonestos. Contra illos Paulus IV. anno CIƆIƆLXI. die XVI. „Aprilis Bullam edidit directam ad Archiepiscopum Hispalensem, quæ incipit, „*Cum sicut super:* & Pius IV. aliam anno CIƆIƆLXIV. die VI. Aprilis: & supre„mi

Sousa l. 1. c. 34. § 1. Carena p. 2. t. 6. § 1.

„ mi Generales Inquisitores edictum, approbatum à Clemente VIII. Sed Bullæ „ istæ, & illud decretum videntur habere locum tantummodò in Hispaniis: „ quoniam Bullæ directæ erant Archiepiscopo Hispalensi, & decretum Sac. „ Congregationis expressè restrictum ad loca Hispaniæ. Anno autem CIƆIƆCXII. „ mense Aprili, fuit decretum à Paulo V. monendos esse omnes Inquisitores, „ ut Confessariis præciperent, quod abstineant ab omni & quacumque sollici„ tatione, alias procederent rigorosè contra quoscumque. Tandem exstat Con„ stitutio Gregorii XV. edita die XXX. Augusti CIƆIƆCXXII. quæ incipit, *Uni„ versi Dominici.* in quâ literas, seu Bullam Pauli IV. confirmat, illamque non „ solùm in Hispaniarum regnis, sed in quibusvis Christiani orbis partibus firmi„ ter & inviolabiliter observari præcipit. Et quia verba illius Bullæ circa me-
§ 3. „ dium, *quascumque personas, & quæcunque illæ sint, sollicitaverint, generalia sunt*; hinc ex verborum illorum generalitate concludunt, ea etiam extendi ad Confessarios, qui pueros in confessione Sacramentali sollicitant.

Occasionem his edictis ac Bullis præbuit Sacerdotum luxuria, quod nimirum, uti verba Pii IV. in Bullâ suâ sonant, *diversi Sacerdotes in regno Hispaniarum, atque etiam in eorum civitatibus & diœcesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus pœnitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut sacramento pœnitentiæ in actu audiendi confessiones abutantur, nec illi, & qui id instituit Domino Deo & Salvatori nostro Jesu Christo, injuriam facere vereantur, mulieres videlicet pœnitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo & provocando, seu allicere & provocare tentando & procurando.* &c.

Gonsalv. p. 185. Cum Bulla hæc in Hispaniam esset perlata, publico edicto, per omnes Archiepiscopatus Hispalensis Ecclesias solemniter publicato, omnibus mandatum est, ut quicunque scivissent audivissentque de quibuscunque Monachis, aut Clericis, qui ad ejusmodi flagitia Confessionis sacramento abusi essent, aut aliàs ex Confessoribus quempiam cum filiâ aut filiabus Confessionis ejusmodi mala negotia quoquo modo agitasse, eum intra triginta dierum spatium sancto Tribunali indicarent. Censuræ quoque in negligentes contemtoresve quam gravissimæ adhibitæ. Publicato decreto adeò ingens mulierum turba ex unâ Hispalensi civitate indicatum pessimos Confessores in arcem inquisitoriam accurrebat, ut vel viginti scribæ cum totidem Inquisitoribus excipiendis indicum depositionibus non sufficerent. Itaque negotiorum multitudine pene obruti Domini Inquisitores triginta alios dies indicibus assignarunt, neque tantulo temporis spatio adhuc sufficiente, tantumdem tertiò, quartoque induciarum constituere coacti sunt. Plerisque enim honestis matronis atque sublimioris conditionis aliis ex censurarum atque excommunicationis superstitione hinc urgente conscientiâ, inde virorum, quos sinistrâ quâpiam pudicitiæ suspicione offendere verebantur, respectu eas domi continente, quodvis tempus ad conveniendos Inquisitores haud censebatur opportunum: quare & velatis Bætico more vultibus, quibus, & quoad poterant occultissimè, Dominos adibant. Haud paucæ, quæ in illo patefactionis tempore virorum in observando diligentiam prudentiâ suâ astuve superare nequiverunt, amaræ zelotypiæ aculeos ipsorum animis infixere. Verum cum jam plurimi ad Inquisitores delati essent, sanctum illud Tribunal præter omnium exspectationem retulit pedem, omniaque illa flagitia, quæ ex legitimis indiciis jam constabant, sepulta & æternæ oblivioni mandata esse voluit.

Interim crimen hoc, juxta Bullas & edicta Paparum, coram Inquisito-
§ V. rum tribunali judicari & puniri debet. Edicta autem hæc ita communiter interpretantur Doctores, ut comprehendant etiam sollicitantes per interpositas personas: scilicet, sollicitantes mulierem, ut mediatrix sit: quia verba Bullæ ita sonant: *sive per se, sive cum aliis perpetranda:* Et omnes actus inhone-
Sousa l. 1. c. 34. § 9. stos, sive completi sint, sive non. Similiter, licet non Sacerdos mulierem sollicitet, sed mulier Confessarium, isque non solum suasionibus mulieris succumbat, sed cum eâ suadente aliquem in ipsa confessione actum inhonestum exercet.

Requirunt autem, ut sollicitatio fiat in actu confessionis Sacramentalis, sive ante vel post eam immediatè, id est, ut inter illam sollicitationem & confessionem nullus actus medius intercesserit. Hinc ipsis non est actus immediatus, si 31.
,, accedens fœmina confessionis causâ à Confessario præveniatur, ut confessio 32.
,, differatur in aliud tempus, mutatoque confitendi animo à confessario sollicitetur: talis tamen Constitutione Gregorii comprehenditur, quia pretextu confessionis sollicitat. Nec etiam actus est immediatus, si post inceptam con- 33.
,, fessionem à confitendi proposito mulier desistat, dicatque confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & posteà sollicitatio sequatur, longâ confabulatione interjectâ (dummodò non simuletur confessio, si sollicitatio fiat in confessionario) aut si finitâ confessione confessarius mulierem in propriam domum comitatur, & ibi medio aliquo tempore eam sollicitet.

Ad actus autem immediatos requiritur, ut ratione alicujus dependentiæ confessionem includat. Casus confessionem includentes sex enumerat Antonius de § 36. &c.
,, Sousa. Primus: Si mulier, non ut confessarium sollicitet, sed ut integrè confiteatur, libidinosum animum, sive circa confessarium ipsum, sive circa quemcunque alium se accusando manifestet, & confessarius dicat: de hoc finitâ confessione, erit nobis sermo; & confessione terminatâ eam sollicitet. Secundus: Si confessarius fœminæ persuadeat, ut ipsi confiteatur, intentione eam sollicitandi, & statim finitâ confessione eam ad actus inhonestos provocet. Tertius: Si immediatè post confessionem dicat pœnitenti, referendo peccatum ab eodem confessum: Quia alteri carnaliter commisceris, mihi etiam copiam tui fac. Quartus: Si confessarius sollicitet puerum à se confessum & absolutum, dum eum statim post confessionem in domum seu cubiculum suum ducit, ut confessionis chirographum tradat. Quintus: Si confessarius fœminæ sibi confessæ pœnitentiam imponat, ut ab ipsomet confessario nuda verberetur, & cum ad hoc pervenisset, manu propriâ aut scuticâ vapulat ab ipso. Sextus: Si confessarius suadeat fœminæ, ut ipsi eo loco verenda ostendat, quæ ipsa in eâdem confessione morbo affecta habere dixit.

Simili loco habentur, qui quidem non in ipso confessionis actu, sed tamen in loco ad audiendas confessiones deputato, sollicitant; juxta constitutionem Generalis Inquisitionis coram Paulo V. die x. Julii CIↃIↃCXIV.

Ad delictum hoc probandum admittuntur mulieres sollicitatæ, si nempe mu- Carena
lier sit probatæ vitæ, & Confessarius deditus sit peccatis carnis; secus verò, si § IX.
mulier sit inhonesta & meretrix: & si non sponte compareant coram Inquisitoribus, sed coactæ à confessariis, quia eas absolvere noluerunt, nisi malum confessarium denuntiaverint. Hinc fit, ut nec plurium fœminarum depositio sufficiens habeatur ad confessarium pro convicto habendum. Sic refert Carena, n. 59.
quod Neapoli de ordine Sacræ Congregationis Supremæ Inquisitionis Romanæ,
,, non fuit habitus pro convicto parochus, contra quem plures mulieres deponebant de sollicitatione, quarum plures tactu & signis fuerant tentatæ, & una verbis: sed solummodò de ordine ejusdem Congregationis fuit tortus, & nihil confessus, fuit à curâ suspensus per annum.

Non tamen solius mulieris depositio sufficiens est probatio, nec ad capturam, § XII.
nec ad torturam confessarii, nisi accedat confessarii mala fama: Quoniam ad torturam non deveniendum est, nisi crimen sit semi-plenè probatum: cum autem per duas mulieres non plenè probari doceant, sequitur nec per unam mulierem semi-plenè probari.

Si vero semi-plenè probatum sit crimen, torqueri potest confessarius, ut con- § XIV.
fiteatur actum. Si actum confiteatur, vel de eo plenè sit convictus, & neget intentionem hæreticam, torquendus est super intentione, an videlicet crediderit, licitum esse abuti Sacramento pœnitentiæ ad res lascivas, eoque Sacramento uti tanquam medio ad res hujusmodi obtinendas.

In Hispaniâ hujusmodi Confessarii sollicitantes sunt solummodò suspecti de § XV.

 levi,

levi, quia in eo magis libidinem considerant Hispani, quam voluntatem abutendi Sacramento pœnitentiæ. In Italiâ verò sunt vehementer suspecti: Et hinc est, quod cum in Hispaniâ tantum abjurent de levi, in Italiâ abjurare debeant
n. 75. de vehementi. Et refert Carena casum, quod cum in quâdam civitate dominii Cremonensis Confessarius quidam ob hoc sollicitationis crimen abjurasset de levi, fuit iterum Cremonæ ex ordine supremi urbis Romæ tribunalis vocatus, & coactus abjurare de vehementi.

§ XVII. „Præter pœnitentias salutares, ut jejunia, orationes, & similia, solent tales „confessarii damnari ad triremes per quinquennium, vel septennium; carcerationem perpetuam; imo aliquando (ad arbitrium tamen Cardinalium supremorum Inquisitorum) possunt brachio sæculari tradi, prout apertè disponit „Constitutio Gregorii XV. debent quoque suspendi in perpetuum ab audiendis „confessionibus, privari beneficiis, dignitatibus, voce activâ & passivâ, ad arbitrium Inquisitorum: Confessariis regularibus potest imponi, quod teneant „ultimum & infimum locum inter regulares sui monasterii. Et aliquando debent Inquisitores mandare, ut sententia contra confessarium regularem publicè legatur in proximo capitulo suæ religionis generali, ad aliorum terrorem „& exemplum.

Sousa Aphor. Inquis. lib. 1. c. 59. § 29, 30. In Lusitaniâ etiam crimen Sodomiæ spectat Inquisitionis tribunal, per decretum Gregorii XIII. 13. Augusti, anni 1574. quo Inquisitori Lusitaniæ conceditur, ut in crimine Sodomiæ procedat perinde uti in crimine hæresis, eisdem „modo & formâ servatis. In ordinationibus regni Lusitaniæ Sodomitis determinatur pœna mortis, ac omnium bonorum confiscatio, eorumque filii ac ne-
§ 31. „potes manent infames. Post mortem naturalem Sodomitæ, delicto non probato, non potest contra ipsum procedi, neque quoad culpam, neque quoad „confiscationem bonorum, quamvis legitimis testibus probari possit: cum crimina non excepta, quorum est Sodomia, morte delinquentis exstinguantur.
§ 32. lib. 2. cap. 26. § 30. „Neque proceditur contra Sodomitam mortuum, neque bona ejus confiscantur, quamvis vivens convictus fuerit, vel confessus. Si ad Ecclesiam confugiat Sodomita, extrahi ab eâ non potest. Ex hisce, si conferantur cum iis quæ cap. II. de hæreticorum pœnis dicta sunt, liquet Sodomiæ crimen in regno Lusitaniæ levius multò censeri crimine hæresis; quoniam Sodomitæ immunitatibus gaudent, quæ hæreticis denegantur: Cum tamen ab Inquisitoribus Lusitanis pro hæretico habitus possit esse vir pius, verè Dei timens, ac salutis æternæ studiosissimus. Sodomita verò non nisi sceleratissimus. Verum à Tribunalis illius legibus minimè abhorret, ut Barabbas dimittatur, Christus verò crucifigatur.

CAPUT XVIII.

De Insordescente in Excommunicatione.

Carena p. 2. t. 8. § 2. INsordescens in Excommunicatione dicitur, qui, postquam est nominatim excommunicatus declaratus, in illâ excommunicatione per annum stetit. Ad hanc Insordescentiam requiritur pertinacia animi, quæ contemtum clavium includat. Ea autem exinde colligitur, quando excommunicatus habuit notitiam excommunicationis, & nullam adhibuerit diligentiam ad obtinendam absolutionem; alias si intra annum institerit pro absolutione, licet eam non obtinuerit, vel si ob impedimentum aliquod non potuit comparere, nullus in eo censetur esse contemtus.

§ 3. Qui ita insorduit in excommunicatione habetur pro confesso & convicto de delicto, pro quo fuit excommunicatus, ita ut amplius non sit audiendus, nisi velit innocentiam suam novis probationibus demonstrare. Si crimen ob quod fuit

fuit excommunicatus sit ex illis, quæ inducunt privationem ipso jure, ob insordescentiam erit beneficio privatus: si verò sit tale, ob quod delinquens est privandus, non autem ipso jure privatus beneficio, tunc ob insordescentiam etiam beneficio est privandus.

Insordescens in excommunicatione est de hæresi suspectus violenter. Si enim levis sit contra aliquem suspicio hæresis, & citatus sit contumax, incipit esse vehemens: si verò contumaciter in excommunicatione perseveret per annum, præsumtio quæ erat vehemens transit in violentam; atque ita potest reputari uti hæreticus, & tanquam hæreticus puniri. Quoniam ex illâ perseverantiâ oritur præsumtio juris & de jure, per quam hæresis crimen sufficienter probatur. § v. n. 19.

Ut autem talis tanquam hæreticus possit condemnari, debet omninò citari, ut se purget à suspicione hæresis, ex eo quod per annum in excommunicatione insorduit. n. 21.

Si talis excommunicatus elapso jam anno compareat, velitque probare suam innocentiam, antequam sit declaratus hæreticus, admitti debet ad judicium. Quin imò talem excommunicatum audiendum esse, si compareat etiam postquam hæreticus est declaratus, & statua ejus combusta, quidam docent. n. 23. n. 24.

Quando autem comparet, & de legitimo impedimento non docet, sed tamen probat suam innocentiam circa hæresim, ob cujus suspicionem citatus erat, licet ab illâ hæresi sit absolvendus, tamen ob suspicionem contemtus clavium ecclesiæ vehementem, prævià torturâ super intentione cogendus erit ad abjurandum de vehementi. Si nec de legitimo impedimento nec de innocentiâ docet, tunc cum eo agendum est, tanquam de hæresi & de contemtu clavium vehementer suspecto. § VIII.

Si nihil probat, & impœnitens est, vel relapsus, reliquendus est curiæ sæculari. Si verò sit pœnitens debet abjurare, juxta quosdam, de vehementi; juxta alios, de formali. Prætereà sunt illi imponendæ pœnitentiæ salutares, & pro qualitate criminis condemnari potest gravioribus pœnis, præsertim pecuniariis.

CAPUT XIX.

De Blasphemis.

Blasphemorum duplex distinguunt genus: alii enim non proferunt blasphemias hæreticales; atque hi huc non spectant: Alii verò blasphemias hæreticales evomunt, & ideò Inquisitorum judicio subjiciuntur. De his ita disserit Joannes Royas: Plerunque in Inquisitionis foro solet in dubium verti, quæ „blasphemiæ dicantur hæreticales, ut earum cognitio ad Inquisitores pertineat: „praxis verò communis, juri & rationi consona, recepit illa verba, *abnego Deum,* „*non credo in Deum,* Hispanicè, *discreo de Dios, reniego de Dios, o reniego de la fe,* „*o de la cruz, o Chrisma a que teng o en la frente, o reniego de la puridad de nuestra Se-* „*nora.* Nam verba hæc dicuntur hæreticales blasphemiæ, & de iis Inquisitores „cognoscunt, quia habent significationem infidelitatis, & fidei abnegationem, „& directè opponuntur fidei confessioni. Aliæ autem blasphemiæ, videlicet, „*pese a Dios, por vida de Dios, voto a Dios, malgrado aya Dios, o despecho de Dios,* „& similes, non sunt hæreticales, quia fidei confessioni non opponuntur, quam„vis absolutè sint blasphemiæ. Harum punitio ad judices ordinarios pertinet. Sic in Italiâ non censentur blasphemiæ; si quis dicat, *al corpo di Dices, ò dirà vel putana di Dio becco, vel, al dispetto di Christophoro, vel, putana della verigne Giovanna.* Controvertitur autem inter Doctores, an blasphemia sit, *al dispetto, che non vò dir di Dio, vel, putana, che no vò dir della V. M.* aliis affirmantibus, aliis neganti-

Eymer. p. 2. q. 41. J. Royas part. 2. Assert. 12. § 170. Carenâ part. 2. tit. 7. § 8.

gantibus. Hæ verò censentur blasphemiæ hæreticales : *Dio Partesano.* & : *putana della Virgine*, licet non proferatur nomen Mariæ : & hæc, *Dio becco diavolo*, si proferatur ab aliquo, qui atroces in Deum blasphemias proferre assuetus est.
§ 173. „Etiam secundum Royam, ab Inquisitoribus fidei punienda est blasphemia hæ„reticalis sub conditione prolata, ut puta, *non credo in Deum nisi te percutiam:* „quia hæc blasphemia conditionalis habet in se puram implicitatem affirmativam; „videlicet, quod si ad occidendum illum opus fuerit in Deum non credere,
§ 179. „paratus est id libenter facere. Est etiam acerrimè procedendum contra execra„bilem consuetudinem, quæ irrepsit in regnis Arragoniæ & Valentiæ, jurandi „per membra Dei, quæ est magna blasphemia, & per membra Christi, quæ est „gravis irreverentia, & ex his magna hæresis suspicio oritur. Hisce adjungi potest execranda blasphemiæ species, quam refert Arnoldus Albertinus de agnoscendis assertionibus hæreticis, Quæst. VI. § 21.

Blasphemiæ autem ex qualitate verborum ac personarum, item ex circumstantiis temporum & locorum, censentur magis vel minus nefariæ ac horrendæ. Il„læ (judicio Pegnæ) inter maximas blasphemias computandæ sunt, quæ contra „sacratissimam Mariam virginem matrem Dei prolatæ fuerunt. Et licet blasphe„mantes regulariter aliud animo sentiant quam dicunt, tamen illi ad Inquisito„rum judicium pertinent; quia blasphemando censentur induere personam senti„entis ita rem habere, ut dicit: & cum per actum exteriorem infidelitatis indicium „ostendant, propterea quædam blasphemiæ judicum fidei jurisdictioni subjiciun„tur, ut intelligant, an blasphemi quandoque ita sentiant ut dicunt.

Solent blasphemi hæreticales per Inquisitores his pœnis plecti. Si blasphemia sit atrox, & blasphemus sit plebeius, infami mitrâ conspicuus, alligatâ linguâ, seu ferro vel ligno comprehensâ, & sine pallio in publicum ducitur spectaculum, flagellis cæditur, & in exilium mittitur. Quod si nobilis sit & honestior, sine mitrâ producitur, in monasterium ad certum tempus truditur, & pecuniariam mulctam solvit. In levioribus blasphemiis mitius agitur Inquisitorum arbitrio: damnatur nimirum blasphemus ut aliquo die festo, dum sacra peraguntur, stet capite nudo, sine pallio, sine calceis, nudis pedibus, chordâ succinctus, & cereum ardentem manu gerens : aliquando etiam cum linguâ compressâ ligno; tandem absolutis sacris legitur sententia, quâ illi sæpe indicuntur jejunia, & pecuniaria pœna.

p. 2. t. 7. § XVII. n. 88. „Hæc tamen pœna non habet locum in Clerico (uti observat Carena) quia „si Clericus sic discalceatus, & cum corrigiâ circa collum deberet stare præ fo„ribus Ecclesiæ coram populo, vituperaretur ordo Clericalis, & Ministerium „Clericorum, & esset admiratio & malum exemplum laicis, si sic publicaren„tur Clerici blasphemantes. Addit : Se nunquam vidisse hanc pœnam impo„ni viris nobilibus in hoc tribunali, qui licet ob nobilitatem non sint mitius pu„niendi, eis tamen possunt condonari pœnæ, quæ ex se irrogant infamiam, & „aliis pœnis loco illarum plecti.

Et quoniam qui ex consuetudine blasphemant, licet id fiat in irâ, censentur de hæresi vehementer suspecti, proinde etiam de vehementi abjurare coguntur: ita refert Diana, quod die XVI. Decembris CIↃ IↃCXXXIII. in Inquisitione Siculâ duo blasphemi abjurarunt de vehementi publicè, ipso ibi Consultore existente. *Part.* IV. *Resolut. Moral. tract.* VII. *Resol.* VIII. vers. *Nota tamen.* In levioribus verò blasphemiis, quoniam leviter tantum sunt suspecti, etiam solummodò de levi abjurant.

p. 195. Interim multa hic pro Inquisitorum arbitrio geruntur, quibus de criminum qualitate & enormitate judicandi ampla potestas est data. Refert Reginaldus Gonsalvius, quendam, qui inimicitias fortè gerebat cum quodam Clerico Astigitæ urbis Bæticæ, coram aliis de ipso dixisse, Deum inter manus nequissimi adulteri illius descendere, se credere non posse. Vicarius Ordinarii ob illud dictum eum mulctavit : sed Clericus eâ vindictâ non contentus, apud Inquisitorium

rium tribunal Hispali eum posteà blasphemiæ postulavit: neque Ordinarii mulcta prior obstitit, quin jussu Inquisitorum captus, & in carcerem per annum reclusus, eductus demum in triumphum sine pallio & pileo, & ceream candelam manu gestans, ac linguâ ligneo morsu captâ, in blasphemiæ scilicet vindictam, de levi abjuratus secundò mulctaretur.

CAPUT XX.

De Divinatoribus, Sortilegis, & Astrologis.

SOrtilegi & divinatores distingui solent: Alii quippe sunt, qui merè ex arte divinandi agunt, quales sunt chiromantici & astrologi judiciarii; alii qui sortilegia vel divinationes exercent cum aliquo dicto vel facto hæreticali: ut si quis in sortilegio amatorio Deum abnegaret & Ecclesiæ sacramenta; aut in sortilegio Ecclesiæ sacramenta admisceret, aut etiam res quas Theologi appellant sacramentales: veluti si imagines baptizent, puerum rebaptizent, vel tantum oleo sacro inungant, vel caput defuncti subfumigent, vel his similia faciant ad divinandum futura, vel cum candelâ & aquâ benedictâ ad detegendum furta. Quæ omnia reddunt operantem suspectum: nisi enim is crederet talia sacramenta aut sacramentalia habere virtutem ad maleficiorum operationem, non adhibuisset illa. Unde Inquisitores hos de credulitate curabunt diligenter interrogandos, & si intentionem negent, torquebunt: quod si eam non fateantur, ut vehementer suspecti abjurare debent. Possunt etiam coërceri anathemate, dignitatum suspensione, verberibus, exilio, carcere monasterii, aliisque suppliciis, spectatâ personarum qualitate; etiam infami induti mitrâ in publicum produci, aut scalis alligati cum vituperatione prope Ecclesiæ fores constitui, & à diœcesi pelli. Eymer. p. 2. q. 42. Comm. 67.

Quod Astrologos judiciarios attinet, illorum ars tanquam superstitiosa communiter condemnari solet. Est tamen quædam illius species, quam Doctores erroneam & hæreticam pronuntiant, quæ mysteria nostræ fidei prædicere profitetur ex astris. Similiter ut temerarii condemnantur astrologi, qui de statu Ecclesiæ, de vitâ vel morte, ac assumtione summi Pontificis ex astris aliqua prædicere posse sibi pollicentur. Papa etiam Urbanus VIII. Constitut. incipiente, *Inscrutabilis.* editâ Kalend. April. CIↃ IↃCXXXI. ordinavit, quod Astrologi judiciarii, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vitâ Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum, judicia faciunt, vel facta in posterum penes se retinent, vel alicui ostendunt, aut verbis tractant, ultra excommunicationis pœnam, quam ipso jure incurrunt, uti læsæ Majestatis rei ultimo supplicio, confiscatione bonorum, & si Clerici fuerint privatione beneficiorum suorum & officiorum mulctentur. Carena p. 2. t. 12. § XII.

Referuntur etiam exempla pœnarum atrocium astrologis judiciariis, quorum crimen hæresin sapere judicatum fuit, irrogatarum. Tale legere est apud Bzovium, ad annum CIↃCCCXXVII. „Florentiæ in vinculis (verba sunt Bzovii) „conjectus fuit & flammis exustus Franciscus Asculanus, blasphemiarum, hære„sis, & astrologiæ judiciariæ, nec non damnatarum artium nomine convictus, „atque à Quæsitoribus fidei damnatus. Mox catalogum criminum ipsi objectorum subjungit, ex quo liquet, pleraque ex Astrologiâ judiciariâ fuisse desumta.

CAPUT XXI.

De Lamiis.

SOrtilegis commodè subjunguntur Lamiæ, aut maleficæ, quas in Italiâ communiter Strigias vocant, ad similitudinem strigis nocturnæ & importunæ avis, quia noctu præcipuè dicuntur in maleficiis versari, & infantium sanguinem sugere. Alii vocant Magas, incantatrices, aliisque nominibus. Dicuntur fuisse secta virorum, & præcipuè mulierum, quæ circa annum CIƆCCCC. in Italiâ orta esse dicitur: Congregari autem certis locis per oppida & villas certis temporibus, præcipuè nocte diem Veneris præcedente, ipsisque apparere diabolum in formâ humanâ visibili: Quando sectæ illi nomen volunt dare, quod primò & ante omnia jussu diaboli abnegent sanctam fidem & sanctum baptisma, Dominum Deum, & Beatam Virginem Mariam, & posteà crucem aliquam ab unâ Strigiarum terræ inscriptam conculcent: Quibus omnibus peractis faciunt fidelitatem in manibus ipsius Diaboli, acceptantes eum in Dominum suum, promittuntque ei obedientiam in omnibus; & in signum horum omnium manu sinistrâ post tergum versâ diaboli manum tangunt, eidemque aliquid offerunt in signum subjectionis. Exinde dicuntur credere diabolum verum suum esse Dominum ac Deum; & quotiescunque vadunt ad nocturnam illam congregationem, quam ludum bonæ societatis appellant, diabolo in formâ humanâ apparenti reverentiam facere, ipsumque capite profundè inclinato ut verum suum Deum adorare. Ad hanc congregationem, seu ludum, dicuntur vigilantes, & sensibus bene utentes, verè ac corporaliter vadere; pedibus quidem, si loca sint propinqua: si verò distantia, deferri à diabolo per aërem.

Bernardus Comensis tract. de Strigiis.

Multi multa de lamiis seu strigibus hisce scripserunt, Jacobus Sprengerus, Sylvester de Prierio, Bartholomæus Spinæus, aliique; qui omnes acriter contendunt ipsas ad nocturnos ludos sive choreas corporaliter deferri. Unus inter Pontificios prioribus sæculis fuit Franciscus Ponzinibius, qui communem aliorum opinionem impugnavit, ipsasque non corporaliter deferri contendit, sed somniis ac phantasmatibus deludi.

Qui eas corporaliter deferri contendunt, his solent uti argumentis. 1. Quod omnes istiusmodi, sive mares, sive fœminæ, quasi uno ore & unâ linguâ fatentur se eundem modum per omnia & uniformiter observare ubique locorum in abnegatione fidei, baptismatis, Dei, beatæ Virginis, ac conculcatione crucis, & promisso obedientiæ manu sinistrâ post tergum versâ: idque ex omnium confessionibus ubique locorum per totam Italiam coram Inquisitoribus factis, & in scriptis processibus contra eas formatis, liquere. Hanc autem conformitatem arguere, somniis eas non deludi: quia illa secundum varietatem causarum, & qualitatem personarum, pro loco & tempore varientur.

Addunt, tales personas dum eunt ad ludum suum, vel inde redeunt, à variis Catholicis personis esse visas, ac agnitas. Quin imò quasdam dum ad ludum in locum quendam dissitum per diabolum deferebantur, Deo volente, esse demissas, & extra patriam in locis remotis inventas. Porrò, cum tales strigiæ crimen coram Inquisitoribus confessæ, ad Ecclesiæ gremium convertuntur, abjuratâ hæresi & apostasiâ suâ, nunquam posteà ad talem ludum abeunt; quod fieri non posset, si in somniis aut imaginatione eis tantum hæc obvenirent: quia somnia in hominis potestate non sunt. Quibus tandem conclusionis loco addunt, quod jam à multis annis plures istiusmodi per Inquisitores hæreticæ pravitatis fuerint traditæ brachio sæculari, & combustæ; quod minimè factum fuisset, neque à Pontificibus toleratum, nisi hæc verè contingerent, & in tali hæresi & apostasiâ essent deprehensæ.

Et

Et licet quandoque contingat hæc omnia ſtrigibus evenire in ſomniis & in phantaſiâ, non autem eas realiter ad ludum ſuum deferri, quoniam domi inventæ ſunt eodem tempore quo in ludo ſe fuiſſe opinantur; inde tamen minimè ſequi putant, eas nunquam corporaliter per aërem deferri: Et licet nunquam corporaliter deferrentur; tamen quoniam poſtquam ita ſomniis deluſæ ſunt, rurſus vigilantes & ſenſuum compotes, non tantum firmiter credunt ſe ea verè feciſſe, ſed & rata habent, & approbant, firmiterque credunt ſe fidem Catholicam abnegaſſe, ac dæmonem pro Deo adoraſſe, eumque pro Deo habere, idque faciendo ſe nullo modo peccare, ſed bene facere, & in hiſce omnibus coram Inquiſitoribus perſeverant, putant illas verè eſſe hæreticas, idololatras ac apoſtatas: quia hæc credentes verè recedunt à fide.

Animus mihi non eſt, prolixum hiſce examinandis & refutandis operam inſumere, & quid veri narrationibus iſtis ſubſit inquirere, & an quædam ut vera admitti, alia ut fabuloſa rejici debeant: neque quouſque creduli, meticuloſi, & ſuperſtitioſi homines vanis imaginationibus & ſomniis deludi, & quæ à dæmonibus verè fieri poſſint: præſtitum id ab aliis eſt abundè, & præter hiſtoriæ meæ inſtitutum foret. Quare lectorem ad ea, quæ de hac materiâ eruditiſſimè ac ſolidiſſimè ſcripſit Simon Epiſcopius *Inſtit. Theol. lib.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 1. *pagg.* 143, 144, 145, 146. remitto. Paucis dico: Contractus cum diabolo qui Lamiis adſcribitur, adeò horrendus eſt, ut in cujuſquam hominis mentem cadere poſſe vix videatur. Effecta pleraque quæ peragere dicuntur fidem non merentur, quia fieri non poſſe videntur. Confeſſiones ſæpiſſimè tormentorum atrocitate expreſſæ ſunt, & ejuſmodi verbis conceptæ, ut cuivis naſutiori manifeſtum ſit, eas ab ipſis Inquiſitoribus eſſe formatas, ad augendam ſcilicet beatæ Mariæ, & Sacramentorum dignitatem; quaſi nempe eorum venerationem maximè impugnet diabolus. Eſtque id jam adeò evidens & manifeſtum, ut vel pluribus inter ipſos Pontificios perſuaſum ſit, pleroſque, quos ut maleficos pœnæ ignis adjudicatos viderunt, eſſe innoxios. Imò Theologus quidam Pontificius, integro edito libro, cui *Cautionis Criminalis* titulum fecit, plurimos innoxios fuiſſe concrematos non tantum ex aliorum relationibus refert: verum etiam teſtatur, ſe aliquot mulieres ad mortem eductas comitatum, de quarum innocentiâ etiamnum nullatenus dubitet.

Verum diſquiſitione hac omiſſâ, oſtendam, quâ ratione tribunal Inquiſitionis contra tales procedere ſoleat.

Ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis pertinere de lamiarum ſectâ cognoſcere, contra eas procedere, & ſicut alios hæreticos punire, probant, quia ſunt hæreticæ, idololatræ, & apoſtatæ: Tandem etiam multis Romanorum Pontificum ſanctionibus id eſt conſtitutum: videlicet Innocentii VIII. ſcribentis ad Inquiſitores Alemaniæ. *Innocentius Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Summis deſiderantes affectibus, prout paſtoralis ſollicitudinis cura requirit, ut fides Catholica noſtris potiſſimè temporibus ubique augeatur & floreat, ac omnis hæretica pravitas de finibus fidelium procul pellatur, ea libenter declaramus, ac etiam de novo concedimus, per quæ hujuſmodi pium deſiderium noſtrum votivum ſortiatur effectum, cunctiſque propterea per noſtræ operationis miniſterium, quaſi per providi operatoris ſarculum, erroribus exſtirpatis, ejuſdem fidei zelus & obſervantia in ipſorum corda fidelium fortius imprimatur. Sanè nuper ad noſtrum non ſine ingenti moleſtiâ pervenit auditum, quod in nonnullis partibus Alemanniæ ſuperioris, nec non in Maguntinenſi, Colonienſi, Treverenſi, Saltzburgenſi, & Bremenſi provinciis, civitatibus, locis & Diœceſibus complures utriuſque ſexus perſonæ, propriæ ſalutis immemores, & à fide Catholicâ deviantes, cum Dæmonibus incubis & ſuccubis abuti, ac ſuis incantationibus, carminibus, & conjurationibus, aliiſque nefandis ſuperſtitiis, ſortilegiis & exceſſibus, criminibus & delictis; mulierum partus, animalium fœtus, terræ fruges, vinearum uvas, & arborum fructus, nec non homines, mulieres, jumenta, pecora, pecudes, & alia diverſorum generum animalia, vineas quoque, pomeria, prata, paſcua, blada, frumenta, & alia terræ legumina*

Pegna ad libr. de Strigibus Bernardi Comenſis.

na perire, suffocare, & exstingui facere & procurare, ipsos quoque homines, mulieres, jumenta, pecora, pecudes, diris tam intrinsecis quam extrinsecis doloribus & tormentis afficere & excruciare, ac eosdem homines ne gignere, & mulieres ne concipere, virosque ne uxoribus, & mulieres ne viris actus conjugales reddere valeant, impedire, fidem præterea ipsam, quam in sacri susceptione baptismi susceperunt, ore sacrilego abnegare, aliaque quam plurima nefanda, excessus & crimina, instigante humani generis inimico, committere & perpetrare non verentur, in animarum suarum periculum, divinæ majestatis offensam, ac perniciosum exemplum, & scandalum plurimorum. Et paulò post. *Nos igitur impedimenta qualibet, per quæ ipsorum Inquisitorum officii executio quomodolibet retardari posset, de medio submovere, & ne labes hæreticæ pravitatis aliorumque excessuum hujusmodi, in perniciem aliorum innocentium sua venena diffundat, opportunis remediis, prout nostro incumbit officio, providere volentes, fidei zelo ad hoc maximè impellente, ne propterea contingat provincias, civitates, diœceses, terras, & loca prædicta sub eisdem partibus Alemaniæ superioris, debito Inquisitionis officio carere, eisdem Inquisitoribus in illis officium Inquisitionis hujusmodi exequi licere, & ad personarum earundem super excessibus & criminibus prædictis correctionem, incarcerationem, & punitionem admitti debere, perinde in omnibus & per omnia ac si in literis provinciæ, civitates, diœceses, terræ ac loca, personæ & excessus hujusmodi nominatim & specificè expressa forent, autoritate Apostolicâ tenore præsentium statuimus,* &c.

Hæ literæ pro majore parte tenoris confirmatæ & directæ sunt magistro Georgio de Casali, quondam Inquisitori Cremonensi per Julium II. & demum ad omnes Inquisitores congregationis Lombardiæ Ord. Prædic. extenduntur per has Alexandri VI. literas.

Alexander Papa dilecto filio Angelo de Veronâ, Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ professori, in provinciâ Lombardiæ hæreticæ pravitatis Inquisitori, & successoribus suis. Dilecte fili salutem & Apostolicam benedictionem.

Cum acceperimus in provinciâ Lombardiæ diversas utriusque sexus personas, diversis incantationibus & diabolicis superstitionibus operam dare, suisque veneficiis & variis observationibus multa nefanda scelera procurare; homines, & jumenta, ac campos destruere, & diversos errores inducere, magnaque inde scandala exoriri: Decrevimus pro pastoralis officii nobis ex alto commissi ministerio, scelera hujusmodi compescere, ac scandalis & erroribus præmissis, quantum cum Deo possumus, occurrere: Ea propter tam tibi, quam etiam successoribus tuis per Lombardiam constitutis, de quibus in his & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, committimus & mandamus, ut etiam soli, honesto tamen comitatu per vos eligendo associati, contra easdem utriusque sexus personas diligenter inquiratis, easque justitiâ mediante puniatis & compescatis. Et ut melius commissionem hujusmodi exequi possitis, contra illas vobis plenam & omnimodam harum serie concedimus facultatem, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non indultis & concessionibus ordinariis forsan pro tempore factis, cæterisque contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die &c.

In processibus contra lamias licet tutius ac decentius sit, ut Inquisitores perinde ac in caussis hæreticorum procedant, & processus conficiant requisitis Diœcesanis secundum juris dispositionem in *cap.* per hoc *de hæret. lib. 6. Extravag.* ex eo. *de hæret. Clement.* 1. *de hæret.* Nihilominus tamen ex his Constitutionibus manifestum est, si soli velint procedere, quod id quidem facere possunt; & quod soli procedentes fecerint ac decreverint, sive condemnando sive absolvendo, id validum erit.

Hic autem quærunt, an lamiæ, si confessæ fuerint infanticidia, homicidia, aliaque crimina, adversus quæ per leges civiles mortis pœna constituta est, ab Inquisitoribus aliisque judicibus Ecclesiasticis tradi possint curiæ sæculari, etiamsi pœniteant. Sentiunt aliqui, quantumcunque pœniteant, non debere tamen sicut alios hæreticos perpetuis carceribus mancipari, sed ultimo supplicio puniri. Plures tamen credunt, eas puro corde redire volentes ad Ecclesiæ gremium recipiendas esse: quoniam causa hæresis nihil commune habet cum infanticidiis, aut

aut aliis criminibus à lamiis perpetratis, quorum criminum cognitio ad Inquisitores minimè pertinet. Iniquè ergò facturos credunt fidei judices, si maleficis hujusmodi pœnitere volentibus beneficium misericordiæ & absolutionis denegarent.

Si verò maleficæ à judicibus sæcularibus primum captæ ob infanticidium, aut aliud delictum sæculare, dum interrogantur confitentur hæresim, aut aliquid hæresin sapiens, cujus judices sæculares cognitionem non habent, & ob istam confessionem Inquisitoribus fuerint traditæ, tunc peracto judicio hæresis eidem judici sæculari restituendam maleficam docent, ut is aliorum criminum cœptum judicium legibus civilibus peragat: Quia tunc non dicitur propriè curiæ sæculari relinqui, sed potius priori judici restitui, qui ratione criminis sæcularis super maleficâ illâ legitimam habet jurisdictionem. Idque ita observari ajunt, juxta constitutionem Pii v. cujus verba ita sonant. *Nec non carceratos quoscunque pro quibusvis delictis, & debitis etiam atrocibus apud dictum Inquisitionis officium quomodolibet delatos, vel denunciatos, suspensa aliorum criminum inferiorum cognitione, ad eosdem Cardinales, & Inquisitionis carceres, ibidemque ad criminis hæresis totaliter cognitionem & expeditionem retinendos, & posteà ad eosdem Officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, sine morâ transmittant.*

Imò possunt judices ecclesiastici, quando ad aures eorum legitimè pervenit, maleficam aliquam, quæ in carceribus judicis sæcularis detinetur, hæreticam esse, aut de hæresi suspectam, magistratum sæcularem compellere, ut eam sibi consignet pro causâ hæresis judicandam; nec non, ad exhibendum ipsis processus, & quaslibet scripturas, ut possint intelligere, an in eis quicquam contineatur quod fidei causam tangat, & judicium Inquisitorum juvare possit. Et si Magistratus renuat, possunt eum ad hæc omnia compellere per censuram ecclesiasticam, excommunicationem nempe, suspensionem, & interdictum. Non autem potest Magistratus sæcularis compellere judicem fidei, ut sibi exhibeat aliquas reas vel reos qui sæcularia delicta commiserunt, ut eos juxta legum civilium sanctiones punire possit: quia nulla ei in judicem ecclesiasticum, competit jurisdictio. Attamen cum judex ecclesiasticus in suo tribunali delinquentes puniit, tunc judex sæcularis ob crimina ad suum forum pertinentia eosdem punire poterit.

Modos Strigias istas investigandi dicunt esse duos. Primus est, confessio & inculpatio sociarum: Quia enim mulieres se mutuò cognoscunt in suo ludo, possunt etiam se mutuò detegere. Sed ut ejusmodi accusationibus fides habeatur, requirunt ut plures separatim, quarum singulæ aliis nescientibus confessionem edunt, in variis accusationis circumstantiis conveniant, quod videlicet testantur de eâdem personâ, tempore, & loco; eademque coram accusatâ affirment singulæ, & quidem una post aliam separatim, aliisque nescientibus. Interim ipsi fatentur, indicium hoc esse fallax; quia contingere posset, diabolum quandoque alicujus personam assumere, & se sub illius formâ in ludo repræsentare, ut eam infamet; quæ tamen innocens erit, & huic crimini non affinis. Quare huic modo alterum adjungi cupiunt, nimirum conjecturas & præsumtiones, unde eas detegi & cognosci putant: easque varias constituunt: Videlicet, fascinationem puerorum, maleficia causantia infirmitates aut alia nocumenta circa homines utriusque sexus, etiam circa jumenta & terræ fruges, vinearum uvas, & arborum fructus. Quando itaque periti medici ex aliquibus conjecturis vel circumstantiis judicant ejusmodi infirmitatem non ex defectu naturæ, neque ex aliquâ causâ naturali intrinsecâ, sed ab extrinseco accidisse, & ita quidem, ut non sit ex venenosâ infectione; aut quando vident infirmitatem esse incurabilem, ita ut nullis medicaminibus vel remediis naturalibus æger possit relevari, imò potius ipsum indies aggravari cernunt, sufficiens indicium putant, effectum illum esse maleficialem. Similiter, quando aliqui viri aut mulieres, ignorantes artem medicinæ, talia maleficia destruunt, & infirmitates curant, signum esse dicunt, quod ea cooperante diabolo faciant.

Tandem addunt indicium, quod sanè maximè fallax est. Quotiescunque, inquiunt, aliqua persona aut rixando, aut etiam non rixando, facit aliquas minas contra aliam personam, dicens: Quia tu mihi fecisti sic, vel sic, ego faciam taliter quod senties si bene fecisti, vel non; vel, faciam quod eris male contenta de me, vel, quod nunquam de tali re lætitiam habebis, & alias similes minas; & posteà sequitur effectus: signum est, quod talis effectus sit causatus operâ diaboli; præcipuè quando non potest sciri quomodo aliter talis effectus sit secutus; & ideo tales minæ cum effectu sequente faciunt magnam præsumptionem & urgentem conjecturam, quod talis minans sit Strigia, & à diabolo per abnegationem fidei dedicata, & erit indicium sufficiens ad torturam.

Sanè si talia sint indicia sufficientia ad torturam, cujusnam innocentia tuta erit? Innocentissimis quibuscunque tormentorum atrocitate, quæ talibus tanquam humani generis pestibus, sine fine ac modo ingeri solent, etiam eorum scelerum quæ nunquam cogitarunt, aut de quibus antehac ne fando quicquam audiverunt, confessio extorqueri potest. Non mirum ergo ab Inquisitoribus spatio centum quinquaginta annorum triginta lamiarum millia fuisse concremata: uti refert Ludov. à Paramo *de Origine Inquis. lib. 2. tit. 3. cap. 4. p.* 296. Ubi addit: „Has truculentissimas furias, quæ omnem exuerunt humanitatem, acerrimè Inquisitores prosequuntur, præcipuè tamen in Siciliæ regno, ubi cum Inquisitoris munus proximis superioribus annis obirem, plurimæ hujus generis lamiæ apostatæ deprehensæ & punitæ sunt.

Cum itaque primum notabiles ac manifestæ per hunc procedendi modum committerentur injustitiæ, in Inquisitorum manibus per Italiam Instructio quædam circumfertur, quam Carena in lucem edidit; in eâ dicitur, in Congregatione „Universalis Inquisitionis Romæ longo tempore observatum esse, vix unquam „repertum fuisse aliquem processum similem rectè ac juridicè formatum, plerumque necesse fuisse quamplures judices reprehendere, & multoties etiam „punire ob indebitas vexationes, inquisitiones, carcerationes, nec non diversos malos & impertinentes modos habitos in formandis processibus, reis interrogandis, excessivis tormentis inferendis, ita ut quandoque contigerit injustas „& iniquas proferri sententias, etiam ultimi supplicii, sive traditionis brachio „seculari: & reipsâ compertum esse, multos judices nimis faciles ac proclives „fuisse ob leve aut minimum indicium credere aliquam mulierem esse strigem, „& ideò nihil omninò prætermisisse, ut ab hujusmodi muliere, etiam modis „illicitis, talem confessionem extorqueant; cum talibus tantisque inverisimilitudinibus, varietatibus, & contrarietatibus, ut super tali confessione nulla aut „modica lis fieri posset.

Et hæc Carena aliquot exemplis confirmat: In Hispaniâ in civitate Logronensi de lamiatu plures condemnati fuerunt; & posteà compertum fuit in condemnatione intervenisse multas fallacias, ob quas bona condemnatorum fisco addicta non fuerunt, neque eorum sententiæ Ecclesiis affixæ, insuper reconciliati declarati fuerunt habiles cuilibet Inquisitionis Officio. Aliud exemplum addit quatuor mulierum ab aliis ad mortem damnatis & furcâ suspensis accusatarum coram Ordinario, quæ cum recursum habuissent ad regium Consilium, adeò leves isti Ordini visæ sunt præsumtiones contra illas, ut sub fide-jussione fuerint relaxatæ, nec unquam posteà vocatæ. Refertque ibidem verba Ferrerii, qui judices illos vocat *Assassinos, judiciales parum Deum timentes, minusque veritatis amatores.* Ut ergò cautius Inquisitores in hac materiâ procedant, regulæ aliquot ipsis præscribuntur.

Ac primò quidem, antequam processum inchoent debet constare de corpore delicti, si videlicet delictum sit ex illorum genere, quæ vestigium post se relinquunt: Observatum quippe est, judices quosdam decrevisse aliquot mulieres morte puniendas, quæ confessæ erant delictum, quod nunquam contigerat,

gerat: Ita refert Ferrerius, mulierem faſſam fuiſſe, ſe de nocte accepiſſe quendam infantem ab uberibus matris, illumque produxiſſe in conventu ſagarum, ab eaque & ſociis trucidatum: & tamen interrogata mater infantis, dixit, nunquam tale quid ſuo infanti accidiſſe. Corpus autem delicti probatur judicio peritorum medicorum, ſi clarè judicaverint, infirmitatem non eſſe naturalem, ſed eſſe poſſibile probabiliter maleficium: & legitima adſint indicia maleficium à tali muliere eſſe commiſſum. Tunc adhibito Conſultorum judicio ad incarcerationem procedere poteſt Inquiſitor: & eâ peractâ, cum Notario domum inquiſitæ inveſtigare, & per Notarium diligenter annotare omnia quæ in domo, capſis, lectis reperiuntur, tam quæ juvare poſſunt inquiſitam, ut ſunt coronæ, divina officia, libri devotionum, &c. quam quæ juvare poſſunt intentionem fiſci; ut ſunt, imagines cereæ acubus transfixæ, pulveres, unguenta, pentacula, chartæ cum crucibus, libri maleficia continentes, oſſa ſub terrâ, venena, oſſa mortuorum, res omnes extraordinariæ ſub limine domus & in lectis repertæ. Quæ perquiſitio fieri debet à miniſtris S. Officii ad præſentiam Notarii, coram ipſo Inquiſitore; & adeſſe non debent familiares maleficiati. Atque hic monent, non quæcunque inuſitata in lectis reperta indicium eſſe maleficii; poſſe enim quædam naturaliter evenire; & ſuper hiſce non poſſe fieri niſi leviſſimum fundamentum, niſi res in dictis locis repertæ ex ſe aptæ eſſent de ſe ex communi uſu maleficorum ad maleficia peragenda: ut ſi, verbi gratiâ, medietas unius cranii humani reperta fuiſſet in lecto, vel cervicali maleficiati, & alia medietas omninò correſpondens medietati in lecto vel cervicali repertæ inventa fuiſſet in capſâ malefici, certè contra maleficum oriretur ſuſpicio ex hoc conſiderabilis, arbitrio prudenter judicare debentis, & quidem major, quam ſi nulla medietas cranii reperta fuiſſet penes maleficum. Hæc aliaque ſimilia, quæ ſingulatim hic referre longum foret, prudenter ab Inquiſitore obſervari jubentur, ne temerè & abſque juſtâ cauſâ contra aliquam, tanquam magam procedat.

CAPUT XXII.

De Judæis, & redeuntibus ad ritus Judæorum.

JUdæorum gens, poſtquam exciſâ urbe Hieroſolymâ & templo, in miſeram ſervitutem & captivitatem per totum terrarum orbem diſperſa eſt, miſeriarum ſuarum impatiens, ſæpe arma arripuit, & ſe in libertatem vindicare conata eſt. Sed per graviſſimas ſtrages edomita tandem ferociam ſuam depoſuit, & jugum ferre coacta eſt. Chriſtiani, partim à Judæorum violentiâ ſibi timentes, partim perverſo pro religione Chriſtianâ zelo, diſperſos paſſim variis afflictionibus aut ad internecionem delere, aut tandem afflictionum gravitate ac diuturnitate fatigatos ad fidei Chriſtianæ profeſſionem adigere laborarunt. Inde jam olim varia diverſis temporibus contra Judæos edicta emanarunt: Alii terris ſuis eos proſcripſerunt, alii libertate ſpoliarunt, & in ſervitutem redegerunt, alii commodis ac privilegiis, quibus reliqui ſubditi gaudent, nudatos voluerunt; ut ita vel tandem penitus exſtinguantur, vel miſeriarum tædio Judaiſmi profeſſione abnegatâ Chriſtianam religionem amplectantur. Præcipuè in regno Hiſpaniæ, ubi major eorum multitudo conſedit, & regno aliquod ab eis imminere periculum creditum fuit, atrociora in eos edicta condita ſunt.

In ſexto Concilio Toletano hoc contra Judæos decretum prodiit. *Sanctum Concilium ſimul & cum conſenſu Chriſtianiſſimi principis ſuorumque optimatum, illuſtriumque virorum, hanc promulgamus Deo placituram ſententiam, ut quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quam inter aliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum permittere in ſuo regno degere. Si verò poſtquam ad regni gubernacula acceſſerit ipſe temerator hujus exſtiterit promiſſi, ſit* Simanc. tit. 35. §9.

ana-

anathema maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, similiter & omnes qui cum eo consenserint. Can. 3. Baronius ad annum Christi IↃCXXXVIII. ait decretum id maximè in odium Judæorum, idque magnis laudibus extollit, indeque concludit *haud indebitè tributum esse titulum Hispaniæ regibus, ut Catholici cognominentur; utpote tanto facti titulo digni, quod non tantum jurent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam non Catholicum in amplissimo suo regno permanere.*

Non obstante hoc decreto Judæi plures in Hispaniâ remanserunt, & sensim adeò multiplicati sunt, ut regibus formidabiles esse cœperint; ipsisque crimini datum sit, sive verè sive fictè, quod contra regem rebellare ausi fuerint: Quarre aliud contra eos statutum editum est in decimo septimo Concilio Toletano,
§ 5. Can. VIII. *Quoniam Judæorum perfidia non solum tunicam sacri baptismatis Christiani, quam susceperat, maculavit; sed etiam contra regem regnumque conspirare ausi sunt; suis omnibus rebus nudati, tam eorum perfidorum personæ, quam uxores eorum, & filiorum, & reliquæ posteritatis per cunctas Hispaniarum provincias servituti subjaceant perpetuæ, maneantque usque quaque dispersæ; illique qui eosdem Judæos in servitutem acceperint, in nullo eos permittant rituum suorum ceremonias celebrare.* Nihilominus multiplicata admodum fuit in Hispaniâ Judæorum progenies.

Interim contendunt Romanenses Judæos invitos per vim ad religionem Christianam cogi non debere; quia religio voluntaria esse debet; quin & quandoque contra quascunque malè zelantium Christianorum injurias autoritate Papæ protecti fuerunt.

Bzovius a. 1200. § 13. Sic Innocentius III. Papa constitutionem edidit de non opprimendis Judæis, in quâ hæc leguntur. *Statuimus ut nullus Christianus invitos vel nolentes eos* (Judæos) *ad baptismum per violentiam venire compellat: Sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causâ confugerit, postquam fuerit voluntas ejus patefacta, sine quâlibet efficiatur calumniâ Christianus. Veram quippe Christianitatis fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed invitus cognoscitur pervenire. Nullus etiam Christianus, sine Potestatis terræ judicio, personas eorum nequiter lædere, vel res eorum violenter auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus in eâ, in quâ habitant, regione habuerint consuetudines immutare. Præterea in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos ullatenus non perturbet; nec aliquis ab eis indebita servitia exigere, vel extorquere, contendat, nisi ea, quæ ipsi præteritis temporibus facere consueverunt. Ad hoc malorum hominum pravitati & avaritiæ obviantes, decernimus, ut nemo cœmiterium Judæorum mutilare audeat, vel minuere, sive obtentu pecuniæ corpora effodere jam humata. Si quis autem decreti hujus tenore cognito (quod absit) contraire tentaverit, neque præsumtionem suam condignâ satisfactione correxerit, excommunicationis ultione plectatur. Eos autem duntaxat hujus protectionis præsidio volumus communiri, qui nihil machinari præsumserint in subversionem fidei Christianæ.*

Contendunt etiam Pontificii, licet Judæos Hispaniâ & Lusitaniâ, nisi Christianam Religionem amplectantur, excedere jusserint, quod nullo modo eos fidem Christianam amplecti coëgerint; ideoque Osorius & Mariana Regem Emanuelem, qui impuberes Judæorum liberos invitis parentibus retinuit, ac Judæos per duram servitutem ad baptismum suscipiendum coëgit, reprehendunt, quod nec ex lege nec ex religione hoc ab ipso sit factum. Minimè verò hic prætereunda sunt verba Bzovii, quibus factum hoc reprehendit, ad annum Christi 1497. § XXVII. *Quid enim? Tu rebelles animos, nullâque ad id susceptâ religione constrictos, adigas ad credendum ea, quæ summâ contentione aspernantur, & respuunt? Idque tibi assumas, ut libertatem voluntatis impedias, & vincula mentibus effrænatis injicias? At id neque fieri potest, neque Christi sanctissimum numen approbat. Voluntarium enim sacrificium, non vi malâ coactum ab hominibus expetit; neque vim mentibus inferri, sed voluntates ad studium veræ Religionis allici & invitari jubet. Porrò autem quis sibi id arrogare potest, quod solus divinus spiritus efficit in eorum animis, qui non ad extremum vitæ spiritum illius benignitati repugnare contendunt? Ille namque solus est qui mentes illustrat, &* al-

allicit, & invitat; & eos, qui tantum munus non animo pertinaci & ingrato repudiant, ad Christi confessionem & societatem perducit. Postremò, quis non videt, quam indignum sit, hominibus in religionis studio diversis tot mysteria, tot res sacrosanctas, tantam rerum divinarum rationem committere, & sceleris occasionem iis, qui Christi disciplinam ludibrio habent, inconsideratè præbere, & ita religionem per religionis simulationem indignissimè violari? Credendine sunt hi homines seriò loqui, qui tot modis Judæos miserè divexant, ut eos tot miseriis, quarum nullum vident finem, fractos ad religionem Christianam amplectendam cogant? Inde enim est, quod tam multi inter recens conversos reperiantur animo adhuc judaizantes. Inde est, quod ipsi novos Christianos, ex Judæis nimirum & Saracenis conversos, semper suspectos habeant, & eorum posteritatem à veterum Christianorum posteritate semper discretam cupiant.

Sed & nonnunquam apertè Judæos persecuti sunt, & ad religionem Christianam cogere voluerunt: Refert Sethus Calvisius ex Cedreno, ad annum Christi 722. Leonem Imperatorem Judæos coëgisse, ut religioni Christianæ dent nomen: sed iidem posteà vel ejurarunt baptismum, vel seipsos domibus inclusos cum totâ familia cremarunt.

Quid verò dicemus, quod Judæos ad fidem non cogendos docent, suo vero judicio errantes circa dogmata quædam Religionis, quos infami hæreticorum nomine indigetant, omnibus modis, & quocunque crudelitatum genere, ad ejurandos errores (imò ipsam veritatem) cogi velint, & cogant? Quæstionem illam disolvit Conradus Brunus *de Hæreticis & Schismaticis lib.* 3. *cap.* 3. § 18. Ubi decretum cujusdam Concilii Toletani de Judæis recenset.

Concilium Toletanum, cap. de Judæis 45. Dist. *De Judæis autem præcipit sancta Synodus, nemini deinceps vim inferre. Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propriâ arbitrii voluntate serpenti obediens periit: sic (vocante se gratiâ Dei) propriâ mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergò non vi, sed liberâ arbitrii sui voluntate & facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi.*

„Hoc de Judæis cum statutum sit, quid est, quod hæreticos, ut ad unitatem Ec„clesiæ Catholicæ redeant, compellimus, ac non potius suæ voluntati relinqui„mus? Sed est alia ratio, quæ hos cogit, illos voluntati suæ relinquit: ut idem „Concilium Toletanum declarat. Nam ideò hæretici coguntur, non Judæi: „quia hæretici semel sacramentis divinis associati sunt, & baptismi gratiam su„sceperunt, & chrismate uncti sunt, & corporis Dominici extiterunt partici„pes, ideoque fidem quam semel susceperunt tenere coguntur; ne nomen Do„mini blasphemetur, ac fides, quam susceperunt, vilis ac contemtibilis habeatur.

Plenius autem hoc exponit Bellarminus lib. *de Laicis*, *cap.* 22. circa finem, respondens objectioni, quod fides sit libera: distinguit nimirum liberum, aitque *duobus id modis accipi. Uno modo ab obligatione, quomodò dicimus, liberum est vovere castitatem, ingredi Religionem; & non est liberum frangere votum, egredi Religionem: & hoc modo fides libera est in iis, qui eam nunquam receperunt, libera est ab obligatione humani juris, sed non divini; & ideò homines non cogunt. Deus tamen puniet. At in iis qui eam in baptismo professi sunt non est libera ab obligatione, nec juris divini, nec humani; & ideò cogunt homines ut ea servetur. Altero modo sumitur liberum, ut distinguatur contra necessarium; & hoc modo liberum est non credere.* &c. Sed verò, ut obiter fundamentum hoc persecutionis Pontificiæ refellamus, nunquam ostendet Bellarminus, nec quisquam ex Pontificiorum genere, per susceptionem baptismi obligationem humani juris esse contractam. Votum concipitur Deo, & per baptismum soli Deo, nulli vero homini se obligat baptizandus: ideoque baptismum suscipit in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti: quâ formâ dum baptismum administrari præcipit Servator, soli Deo hominem per illum devoveri ostendit: neque ullam, nec expressam, nec tacitam sponsionem emittit baptiza-

zatus, quâ se ulli homini obligatum reddit: profitetur se discipulum Jesu Christi, ad observationem præceptorum ejus se obstringit, & jus ad bona spiritualia, quæ Deus ipsi per baptismum obsignat, acquirit. Nihil hic occurrit, quo se ulli homini obstringit, aut pœnæ humanæ, si à fide aut vitæ sanctimoniâ recedat, obnoxium reddit: Omnia sunt divina, ac spiritualia. A Deo sperat remissionem peccatorum & vitam æternam, si ea, quibus se in baptismo obstrinxit, observet: Si baptismi votum apostasiâ & vitæ profanitate irritum reddat, divinum experietur supplicium. Nullâ hic est ratione obligationis humanæ mutatio, neque post baptismum ulli homini magis est obligatus quam ante baptismum. Dices forte: Per baptismum factus est membrum Ecclesiæ. Ita est: sed per id nullam in se suscepit obligationem humanam: Non enim ullius hominis decretis propterea est obnoxius, sed solius Dei, à quibus si recedat, statim desinit esse membrum Ecclesiæ, potestque Ecclesia declarare, eum non amplius corporis sui esse membrum, ac proinde, spem remissionis peccatorum ac vitæ æternæ nullam ipsi superesse. Idem autem Ecclesia de iis pronuntiare potest, qui nunquam baptizati sunt, nec fidem Christianam professi. Quare concludo, si quis à fide deficiat ad hæresin, quæ vera hæresis est, eum non recedere ab obligatione quâ Ecclesiæ, aut ulli homini obligatus est, sed quâ Deo, cujus solius verbo, tanquam unicæ fidei suæ regulæ, obedire tenebatur, obstrictus fuit; ac proinde à solo Deo pœnâ spirituali ac æternâ, non verò ab homine pœnâ corporali puniri posse. Verum hæc obiter.

Inquisitio igitur, ut institutum nostrum repetamus, introducta non est, ut Judæos ad religionem Christianam cogat: Quoniam, inquiunt, cum baptizati non sint, nec fidem Christi professi, hæretici vel apostatæ dici non possunt, ac proinde Inquisitorum jurisdictioni non subjacent: Ecclesia namque de his qui foras sunt non judicat; & Inquisitoribus jurisdictio duntaxat mandata est adversus hæreticam pravitatem & apostasiam: Verum in Hispaniam Inquisitio invecta est contra eos, qui è Judæis aut Mahomethanis ad religionem Christianam conversi, & professioni illius per solemnem baptismi susceptionem initiati, rursus ad Judaismum aut Mahomethismum redeunt, & illius apostasiæ indicia quædam edunt unde coargui possint. Hic, perinde uti Christianus quicunque ad ritus Judæorum transiens, ab Inquisitoribus puniri potest, tanquam alius hæreticus, aut apostata. Et ad probandum hoc facinus, etiam Judæorum testimonium admittitur, quo legitimè probato, relapsi & impœnitentes regiis Hispaniæ legibus igni traduntur.

Zanchin. de hæret. c. 36. Præter hunc sunt & alii casus, quibus Judæi Inquisitioni subjiciuntur, de quibus disserit Zanchinus *de hæreticis*, & Camillus Campegius *in Additionibus* suis *ad Zanchinum*, *cap.* 36. quæ hic adscribam. „Quoniam Ecclesia non judicat eos „qui foris sunt, quidam indistinctè credunt, quod Inquisitores non possint pro„cedere contra Judæos, nec eos punire. Alii vero concedunt quidem, quod „Judæi inviti non sunt cogendi ad suscipiendum fidem Christianam, aut bapti„smum, certis tamen casibus eos Inquisitoribus subjiciunt. Ut id evincant, hac „distinctione utuntur: Judæus aut deliquit circa contemtum fidei orthodoxæ, „vel impedimentum officii Inquisitionis: aut circa fidem ipsorum: aut aliter, „& penitus extra præmissa. Si duobus posterioribus casibus, nihil hoc ad Inquisi„torem. Si verò deliquit circa contemtum fidei, vituperando ecclesias, vel al„taria, seu etiam sacra ornamenta ecclesiæ, & similia; vel impedit Inquisito„rem circa explicationem sui officii, contra ipsum Inquisitor procedere pote„rit; quia ratione sui delicti effectus est de foro Ecclesiæ. Pœnæ autem quibus „punire ejusmodi Judæum potest, sunt variæ; potest interdicere Christianis, ne „quicquam tali Judæo communicent: nam hæc est pœna gravissima, versari in„ter homines, & carere hominum suffragiis: potest & pœnam pecuniariam im„ponere; potest & aliam pœnam corporalem, videlicet carcerando vel verbe„rando.

Sunt etiam alii casus, quibus Judæi Inquisitori subjiciuntur, si relabantur ad Judaismum, aut si quis simpliciter à Christianismo ad Judaismum deficiat; aut si Judæus Christianum ad ritum Judæorum induxerit: Qui omnes expressi sunt in Extrav. Gregor. x. ad Inquisitores Ordinis Prædicatorum & Minorum, qui claruit anno Domini 1271. *Turbato corde audivimus & narramus, quod non solum quidam de Judaicæ cæcitatis errore ad lumen fidei Christianæ conversi, ad priorem reversi esse perfidiam dignoscuntur; verum etiam quamplurimi Christiani veritatem Catholicæ fidei abnegantes, se damnabiliter ad ritum Judaicum transtulerunt. Quod tantò magis reprobum fore cognoscitur, quantò ex hoc Christi nomen sanctissimum quadam familiari hostilitate securius blasphematur. Cum autem huic pesti damnabili congruis & festinis remediis deceat obviari: Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hæreticos autoritate Sedis Apostolicæ designatos, super præmissis tam per Christianos quam etiam per Judæos, inquisitâ diligenter & solicitè veritate, contra eos, quos talia inveneritis hactenus commisisse, ac committere etiam in futurum, tanquam contra hæreticos, contra fautores quoque, receptatores & defensores hæreticorum procedere studeatis. Judæos autem, qui Christianos utriusque sexus ad eorum ritum execrabilem induxerunt, aut inveneritis de cætero inducentes, pœnâ debitâ puniatis. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione post-positâ, compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.* Campeg. in Zanch. c. 36.

Exstant alia similia monumenta in actis Inquisitionis Ferrariensis, in pergameno scripta, quæ exhibet Camillus Campegius in Zanchinum *cap.* 36. quorum duo solummodo hic transcribam. Unum est epistola Latini de Ursinis Cardinalis Legati per Romandiolam & Tusciam ad Inquisitorem Ferrariæ, anno Domini 1280. Nicolai III. anno 2. *Exposuit nobis dilectus in Christo Bonifacius de Ferrariâ, olim Judæus, nunc autem per Christi gratiam ad Catholicam fidem conversus, quod Judæi Ferrariæ habitantes, maligno contra eum spiritu concitati, graves in ipsum persecutiones intentant, & in ejus perniciem impia machinantur; propter quod in civitate prædictâ non potest absque metu periculi commorari. Quare nobis humiliter supplicavit, ut providere sibi super hoc de opportuno præsidio curaremus. Cum itaque valdè indignum sit, ut his, qui relicto Judaicæ cæcitatis errore, ad lucem redierunt fidei Christianæ, ab his qui in ipsâ cæcitate remanent persecutiones & injurias patiantur: Discretioni vestræ quâ fungimur autoritate mandamus, quatenus eundem Bonifacium, ac omnes alios, qui in civitate & diœcesi Ferrariensi conversi sunt, ad fidem Catholicam, vel imposterum convertentur, sub protectione vestrâ recipientes, ipsos à prædictis Judæis protegere ac defensare curetis, eosdem Judæos à suis insolentiis & blasphemiis orthodoxæ fidei, prout expedire videritis, compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio.*

Alterum est responsum variorum Theologorum Patavinorum, Bononiensium, & Ferrariensium, ad octo articulos, per eundem Inquisitorem Ferrariensem propositos, quod prout à Campegio in compendium est redactum hic fideliter exhibebo.

Primò quæritur: *Utrum Judæus baptizatus & ad fidem Christi conversus, si ab ejusdem fidei veritate apostatet redeundo ad Judaismum, & fidem Christianam, quam susceperat, abnegando, subsit Inquisitoris officio, & possit ab eo compelli & condemnari sicut alii hæretici, si servare fidem contemserit jam susceptam.*

Huic quæstioni responderunt Sapientes Patavini anno D. 1281. talem officio Inquisitoris subesse, & contra eum veluti contra hæreticum procedi posse. Et idem dixerunt Ferrarienses, nempe quod Inquisitor potest & debet procedere contra Judæos baptizatos, qui postcà ad Judaismum rediere.

Secundò: An Inquisitor possit contra eos procedere, quorum opere, voluntate, consilio & assensu, talis vel alius Christianus apostatat, & fidem Jesu Christi abnegat, quam semel susceperat, nec non & contra ipsius fautores, receptatores & defensores, sive sint Judæi, sive cujuscunque alterius conditionis & status.

Responderunt Patavini, Inquisitorem posse & debere procedere contra eos sicut contra fautores, receptatores, & defensores hæreticorum. Quia licet Judæi ab Ecclesiâ in suis ritibus to-

lerentur, tamen ratione delicti, quod in Ecclesiam committunt, sunt severitate ecclesiasticâ coërcendi, & privilegium meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate. Hoc idem dicunt Bononienses, nempe tales acriter puniendos esse. Consulunt tamen ipsi, quod contra tales non procedatur ad ultimum supplicium, nec ad effusionem sanguinis, nec tradantur sive relinquantur brachio seculari. Puniri tamen possunt & debent pœnâ pecuniariâ, exilio, carcere, & etiam indirectâ excommunicatione, & hujusmodi, prout qualitas excessus duxerit requirendum. Rursus, & contra eos, qui tali apostatæ dant consilium, auxilium & favorem, tenendo eum in domo, pascendo eum, & dando ei de rebus suis, & deducendo eum de civitate, ut id quod factum est non possit venire in notitiam Christianorum, sive admittendo eum ad judaizandum in Synagogâ, & hujusmodi, debet procedi sicut contra fautores, receptatores & defensores hæreticorum. Istos tamen dicunt minus esse puniendos quam primos, cùm isti solum videantur esse fautores; & primi propriè loquendo dici possunt hæreticorum esse factores. Potest etiam ab istis veritas extorqueri cum moderamine, de quo infrà in artic. seq. si ipsam veritatem noluerint confiteri, cum testes vel violentæ præsumtiones sunt contra eos, quod talia vel similia commiserunt in præjudicium fidei Christianæ. Cui decisioni subscripserunt Doctores Ferrarienses.

Tertiò; an Inquisitor contra tales violentas habens præsumtiones, quod ipsi veritatem non dicunt, dum in prædictis & aliis similibus excessibus contra eos inquirit, possit eam suppliciis extorquere citra sanguinis effusionem, per executorem vel judicem secularem, & contra eos ad pœnas canonicas procedere, si convicti fuerint, vel confessi. &c. Patavini affirmativè responderunt, quod & Bononienses comprobarunt. Potest, inquiunt, veritas à talibus, si eam confiteri nolunt, extorqueri suppliciis citra effusionem sanguinis, per judicem secularem ad mandatum Inquisitoris, cum testes legitimi, vel præsumtiones violentæ sunt contra tales, quod prædicta vel consimilia commiserunt. Addit hic Campegius. Observa quæso antiquorum scrupulum circa tormentorum supplicia, quia nolebant per Ecclesiasticum, sed per secularem judicem ad mandatum ecclesiasticum ea exhiberi: nunc autem scrupulus iste sublatus est per Cle. *Multorum.* de hæret. § *Duro tamen. Ferrarienses itidem consuluerunt, videlicet Inquisitores posse & debere contra illos procedere, quorum opere, consilio & assensu talis apostatavit.*

Insuper dicunt Patavini, veritatem similiter, & similibus suppliciis extorquendam esse, si hoc negant, quod eis per plures testes probatur, quamvis testes hoc probantes dicant, excessus prædictos commissos opere, consilio & auxilio Judæorum talis civitatis, nec nomina sigillatim exprimant, quin immò per tales etiam probationes procedere poterit, etiam contra eos, sine aliis confessionibus eorumdem.

Quartò quæritur de Synagogâ, in quâ opere, voluntate & consilio Judæorum, in terrâ illâ morantium, aliqui Christiani in præjudicium sacri baptismatis sunt per Judæos abluti, & fidem in eâ eorum inductionibus negaverunt. Respondent Patavini, illam tanquam nudatam privilegiis Christianorum esse funditus destruendam: & hæc eadem sententia à Bononiensibus & Ferrariensibus approbatur.

Circa illum verò, qui infra terminos suæ Inquisitionis excessit in casibus memoratis, & infra eosdem terminos habet domum, in quâ cum suâ familiâ consueverat commorari, dicunt Patavini sufficere, quod ad domum eandem proponatur citationis edictum, si ad partes extrancas se transtulit & ignotas; ita ut si non venerit congruentibus terminis assignatis, procedere valeat contra eum, & bona sua, quæ ibi habet, prout de jure fuerit faciendum.

Super alio præterea Patavini sic respondent, quod parvulus filius Judæi baptizati existens apud matrem, quæ remansit in Judaicâ cæcitate, patre absente in remotis partibus & ignotis, favore fidei est accipiendus ab eâ per Ecclesiam, vel loci Ordinarium, sive principem Christianum, cujus subest dominio, & nutriendus apud fideles non suspectos, & baptizandus, nisi appareat obex in eo contrariæ voluntatis.

Cæterum ad id quod posteà quæritur de quodam, contra quem per plures testes legitimos probatur, quod dum esset in Synagogâ Judæorum, & deberet legem coram aliis Judæis legere solemniter, juxta morem, objectum fuit ei ab alio, quod non erat dignus legere legem, pro eo quod in tali terrâ fuerat baptizatus, & ipse recognovit & confessus est ibi se baptizatum fuisse, sed rediisse ad Judaismum, & pænitentiam, quam sibi Judæi dederant

de peccato, quia baptizari se fecerat, peregisse, & velle vivere & mori de cætero ut Judæus; dicunt Patavini & Bononienses, super his veritatem ab eo per secularem judicem ad mandatum Inquisitoris suppliciis citra sanguinis effusionem extorquendam esse.

De duobus autem, scilicet viro & muliere, qui gerunt se publicè pro Judæis, tamen legitimè contra eos per testes probatur, quod parentes utriusque Christiani fuerint, & ipsi nihilominus fuerunt baptizati, videlicet hoc modo. Nam pater istius viri, qui se gerit pro Judæo, fuit prius Judæus, sed posteà baptizatus, & sic factus Christianus, mulierem Christianam duxit uxorem, de quâ filium istum generavit, & baptizari eum fecit, & sic multis annis ut Christianus vixit. Tandem post multum tempus pater istius ad Judaismum rediens, etiam filium istum, de quo agitur, circumcidi fecit, & posteà semper vixit ut Judæus: Et quod plus est, matrem suam verè Christianam judaizare fecit, & in cœmeterio Judæorum sepulta fuit. Mulier etiam illa, quæ se gerit publicè pro Judæâ, prædicto modo prius probatur Christiana fuisse. Nam mater ejus prius fuisse Judæa dignoscitur; sed posteà effecta fuit Christiana, & virum Christianum accepit, quo mortuo ad Judaismum rediit, & virum Judæum accepit. De istis duobus dicunt Bononienses, quod contra eos sicut contra hæreticos procedi debet, & debet ab eis veritas, si eam confiteri nolunt, suppliciis extorqueri. Quod si nec sic veritatem confiteri voluerint, nec redire ad fidem quam in baptismo primitus susceperunt, possunt, publicatis bonis, vel in carcere perpetuo teneri, vel relinqui brachio seculari.

In cujus rei testimonium Domini consulentes Patavini, Bononienses & Ferrarienses Doctores sua distincta consilia propriis sigillis communiri fecerunt.

Addit porrò Simancas hos casus, quorum aliqui non multum à casibus in scripto hoc Ferrariensi expressis recedunt, *Tit.* 35.

„Si Judæus, Mahumetanus, aut quicunque alius hæreticos receptaverit, defenderit, vel illis faverit, vel Inquisitoribus obsisteret, vel illorum officium „impediret, vel hæreticorum libros hodiè retineret, puniri posset ab Inquisitoribus. Etiam constitutione quâdam Extravagante Nicolai IV. Inquisitoribus potestas data est cognoscendi de Judæorum crimine, quoties illi erraverint contra Vetus Testamentum, aut Christianum quempiam ad Judaismum induxerint, aut circumciderint, aut fidem Catholicam abnegare coëgerint.

Sed & Papa Joannes XXII. narrante Bzovio ad annum Christi 1319. §. 9. datâ epist. num. CXC. Clementis IV. & aliorum prædecessorum Constitutiones contra Judæos innovavit, & Inquisitoribus in eosdem potestatem concessam legibus acrioribus armavit; præcipiens, ut & libros Thalmud conquisitos exurerent, & execrandarum blasphemiarum convictos castigarent. Mense Decembri sequente, uti refert liber Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, fol. 136. mandato Fratris Bernardi Guidonis Inquisitoris hæreticæ pravitatis, Tholosæ libri Judæorum, qui vocantur Thalmud, quotquot apud Judæos potuerunt inveniri, fuerunt combusti, postquam per juratos examinatores in Hebræâ linguâ peritos declaratum fuit, eos continere errores & blasphemias contra Dominum Jesum Christum, & ejus sanctissimam genitricem Virginem Mariam.

In regno Valentiæ Inquisitores procedere possunt contra Judæos, vel Sarracenos, vel alios infideles non baptizatos dogmatizantes inter Christianos, præsertim si sunt illi, qui vulgò *Alfaquini* vocantur; aut impedientes officium Inquisitionis; aut circumcidentes pueros, hæreticorum receptatores, & compellentes aliquem ut fidem abneget, vel inducentes illum ad eorum ritus & publicas ceremonias. Alii tamen censent, Judæum, qui Christiano dicit, *la fede vestra è fede dicatzi*, aut qui projecit immundiciem super crucem quæ deferebatur in litaniis, ab Inquisitoribus non posse puniri, sed à judice sæculari. J. Royas part. 1. §552.

Tandem Gregorius XIII. anno 1581. Constitutionem edidit, cujus initium est, *Antiqua Judæorum improbitas.* quâ hæreticæ pravitatis Inquisitoribus potestatem concedit in sequentibus casibus liberè contra Judæos procedendi. „Si Comp. Bull. part. 2. pag. 178.

 „ne-

„ negaverint, quæ circa fidem communia sunt cum Christianis: Si dæmones in„ vocaverint, aut eis immolaverint: Si quem Christianum hæc docuerint, vel „ ad ea perduxerint: Si hæreticas blasphemias dixerint: Si Christianum à fide „ deviaverint: Si infideles ad fidem Christi transire impediverint: Si hæreticum „ scienter receptaverint, vel ei auxilium dederint: Si libros hæreticos vel Thal„ mudicos, aut alios Judaicos quomodolibet damnatos, tenuerint: Si hostiam „ salutarem, aut crucem, & similia, vel Christianos deriserint. Si nutrices „ Christianas retinuerint, vel easdem ab hac die, quâ Eucharistiæ sacramentum „ sumserint, lac in latrinas effundere coëgerint.

Præcipuè verò in regnis Hispaniæ & Lusitaniæ Inquisitio introducta est ad detegendum & puniendum illos, qui ex Judæis Christianam religionem amplexi, & solenni baptismi susceptione professionem suam testati, denuò ad Judaismum relabuntur.

Pegna. comm. 25. in 3. part. Eymer.

Varia autem signa sunt, unde quis colligatur facilè ad Judaismum reversus. Olim ipsi Judæi conversi concesserunt, ex signis quibusdam posse agnosci, quinam ipsorum non essent sincerè ad Christum conversi, & Judaismum corde foverent, placito quodam in nomine Regis Hispaniæ facto circa annum Domini IↃCLIII. lib. XII. legum *del Fuero Juzgo.* quod ita sonat.

Clementissimo ac Serenissimo Domino nostro Roccsuindo Regi, omnes nos Hebræi Toletanæ civitatis atque Hispaniæ gloriæ vestræ, qui infrà subscripturi vel signa facturi sumus. Bene quidem ac justè meminimus nos compulsos fuisse, ut placitum in nomine divæ memoriæ Chintillani Regis pro conservandâ fide Catholicâ conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter in Jesum Christum Dominum crederemus, nec Catholicam fidem sincerè teneremus: idcircò nunc libenter ac placitè spopondimus gloriæ vestræ, tam pro nobis quam pro uxoribus & filiis nostris, per hoc placitum nostrum, ut deinceps in nullis observationibus, in nullis incestivis usibus Judaicis misceamus. Judæis etiam nobis baptizatis nullo penitus execrando consortio consociemur: non more nostro propinquitate sanguinis usque ad sextum gradum incestivâ pollutione in conjugatione vel fornicatione jungamur: non conjugia ex genere nostro, aut nos, aut filii nostri, vel nostra posteritas ullatenus sortiamur: sed in utroque sexu deinceps Christianis jugali copulâ connectamur: non circumcisionem carnis operemur: non Pascha, & Sabbatha, cæterosque dies festos juxta ritum Judaicæ observationis celebremus: non escarum discretionem vel consuetudinem teneamus: non ex omnibus quæ Judæorum usus, & abominanda consuetudo vel conversatio agit, aliquatenus faciamus: Sed sincerâ fide, grato animo, plenâ devotione, in Christum Filium Dei vivi, secundum quod Euangelica & Apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam usus Sanctæ Christianæ religionis tam in festis diebus, vel in conjugiis & escis, quam in observationibus universis veraciter teneamus & sinceriter amplectamur; nullo reservato apud nos aut oppositionis objectu, aut fallaciæ argumento, per quod aut illa, quæ facere denegavimus, iterum faciamus; aut hæc, quæ facere promittimus, minimè vel non sinceriter compleamus. De suillis verò carnibus id observare promittimus, ut si eas pro consuetudine minimè percipere poterimus; ea tamen quæ cum ipsis decocta sunt, absque fastidio & horrore sumamus & comedamus. Quod si in his omnibus, quæ suprà taxata sunt, in quocunque vel minimo transgressores inventi fuerimus, & aut contraria fidei Christianæ agere præsumserimus, aut quæ congrua Catholicæ religioni promisimus, verbis aut factis implere distulerimus: Juramus per eundem Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, qui est unus in Trinitate & verus Deus, qui ex nobis horum omnium vel unius transgressor inventus fuerit, aut novis ignibus aut lapidibus perimatur. Aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ reservaverit pietas, mox amissâ libertate, tam eum, quam omnem rei ipsius facultatem, cui volueritis perenniter serviendam donetis: vel quidquid ex eo vel rebus ejus fieri jusseritis, non solum ex regni vestri potentiâ, sed etiam ex hujus placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. Factum placitum sub die XII. Calendas Martias anno feliciter sexto regni gloriæ vestræ in Dei nomine, Toleto.

Pegna

Pegna verò ex cæteris Judæorum ritibus observatis, videlicet, ex nimiâ familiaritate cum Judæis, ex frequentatione ad loca in quibus ipsi morantur, & præsertim ad Synagogas, ex observationibus Sabbathi, & aliis multis, certiorem occulti Judaismi suspicionem oriri credit, quam ex abstinentiâ ab esu suillæ; quia fieri potest ut gustui sit insuavis, vel stomachus eam non ferat. Quæ consideratio potissimum locum habet in ipsismet conversis, quibus pro consuetudine non facilè caro porcina, aut similes cibi illis vetiti antequam converterentur, placere possunt. At non ita ipsi videtur judicandum de ipsorum filiis & nepotibus, & aliis descendentibus, quos non videtur verisimile ab his abstinere, nisi ex damnatæ sectæ reverentiâ & approbatione; cum in his cesset ratio illa consuetudinis, quæ ipsosmet conversos tueri potest.

Inter signa etiam occulti Judaismi censetur nomen quod sibi adsciscit: Quia dicunt, solitum esse apud Hebræos, ut reversis seu redeuntibus ad eorum sectam, frequenter imponatur illud nomen quod habebant antequam baptizarentur. Si quis ergò post baptismum susceptum, in quo solitum est deponi vetus nomen Judaicum, & imponi nomen alicujus Sancti, more usitato Christianorum, eo dimisso neophytus ille aut vetus nomen Judaicum, aut aliud Judæis familiare & consuetum usurpet, præsumtio erit, quod Judaismum approbet.

Quot verò & quibus casibus Judæi & alii infideles subjiciantur Inquisitorum potestati fusè declaravit Gregorius XIII. anno 1581. rescripto quodam incipiente, *Antiqua Judæorum*, mox memorato.

Quod pœnas istiusmodi delinquentium Judæorum attinet, delicta eorum tripliciter distinguuntur: Alia nempe ipsis cum Christianis communia sunt: alia sunt contra fidem Christianam, aut potius Pontificiam: alia denique contra eorum fidem propriam. Quæ postrema non sunt hujus loci. Carena p. 2. t. 14. § 18.

Respectu delictorum primi generis, tam respectu ipsorum, quam Christianorum, declarantur hæretici, veluti, si negarent Deum esse omnipotentem. Si id se dixisse & credidisse fateantur, abjurare coguntur de formali. Si se dixisse fateantur, credidisse verò negent, super intentione torquentur, & perinde ac Christiani pro gradu suspicionis vel levis, vel vehementis, abjurare solent.

Quoad delicta verò secundi generis, torquentur solummodò pro habendâ veritate, & super complicibus: Nam in his verè ipsi hæretici non sunt; sed quoniam contra fidem Christianam, seu Pontificiam, gravissimè delinquunt, ideò etiam gravissimis pœnis puniri solent: & in isto casu non coguntur ad abjurationem, quoniam Ecclesia non cogit eos ad fidem.

Pœnæ quibus Inquisitores Judæos in casibus prædictis delinquentes punire solent, variæ sunt, & quidem pro modo & qualitate delictorum vel leviores, vel graviores: scilicet, privatio communionis cum Christianis, pecuniariæ, carcer perpetuus, verbera, etiam traditio in potestatem brachii sæcularis.

HISTORIA INQUISITIONIS.

LIBER QUARTUS,

De Modo procedendi còram Tribunali Inquisitionis.

CAPUT I.

Quomodo Inquisitor munus suum inchoet.



Estat nunc ut explicemus quæ executionem muneris Inquisitorii spectant. Hic verò difficilior erit labor; quia certis licèt legibus Inquisitores sint alligati, multa tamen eorum arbitrio relicta sunt; tum & ipsa legum applicatio ad particulares, qui Inquisitoribus offeruntur, casus, nec non procedendi & è captivis confessionem eliciendi ratio, multum ex eorum arbitrio dependet: Hinc fit, ut licèt omnes Inquisitores generalibus quibusdam dirigantur legibus, ac proinde una eademque ab omnibus observetur procedendi ratio generalis; in multis tamen circumstantiis illa varia admodum ac multiplex sit; quæ propterea non ita plenè explicari potest, quoniam Inquisitores multa magis usu & praxi addiscunt, quam institutione & præceptis: & omnes, quos ex carcere Inquisitionis dimittunt, juramenti religione adstringunt ad silentii fidem; ne ullo modo arcana Inquisitionis, tanquam Eleusinia quædam sacra, revelentur. Mihi constitutum est, quicquid Doctores Pontificii, quin & ipsi Inquisitores, ex legibus, Paparum Bullis, ac suis Instructionibus, de ratione procedendi operosè congesserunt, quam fidelissimè exhibere, & exemplis, quæ se mihi offerent, illustrare. Et ne hic quicquam prætermittam, rem ab ovo (ut ajunt) hoc est, à primo, quo Inquisitor munus suum auspicatur, momento exorsam, ad Actum usque Fidei, in quo omnes in captivos sententiæ pronuntiantur & executioni mandantur, pertexam.

Direct. Inquis. part. 3. n. 1. Inquisitor de novo à Papâ institutus debet se præsentare Regi vel Domino temporali illarum terrarum, in quibus à Sede Apostolicâ Inquisitor est deputatus, & exhibere commissionem Apostolicam. Mox petere ejus protectionem,
2. pro se, Socio suo, Notario, ac familiis & bonis eorumdem; ejusdemque mandata ad Officiales suos, ut Inquisitori pareant in capiendo hæreticos, credentes, receptatores, defensores, fautores, ac de hæresi diffamatos; ac in executione faciendâ contra prædictos faciant omnia & singula quæ ad eorum officium spectant, ad extirpandum hæreticam pravitatem, & extollendum Catholicam fidem, quando & quoties ab Inquisitore, vel ejus nomine fuerint requisiti.

4. Ubi literas ejusmodi obtinuit, Archiepiscopo & Metropolitano Provinciæ, ad quam deputatus est, similiter exhibeat commissionem Apostolicam; ut &
5. omnibus Episcopis eorumque Vicariis, ad quorum Diœceses est deputatus. Tum literas quas à Rege aut loci illius Domino temporali obtinuit, ostendere debet ejus Officialibus, ab eisque exigere, ut habet lex Frederici Imperatoris, ut ad insinuationem Inquisitoris, aut aliorum virorum Catholicorum, hæreticos capiant, & captos arctius custodiant, donec per censuram Ecclesiasticam con-
6. demnatos damnabili morte perimant. Tandem ab Officialibus juramentum exi-

git,

git, de defendendâ Ecclesiâ contra hæreticam pravitatem, ipsique Inquisitori
parendum pro viribus, quem in finem eos literis coram se citat. Si comparue- 8.
rint, formulam juramenti ipsis proponit. Si consenserint juramento, illud præ- 10.
stabunt in Ecclesiâ publicè vel in alio ad id designato loco, flexis genibus, &
manibus positis in libro Euangeliorum. Si Officiales deliberandi spatium pe- 12.
tierint, eoque elapso juramentum præstare recusaverint; Inquisitor elapsis pau-
cis aliquot diebus eos coram se citat, exigitque sub pœnâ excommunicationis,
ut juramentum præstent. Si intra terminum præfixum compareant, & in ju- 14.
ramentum consenserint, eadem juramenti formula ipsis offertur. Si non com-
paruerint, elapso dicto termino publicantur excommunicati, eaque excommu-
nicatio in Ecclesiâ cathedrali publicari mandatur. Denuntiatâ istâ excommuni- 16.
catione, si præstare voluerint juramentum, absolventur à sententiâ excommuni-
cationis, injunctâ ipsis durâ aliquâ pœnitentiâ arbitrariâ salutari, prout honori
fidei videbitur expedire. Absolutione factâ etiam publicè ab excommunicatione 20.
soluti denuntiantur. Non autem absolvuntur, nisi prius ad mandatum Inquisi-
toris præstiterint hoc juramentum: *Ego juro me pariturum mandatis Ecclesiæ.* Vel sic,
Ego juro quod stabo & obediam mandatis tuis.

Si verò per duos aut tres menses talem sententiam Excommunicationis susti- 22.
nuerint, aggravantur processus, & mandantur denuntiari publicè excommuni-
cati in Ecclesiis antedictis, accensis candelis & in terram projectis, vel in aquâ
exstinctis, & campanis pulsatis semel vel pluries in hebdomade, seu in die. Si 25.
nec hac excommunicatione territi juramentum præstare recusent, excommuni-
cantur non ipsi tantum, sed & omnes qui ullo modo cum ipsis communionem ha-
bent, qui cum ipsis edunt, bibunt, colloquuntur. Quod si nihilominus in 27.
contumaciâ perseverent, terræ eorum Ecclesiastico interdicto supponuntur. Si 33.
nec hac ratione præstent juramentum, ut infames, hæreticorum fautores, &
de fide suspecti honore & officio regiminis sui spoliantur, & condemnantur, ne
in posterum ad hoc aut aliud munus publicum aut dignitatem admittantur, &
quæcunque in posterum fecerint irrita sint, juxta cap. *Ad abolendam. § Statui-
mus.* Extra. de hæret. & cap. *Ut officium. § Statuimus.* lib. 6. Eaque sententia
mandatur regentibus curam animarum in cathedrali & in aliis Ecclesiis publica-
ri. Si civitas aut locus ille acquiescat illi sententiæ, talesque reverâ muneribus 36.
suis privatos habeat, alii eorum loco eliguntur, qui, antequam ad muneris sui
administrationem admittantur, juramentum quod alii recusarunt præstare tenen-
tur. Si verò non obtemperet civitas isti sententiæ, sed Officiales suos, licet ab
Inquisitore muneribus suis spoliatos, toleret, potest Inquisitor eam privare alia-
rum civitatum commercio, ac episcopali etiam dignitate: Verum præstare cre-
dunt, ejusmodi civitatis contumaciam Papæ exponere, ut ille disponat, quâ
ratione porrò contra eam procedendum sit.

Hodiè in Hispaniâ Inquisitores, quando ingrediuntur provinciam aut civi- Simanc.
tatem, quas nunquam ingressi fuerant, debent in primis literas delegationis, tit. 44.
quibus Inquisitores creati sunt, ostendere capitulo Ecclesiæ majoris, & consi- § 1.
storio civitatis, ut constet eos causarum hæresis judices esse. 1. *Instruct. Hispal.
cap.* 1. Et qui in illâ ita deliquerunt, per Inquisitores proscriberentur, & ma- Pegna
nu regiâ comprehenderentur & punirentur. in Direct.
p. 432.
Si verò Officiales denuntiatione graviore Inquisitoris territi, illi juramentum n. 16.
præstent, ab excommunicatione solvuntur, impositâ gravi aliquâ pœnitentiâ,
quæ semper augetur, pro ratione diuturnioris ac gravioris contumaciæ. In
primâ nempe pœnitentiâ injungitur eis, ut certis diebus dominicis vel festivis
stent, dum Missa major dicitur, & populi major fuerit multitudo, in portâ Ec-
clesiæ, vel in gradibus ante altare, capucio & sotularibus depositis, tenendo in
manu cereum certi ponderis, offerendum Sacerdoti Missâ terminatâ. Vel ut hoc
faciant omni vel certo tempore, quando contigerit Inquisitorem pro fide sermo-
nem facere generalem. Possunt etiam aliæ mitiores excogitari, veluti copiosa
 elee-

n. 24. eleëmosyna, pii loci ædificatio: & similes. Si verò diutius in contumaciâ suâ perstiterint, secundò illi pœnitentiæ aliquid additur, quod directè cedat ad honorem fidei Christianæ.

37. Interim dum hæc fiunt, sive juramentum præstetur, sive non, potest & debet Inquisitor in quolibet Episcopatu unum Commissarium instituere quadraginta annorum ætatis, Religiosum seu clericum sæcularem, virum providum & prudentem, scientiâ & moribus pollentem, & sanctæ fidei zelatorem, cum potestate denuntiationes & informationes seu accusationes à quibuscunque & contra quoscunque recipiendi, & procedendi, aliaque faciendi, quæ ipse Inquisitor, si præsens esset, facere posset.

CAPUT II.

De Promulgatione Edicti Fidei.

47. COmmissariis jam institutis, aut non institutis, Inquisitor indicit Sermonem Generalem; juxta præscriptum Concilii Biterrensis cap. 1. *Atque ibi convocatis clero & populo, & proposito verbo Dei, mandatum vobis factum, & adventus vestri causam, lectis literis quarum autoritate procedere habetis, sicut oportere noveritis, exponatis.* Ne autem ullum officiis Ecclesiæ impedimentum fiat, cavet ne eum indicat die festo solenni, sed die dominicâ communi, exceptâ Quadragesimæ, vel Adventus: literasque indictionis die Sabbathi ecclesiarum Rectoribus exhiberi curat, ut postero die, qui est dominicus, Sermonem Generalem indicant
50. in dominicam sequentem. Et ut illius diei solemnitas tantò major sit, omnes sermones illo die suspenduntur, idque omnibus præsidentibus in domibus Religiosorum indicatur, indulgentiæque quadraginta dierum ad sermonem illum venientibus promittuntur. Adveniente sabbatho, quod est pridie diei quo Sermo Generalis habebitur, Inquisitor Præsidentes in domibus Religiosorum monet, ut de quâlibet religione duo vel quatuor ad Sermonem veniant Generalem.

51. Die dominicâ constitutâ Inquisitor Sermonem Generalem facit ad populum, in quo loquitur de fide, eam commendat, & ad ejus defensionem & hæreticæ pravitatis exstirpationem populum hortatur. Tandem facto sermone monet populum, si sciverint aliquem quid dixisse aut fecisse contra fidem, aut aliquem tenere errorem, officii sui esse, id Inquisitori indicare. Et monitione hac factâ, per suum Notarium, vel alium clericum, ex ambone prælegi jubet literas
52. monitorias, quibus omnes, cujuscunque conditionis & status, tam clerici, quam
53. laici, jubentur, sub pœnâ excommunicationis, intra sex, aut duodecim proximè sequentes dies Inquisitori revelare, si quem noverint hæreticum, aut de hæresi suspectum. Literæ illæ monitoriæ sunt Edictum fidei, quod ex ambone prælegi solet. Illius exemplar, non tantum quod in Hispaniâ, sed etiam quod in Italiâ hodie promulgatur, è linguâ Italicâ in Latinam versum, hic adjiciam, ut omnibus, quæ de Inquisitione dicentur, quasi facem præbeat.

Edictum Generale Inquisitionis Cremonensis.

Carena part. 2, tit. 9. § 7. *Nos Petrus Camporeus divinâ misericordiâ presbyter Cardinalis tit. S. Thomæ in Parione, Episcopus Cremonensis, & Comes, &c. Et nos Vincentius Petrus Serravallensis, Ord. Prædic. S. Theologiæ Doctor, & Inquisitor Generalis Cremonæ, ejusque Diœceseos, à sanctâ Sede Apostolicâ contra hæreticam pravitatem specialiter delegatus:*

Desiderantes, sicuti Sanctum hoc Officium nobis impositum requirit, ut sacrosancta Fides Catholica, sine quâ nemo Deo placere potest, in hac nostrâ jurisdictione ab omni hæretico contagio illibata & pura conservetur, nos, autoritate Apostolicâ nobis concessâ, in virtute

sanctæ

sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, ultra alias pœnas, quas sacri Canones, Decreta, Constitutiones, & Bullæ summorum Pontificum imponunt, Mandamus omnibus & singulis nostræ jurisdictionis, qualiscunque conditionis, status, gradus vel dignitatis, tam ecclesiasticæ quam secularis, quantacunque fuerit, ut infra duodecim proximos dies, quorum primos quatuor assignamus pro primo, quatuor alios immediatè sequentes pro secundo, & ultimos quatuor pro tertio, ultimo & peremtorio termino, hujus urbis sancto Officio, sive Ordinario, revelent, & notificent juridicè, omnes & singulos quos norunt, sive quorum notitiam vel habuerunt, vel habituri sunt in posterum.

Si qui sint hæretici, aut suspecti, aut diffamati de hæresi, aut credentes, aut fautores, aut receptatores, aut defensores eorum, aut adhæserint, vel adhæreant adhuc ritibus Judæorum, aut Mahomethanorum, aut Sarracenorum, aut Gentilium, aut qui apostatarint à sanctâ fide Christianâ, aut qualicunque modo, expressè sive tacitè, invocaverint sive invocent diabolum, aut illi honorem præstiterint, vel præstent, aut partem habuerint, aut se ingesserint, sive ingerant qualicunque experimento magico, aut necromantiæ, incantationibus, aut aliis similibus superstitiosis actibus, & maximè cum abusu rei sacræ:

Si qui sacrilegâ audaciâ, non existentes Sacerdotes, usurpaverint, vel usurpent Missam celebrare, aut præsumserint, sive præsumant, administrare Sacramentum pœnitentiæ fidelibus Christi:

Si qui abusi sint, vel abutantur Sacramento pœnitentiæ contra decreta & Constitutiones Apostolicas:

Si qui celebraverint sive celebrent occulta conventicula in materiâ religionis.

Si qui contra Deum, aut ejus Sanctos, & speciatim contra beatissimam Virginem Mariam proferant blasphemias hæreticales.

Si qui impediverint, vel impediant, officium S. Inquisitionis, aut offenderint, vel offendant aliquem testem, vel denuntiatorem, vel ministrum illius:

Si qui retinuerint, vel retineant, libros, scripturas, continentes hæreses, aut libros hæreticorum qui tractant de religione, sine autoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, aut qui eos legerint, aut impresserint, aut imprimi fecerint, vel defenderint, aut legant, imprimant, faciant imprimi, aut defendant, sub qualicunque prætextu vel colore; aut libros de necromantiâ, magiâ, aut continentes incantationes sortilegas, & similes superstitiones, maximè cum abusu rerum sacrarum:

Declarantes, quod per dictam expressionem casuum à nobis specificatorum, quod revelari debeant, ut supra, non excludimus alios casus spectantes ad S. Officium, qui alias in sacris Canonibus, Decretis, Constitutionibus & Bullis summorum Pontificum sunt comprehensi.

Et quod à prædictâ excommunicatione & pœnis, quas inobedientes incurrunt, nemo possit absolvi, nisi à nobis, aut à supremo Tribunali S. Inquisitionis Romæ, neque absolvetur, nisi primum juridicè revelando dictos hæreticos, aut, ut supra, suspectos de hæresi, satisfecerit.

Et quoniam ab operâ Confessariorum in his particularibus multum dependet servitium Dei, & bonum privatum atque publicum, Mandamus omnibus reverendis Confessariis, ut in administratione Sacramenti pœnitentiæ, apud confitentes eâ utantur diligentiâ interrogandi, super omnibus prædictis capitibus, quam existimabunt respectivè necessariam personis, tam principaliter delinquentibus, quam participantibus & consciis quocunque modo in illis delictis. Et sub dictâ pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, & supra, iisdem Confessariis mandamus, ne absolvere præsumant illos, quos invenient delinquentes, aut participes aut conscios, ut supra, in supradictis capitibus, quoniam incurrerunt censuras à sanctâ Sede suis delegatis reservatas.

Monentes, quod istis nostris præceptis non satisfaciant, nec satisfacere intelligantur illi, qui scedulis, aut epistolis sine nomine vel cognomine autorum, vel alio modo incerto (qui in S. Officio in nullo pretio habentur) prætenderint revelare delinquentes, quod omni modò securi esse possint, quod non revelabuntur, juxta consuetudinem hujus S. Officii, neque sibi necessitatem imponunt probandi quæ denuntiaverunt.

Et ut præsens nostrum Edictum generale omnibus innotescat, neque quisquam ignorantiam prætendat, mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœnâ Excommunicationis, omnibus

bus reverendis Archi-presbyteris, Curatis, & Rectoribus Ecclesiarum nostræ jurisdictioni subjectarum, aut illorum Vicariis, ut in primo die festo, postquam illud acceperint, quocunque modo illud teneantur publicare & legere, aut facere legi, per extensum coram populo in tempore majoris concursus in dictis suis Ecclesiis, & publicatum affigi faciant portæ principali earumdem Ecclesiarum, vel in alio loco patenti, ubi ab omnibus videri & legi possit; id quod pariter injungimus omnibus Prioribus Monasteriorum.

Prætereà quoque sub iisdem pœnis volumus ut teneantur bis in anno ad minimum illud coram dicto populo suo relegere, id est, in aliquâ Dominicâ Quadragesimæ, & in aliquâ Adventus.

Et ut huic mandato nostro possint obedire, sicut oportet, ab ipsa sacra Congregatione habere debent transsumtum, semper affixum Sacristiis suarum Ecclesiarum.

Juxta desiderium quod habemus ut hæc nostra jurisdictio conservetur in illa puritate fidei, in qua nunc est, inhærentes supradicto Edicto, & aliis mandatis sacræ Congregationis, mandamus sub pœna Excommunicationis, & aliis arbitrariis:

Quod nullus tabellarius, nauta, mulio, vel alius, portare præsumat libros intra vel extra civitatem, & alia loca nobis subdita (etiam in transitu) si non habeant catalogum librorum subscriptum ab Inquisitore, aut alio ad quem spectat, illorum locorum è quibus veniunt, vel per quæ transierunt, sub pœna prætereà amissionis librorum, & aliis pro arbitrio nostro.

Sub iisdem pœnis, & amissionis librorum mandamus, ne ullus, quisquis ille sit, accipiat libros importatos vel introductos quocunque modo in hanc nostram jurisdictionem, neque aperiat cistas, balas, aut fasciculos, in quibus sunt libri, neque eos è douana auferant absque licentia nostra aut Vicariorum nostrorum, & nisi prius exhibuerint catalogum S. Officio, sive eidem indicaverint, si absque licentia appulerint.

Quod nullus mercator præsumat accipere libros, vel transmittere, sub prætextu mercium, vel absconditos in fasciculis, balis, aut cistis, absque debita licentia, sub pœna excommunicationis, amissionis librorum, & mercium quibus permixti fuerint. Et quod hic dicitur de importandis vel recipiendis libris, etiam intelligitur de quibusvis novellis, figuris, calendariis, & aliis similibus chartis.

Et omnia supradicta quoque mandamus Hebræis, sub pœna quinquaginta scutatorum, & amissionis librorum & mercium, ut supra, ut & aliis, pro nostro arbitrio respectivè.

Mandamus omnibus bibliopolis in hac nostra jurisdictione sub eadem pœna excommunicationis, & aliis pœnis pro arbitrio nostro, ne præsumant vendere libros emtos à Judæis, sive intra sive extra civitatem.

Typographi quoque sub iisdem pœnis, & aliis pro arbitrio nostro, non imprimant quicquam sine licentia nostra; exceptis edictis & aliis similibus fori Episcopalis & sæcularis, quæ non sunt in præjudicium S. Officii.

Datiarii, doanerii, & portinarii non permittant exportari vel importari quoscunque libros, sine catalogo subscripto, ut suprà. Et quando appellunt ad locum officii sui absque catalogo subscripto, retineant libros, & teneantur indicare nobis, vel Vicariis nostris. Et hoc mandamus sub pœna Excommunicationis, & aliis arbitrariis.

Et in horum fidem præsens hoc edictum scripsimus & propriâ nostrâ manu signavimus.

Datum in S. Officio Cremonæ die 26. Octob. CIↃIↃCXXXIX.

P. Cardinalis Camporeus Episcopus Cremonensis.
F. Vincentius Petrus Inquisitor Cremonensis.
Hieronymus Calcinonus Cancell.

For-

Forma Edicti Fidei in Hispaniâ usitati.

Nos Inquisitores hæreticæ pravitatis & apostasiæ, autoritate Apostolicâ quâ fungimur, nobis hac in parte specialiter delegatâ in N. vel. N. diœcesibus; &c. universis & singulis, tam Clericis quam laicis, tam Regularibus quam sæcularibus, cujuscumque status, conditionis, qualitatis, gradus, ordinis, religionis, dignitatis, aut præëminentiæ existant, exemptis aut non exemptis, singulis & quibusvis vestrum, ad quorum notitiam quomodolibet hoc nostro generali Edicto contentum pervenerit, salutem in Domino nostro Jesu Christo, qui est vera salus, & nostris mandatis, quæ verius dicta Apostolica sunt, firmam obedientiam, summissionem, & observantiam. Notum facimus, quod Licentiatus, vel Doctor N. Promotor, & Advocatus Fiscalis hujus sancti Officii, coram nobis comparuit, & exposuit, jam pridem nobis exploratum esse, atque constare multis in locis hujus districtus & territorii, non fuisse celebratam visitationem neque Inquisitionem generalem; quamobrem ad nostram cognitionem & notitiam minimè pervenisse multa delicta commissa & perpetrata contra nostram sacrosanctam fidem Catholicam, quæ puniri ac castigari æquum ac valdè consentaneum erat: eò quòd inde grandis contra Deum offensa, graveque damnum ac præjudicium contra religionem Christianam consequebatur. Quibus de causis jussimus atque statuimus, prædictam Inquisitionem, & visitationem generalem fieri & executioni demandari, eòque fecimus, & promulgari legique curavimus edicta publica, castigari designantes omnes qui sceleribus illis & criminibus obnoxii deprehendentur; ut inde magis in dies efflorescat, & in altum feratur Catholica nostra fides, in sui majus incrementum. Annuentes igitur illius æquissimæ petitioni, instantique postulationi, ut par est, audientes, ac summo remedio cupientes in illis uti, quæ ad Dei & Domini nostri honorem spectant, jussimus atque mandavimus præsens mandatum ac publicum & generale Edictum dari, & promulgari apud eos omnes, singulos, & unumquemque vestrum, eâdem jam dictâ causâ & ratione, ut si dignoveritis, intellexeritis, videritis, aut præviâ cognitione sciveritis, aliquem vel aliquam personam, vivam, vel præsentem vel absentem, aut jam defunctam finxisse, promulgasse, dixisse aut ore protulisse aliquam, vel aliquas opiniones, aut verba hæretica, suspecta, erronea, temeraria, male sonantia, scandalum redolentia, aut aliquam hæreticam blasphemiam contra Deum, & ejus sanctam Fidem Catholicam, & contra id quod amplectitur, docet, prædicat & tenet nostra sancta mater Ecclesia Romana, nobis declaretis, dicatis & manifestetis. Param. lib. 3. qu. 5. §43.

Ac primum, si scitis aut auditu accepistis, quod aliqui, vel aliquæ personæ custodierint, ac observaverint aliquod Sabbatum, juxta ritus, cæremonias, ac observantiam legis Moysi, & eisdem diebus mundam & recentem subuculam induerint, & alias vestes, & vestimenta meliora, honestiora, & festiva: & mensæ mappas mundas apposuerint, & lectis linteamina munda ob honorem dicti Sabbati, aut ignem nec conflaverint, nec accenderint, & ab omni alio opere iisdem Sabbatis abstinuerint, eaque celebrare inceperint à vespere diei Veneris, aut carnes purgaverint, aut sevum ab iis quas erant comesturi extraxerint, sive avulserint, eam aquâ immergentes ad sanguinem sugendum & exprimendum, vel ab ovis, aut arietis alteriusve cujuslibet animalis crure vel femore nervum seu glandulam absciderint, aut animalia mactaverint ea transfodiendo, & quasi aliquo murmure proferendo certa ac determinata verba, experiendo primum cultellum in ungue an sit acutus, vel curtatus, vel hebes, sanguine deinde humum operiendo, aut carnes comederint in Quadragesimâ aliisque diebus à sancta Matre Ecclesiâ prohibitis, nullâ urgente nec exigente necessitate, pro certo habentes & credentes posse illis licitè vesci, & absque peccato; aut jejunaverint jejunium majus, & solenne, quod dicunt remissionis & indulgentiæ, incedentes eodem die excalceati & nudis pedibus, aut oraverint Judæorum ritu, & nocte petierint veniam unus ab alio, vel patres filiorum capitibus manus imposuerint, nullis prolatis verbis, nec benedictione aliquâ impertitâ, aut dicentes: A Deo & nobis sitis benedicti, uti disponit lex Moysis, & ex ejus traditione.

Aut celebraverint jejunium Reginæ Esther : aut jejunium quod vocant vulgò (Ramadan) *amissionis , & perditionis terræ & domus sanctæ , aut alia Judæorum jejunia , intra hebdomadam , veluti die Lunæ aut Jovis à cibo abstinere donec vespere stellæ illuceant , & illis noctibus abstinendo à carnibus , & die proximè præcedenti mundantes se ipsos ad dicta jejunia celebranda , abscindentes ungues & capillorum extremitates , ea omnia asservantes , vel comburentes , recitantes Judaicas orationes , attollentes , & demittentes caput , verso vultu ad parietem , & ante omnia laverint manus aquâ aut terrâ , induentes se vestibus sacci staminei , textis , vel lineis certis , quæ de quibusdam funiculis vel ligulis corio confectis , & in certos nodos colligatis , ad cinguli caput dependeant.*

Aut celebraverint Pascha panis azymi , incipientes cibum ejusmodi à lactucis , apio , vel aliis herbis viridibus , & oleribus , aut observaverint Pascha scenopegiωm , id est , tabernaculorum , apponentes virides ramos aut tapetes aulicos , comedentes , & recipientes compotationes suas sive collationes , ad quas ipsi se invicem vocaverint : aut Pascha candelarum , incendentes candelas gradatim & sigillatim donec ad decimam usque perveniatur , ac posteà eas extinguentes , & recitantes orationes Judaicas talibus diebus. Aut si benedixerint mensæ more Judæorum , bibentes vinum domi confectum , & celebraverint , ut ipsi vocant (Baraka) *accipientes poculum , vel vas vini manu alterâ , & proferentes super illud quædam verba , unde singulis accumbentibus vini haustum porrigant. Aut si comederint carnem manibus Judæorum mortuam & occisam , aut eorum mensæ assederint , aut eorum cibos gustaverint ; aut recitaverint Psalmos Davidicos sine (Gloria Patri ,) aut si exspectaverint Messiam in lege promissum , aut dixerint Messiam in lege promissum nondum venisse , sed venturum , seque eum adhuc expectare ut eos à servitute eximat , in quâ se dicunt constitutos , eosque ducat in terram Promissionis : aut si quæpiam mulier post partum quadraginta diebus ingressum templi distulerit , ritu legis Moysaicæ , ejusque cæremoniâ purificetur. Aut si infantes circumciderint de novo natos , & eis nomina Judaica imposuerint , sic eos nuncupantes. Aut si raserint , vel radi fecerint chrisma , aut partes recenter baptizatorum , in quibus oleo & chrismate inuncti fuerunt , aut septimâ nocte à nativitate infantis apposuerint pelvim plenam aquâ , immittentes in eam aurum , argentum , gemmas , triticum , hordeum , & similia , ut prædictâ aquâ lavent natum infantum certa verba dicendo , aut filios satis commendaverint , aut veneficis & magicis. Aut si aliqui matrimonium more Judaico contraxerint : aut si celebraverint* (Ruaia) *quando se itineri committunt. Aut si gestaverint nomina Judaica : aut si quo tempore pinsunt fermentum , à fermentato illud extraxerint , & igni in modum & normam sacrificii tradiderint. Aut cum quispiam moribundus ad exhalandum spiritum ad parietem vertatur , & mortuum tepidâ aquâ laverint , radendo pilos sub alas , & reliquas corporis partes pilosas , & involvendo cadaver linteis novis femoralibus , & subuculâ plicatâ chlamyde desuper injectâ , sternentes sub caput pulvinar , & terram novam , aut virginem , aut ori monetam , margaritam , vel aliud quidpiam admovendo. Aut abluerint aquâ ædes defuncti , ex amphoris & doliis domus , & alias ædes vicinorum cæremoniâ Judaicâ , humi comedendo retro fores piscem & olivas , non carnes , ob luctum defuncti , non egrediendo limina domus per annum integrum , ex observatione dictæ legis : aut si eos inhumaverint terrâ novâ & virgine , aut in cœmeterio Judæorum : aut si aliqui redierint & conversi fuerint ad Judaismum. Aut si aliquis dixerit legem Moysis æquè esse sanctam ac illam quæ à D. N. Redemptore Jesu Christo est instituta.*

Aut si scitis , vel auditu accepistis , aliquos , vel aliquas , dixisse , & affirmasse sectam Mahumeti esse bonam , & nullam aliam esse quâ possit quis in cælum introire , ac in paradisum ascendere : & Jesum Christum non esse Deum , sed prophetam , neque natum ex Mariâ Virgine D. nostrâ , Virgine ante partum , in partu , & post partum , aut fecisse aliquos ritus & cæremonias sectæ Mahumetanæ cum intentione eam observandi & custodiendi ; verbi gratiâ : si diebus Veneris , tanquam festis feriatis , carnes comederint , aut aliis diebus prohibitis à S. matre Ecclesiâ , asserentes non esse peccatum , induentes se dictis diebus Veneris subuculis recentibus , & mundis , & aliis vestibus & indumentis festorum ; aut occiderint aves , aut pecora decollaverint , aut aliud quidpiam cultello transfodiendo , epiglotti-

glottide capiti relicta verso vultu ad Alquibla, id est, versus Orientem, dicendo: (Vizmila) vinciendo pedes pecorum, aut abstineant à comestione avium non decollatarum manibus mulierum, nec velint ipsæ mulieres eas decollare, eò quod ipsis sit prohibitum in Mahumeti secta: aut si filios circumciderint, imponendo eis nomina ejusdem sectæ, & Maurorum ac Saracenorum nominibus eos appellaverint, quod sic eos nuncupantes, aut quod Agarenorum nominibus se vocari fecerint, vel cum iis nominibus compellentur lætitiæ signum ediderint; aut dixerint non esse alios cælites præter Deum, & Mahumetum suum nuncium & legatum: aut juraverint per (Alquibla) aut (Alayminzula) quasi dicant, per omnia juramenta; aut celebraverint jejunium Ramadam, ejus observando Pascha, & eodem die eleëmosynam largiendo pauperibus, & abstinendo ab omni cibo & potu à manè usque ad vesperam orta jam stella, ac tunc carnibus aut aliis cibis indulgentes, aut celebraverint (Zohor) surgentes ante auroram, & antequam illucescat cibo se ingurgitantes, & deinde os colluentes, & ad lectum redeuntes: aut celebraverint (Guadoc) lavando brachia à junctura manuum ad cubitum, usque genas, os, nares, aures, tibias, & pudenda; aut his completis celebraverint (Zala) vertentes faciem versus (Alquibla) constituti super stratum Spartanum, aut tapetem, erigendo, & submittendo cervicem, pronuntiando certa ac determinata verba Arabica, & recitando orationem, quam vocant (Allanda lu ley, & colhua, & guohat) & similes orationes Arabicas, nec carnibus porcinis vescantur, nec vinum bibant ob regulam & observantiam sectæ Saracenorum: aut celebraverint Pascha agni, vel arietis, eumque occiderint, facientes & celebrantes prius (Guadoc) aut si aliqui matrimonium contraxerint ritu Mahumetico, & cantaverint cantus Arabicos Maurorum, aut celebraverint (Zambras) aut Leleylas musicis instrumentis prohibitis & vetitis, observando quinque præcepta & mandata Mahumeti.

Aut si quis appenderit sibi aut filiis, aut aliis personis (Liancas) id est, alteram manum in memoriam quinque præceptorum, aut laverint defunctos, sepelierint cadaver involutum linteo novo, ipsum inhumando terrâ novâ purâ vel virginea, in sepulchris concavis componendo ea in latus, apponendo lapidem capiti, imponentes sepulchris ramos virides, mel, lac, aliosque cibos, aut inclamaverint, & invocaverint Mahumetum in omnibus suis eventibus & actionibus, dicendo, esse prophetam, nuntium Dei, & primum Dei templum fuisse in Mecca, ubi credunt sepultum esse Mahumetum: aut dixerint, quod non receperunt baptismum cum intentione & fide S. Matris Ecclesiæ Catholicæ. Aut dixerint patres suos, qui in Mahumeti vel Judæorum sectâ, vitam finierunt, Saracenum & Judæum utrumque suæ sectæ tenacem, salvari. Aut si aliquis ad Turcas vel infideles transfugerit, fidemque Catholicam denegaverit, & ab ea retrocesserit, aut ad alias partes & loca extra hæc regna ad profitendam sectam Judaicam aut Mahumeticam, aut quod fecerint, tenuerint, vel dixerint alios ritus vel cæremonias Saracenorum.

Aut si scitis, vel auditu accepistis, aliquos, vel aliquas, dixiße, tenuisse, aut credidisse, falsam ac damnatam sectam Martini Lutheri ejusque sequacium, esse veram, sanctam, & approbatam. Aut crediderint, vel approbaverint reliquas ejus opiniones, asserendo non eße necessario faciendam confessionem Sacerdoti, sufficereque soli Deo confiteri, nec Pontificem summum aut Sacerdotes habere potestatem absolvendi peccata, & in hostia non contineri verè corpus Domini nostri Jesu Christi, nec esse invocandos sanctos, tollendas esse imagines è templis, non esse purgatorium, non orandum pro mortuis, non esse necessaria bona opera, solam fidem cum baptismo sufficere ad salutem, & quemcunque posse confessionem alterius audire, & communionem porrigere sub utraque specie panis & vini, & Papam non habere potestatem conferendi indulgentias, gratias, indulta, & bullas: clericos, religiosos, ac monachos & moniales posse matrimonia contrahere: aut dixerint religiosos, mo-

monachos ac monasteria, & religionis ceremonias tolli debere : aut dixerint Deum non instituisse religiones: & statum connubialem esse perfectiorem statu religioso clericali, aut monachali; & nullos esse dies festos præter Dominicos, nec esse crimen vesci carnibus diebus Veneris, vigiliis, & Quadragesimali tempore, quia esus carnium non sit interdictus, & restrictus ad certos dies : aut crediderint aliquam, vel aliquas opiniones Martini Lutheri aut ejus sectatorum, aut transfugerint ad alias provincias ad profitendum Lutheranismum. Aut si sciatis, vel auditu accepistis, aliquem, aut aliquas, personas vivas, aut defunctas, dixisse, aut affirmasse probatam esse sectam Illuminatorum, aut Relictorum: specialiter orationem mentalem esse præcepti divini, & ea adimpleri omnia alia, & orationem esse Sacramentum sub accidentibus, & orationem mentalem ingentis esse ponderis & valoris, & orationem vocalem exigui momenti; servos Dei non esse distrahendos exercitiis corporalibus, nec esse obediendum Prælato, Patri aut superiori, si quæ imperent, quæ à contemplatione & oratione mentali avocent : aut verbis detraxerint Sacramento matrimonii, nec quemquam virtutis secretum adipisci, nisi fuerit discipulus magistrorum docentium prædictam perversam doctrinam: & neminem salutem consequi posse, qui ab ejusmodi magistris non fuerit edoctus, & generaliter eis confessus: & secretos ac intimos quosdam ardores, tremores, syncopas, spasmos, & animi deliquia, quæ patiuntur, indicia esse amoris vehementis erga Deum, & inde conspici certò eos esse in gratia, & habere in se Spiritum Sanctum, & sic eos perfectos aliis adminiculis non indigere, nec debere adstringi ad actus studiosos; & quando pertingunt ad præfixum quendam terminum perfectionis, essentiam divinam & mysteria Trinitatis posse in hac vita conspici, & de facto videri, & Spiritum Sanctum immediatè regere eos, qui sic vivunt, & ad quidpiam agendum vel non agendum solum esse sequendum interiorem motum & inspirationem Spiritus Sancti: dum sacrosancta hostia in Missæ sacrificio conspicienda proponitur, ritu & ceremonia necessaria in ejus elevatione oculos esse claudendos: aut quod aliquæ personæ dixerint & firmaverint, ubi ad certum & diffinitum perfectionis punctum perventum est, crimen committere si quis Sanctorum imagines intueatur, concionibus intersit, & piis colloquiis aliisque exercitiis ejusdem secta & absurdæ doctrinæ.

Aut si scitis, vel auditu accepistis, alias hæreses, speciatim has: Non esse Paradisum, nec cœlestem gloriam pro bonis, nec infernum pro malis: sed animam cum corpore simul interire, aut alias blasphemias hæreticas; ut sunt, non credo, discredo, diffido, abnego Deum Dominum nostrum, virginalem puritatem Virginis Mariæ Dominæ nostræ, Sanctos & Sanctas cœlestes. Aut habeant, aut habuerint, dæmones familiares, eos invocando, & circulos fecerint eos interrogando de aliquibus rebus, & responsum eorum exspectando: aut sortilegi, sortilegæve fuerint: aut pactum tacitum, vel expressum, cum dæmone inierint, miscendo in ejus confirmationem sacra prophanis, tribuendo creaturæ quod solius creatoris est peculiare: aut quod aliquis cum esset Clericus, aut in sacris constitutus, aut Religiosus professus nuptias contraxerit: aut quod quis cum non esset sacerdotali charactere insignitus, Missam dixerit, aut celebraverit, aut aliquod Sacramentum nostræ sanctæ matris Ecclesiæ administraverit : aut quod aliquis Confessarius, vel aliqui Confessarii Sacerdotes, vel Religiosi, vel sæculares, cujuscumque status, aut dignitatis fuerint, in ipso Confessionis actu, aut proximè circa eam, filias pœnitentiæ pellexerint, provocando vel inducendo eas factis aut verbis ad actus turpes, carnales, & impudicos : aut si alia quævis persona secundas, vel plures nuptias contraxerit, viventibus priore vel marito vel uxore: aut quod aliquis dixerit aut asseruerit, simplicem fornicationem, usuram, aut lucrum excessivum, aut perjurium non esse peccata mortalia; aut melius esse vivere in concubinatu, quam in legitimò conjugio: aut imagines Sanctorum & cruces probris & vituperiis affecerint: aut quod aliquis, vel aliqua, fidei Catholicæ articulos non crediderit, aut aliquem illorum in dubium revocaverit, aut per annum integrum aut diutius in excommunicatione insorduerit, & perstiterit, aut censuras Sanctæ Matris Ecclesiæ parvi penderit, dicendo aut faciendo aliquid contra illas.

Aut si scitis, vel auditu accepistis, aliquem, aut aliquos, vel aliquas, sub prætextu scientiæ Astrologiæ, & conspectus vel aspectus stellarum, aut per lineamenta aut indicia manuum, aut alia ejusmodi, de scientiâ aut facultate vel aliâ viâ respondere & annuncia-

re

re futura pendentia à libertate & libero arbitrio hominis, aut casus fortuitos qui eventuri sunt, aut præteritas jam res occultas & liberas, dicendo & affirmando esse artem aliquam, scientiam, aut certos canones ad ejusmodi res cognoscendas: ut super hujusmodi rebus prædictos divinatores quærant & consulant, cum alias falsa, vana, & superstitiosa sit ejusmodi scientia, & vergat in grave damnum & præjudicium religionis & fidei Christianæ.

Item si scitis, vel auditu accepistis, aliquos, vel aliquas, habuisse aut habere libros sectæ & opinionis Martini Lutheri, aut aliorum hæreticorum, aut Alcoranum Mahumeti, aliosque libros ejusdem sectæ; aut Biblia Hispano idiomate: aut alios quosvis libros vel codices reprobatos & prohibitos per censuras catalogos & edicta sancti Officii Inquisitionis: aut aliquos vel aliquas qui non id adimpleverint ad quod ipsi tenentur: quive omiserint detegere, aperire, & dicere quæ super his sciunt, aut quod dixerint vel persuaserint aliis personis ne talia denuntiarent, & ad Inquisitores deferrent, aut quod subornaverint vel corruperint testes ad ferendum testimonium in eos qui in foro S. Officii deposuerant: aut quod aliqui vel aliquæ deposuerint, & dixerint falsum contra alios, vel alias ad damnum & infamiam earum: aut quod foverint, receptaverint, celaverint, & occultaverint hæreticos, favorem & auxilium præstando ad occultandum & servandum eorum personas, & bona. Aut quod fuerint impedimento per se, aut per alias interpositas personas, liberæ & rectæ S. Officii Inquisitionis administrationi, suorumque ministrationum, & officialium, ac commensali m :aut quod detraxerint, vel avelli fecerint habitellos, sive Sanbenitos à locis illis in quibus à S. Officio erant positi, aut alios apposuerint: aut quod ii qui reconciliati fuerunt, & pœnitentiæ addicti a S. Inquisitionis Officio, non compleverint incarcerationis definita tempora, aut sibi injunctas pœnitentias, aut si habitum reconciliationis publicè ferre renuerint: aut quod aliqui reconciliati aut publicè vel occultè S. Officio pœnitentiæ jugo infixi dixerint aut affirmaverint, falsum esse quod ipsi confessi sunt coram S. Officio, tam de se ipsis quam de aliis: ipsos id fecisse & dixisse ob incussum timorem, vel alio quovis respectu: aut revelaverint secretum eis à S. Officio mandatum & commendatum: aut quod aliqui dixerint relaxatos à S. Inquisitionis Officio damnatos esse absque præviâ culpa, aut passos esse tanquam martyres: aut quod aliqui vel aliquæ reconciliati, vel reconciliatæ, vel filii vel nepotes damnatorum propter hæresis crimen, administraverint, & administrent officia publica & honorifica, quæ jure divino sunt ipsis prohibita, & legibus & pragmaticis horum regnorum, & institutionibus sancti Officii: aut quod ad Sacros Ordines promoti fuerint: aut quod habeant aliquam Ecclesiasticam præbendam vel dignitatem, aut sæcularem, aut ejus dignitatis insignia, aut res prohibitas gestaverint, ut sunt arma, sericum, aurum, argentum, hæmatiten, gemmas, corallia, pannum exquisitum, aut equum conscenderint, eòque equestres incesserint: aut quod penes notarium, vel scribam, aut quemvis alium, sint processus aliqui, actus, denunciationes, informationes, aut probationes, concernentes delicta hoc edicto contenta.

Tenore igitur præsentium monemus, hortamur, requirimus, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, trinâ canonicâ monitione præmissâ, mandamus omnibus vobis & singulis, quod si sciveritis, feceritis, videritis, aut audiveritis aliquem, vel aliquam, personam, vel personas, perpetrasse, dixisse, tenuisse, aut affirmasse aliqua ex supradictis & declaratis, aut alia (quæcunque illa sunt) contra nostram fidem Catholicam, & contra illud quod tenet, docet & prædicat nostra sancta mater Ecclesia Catholica Romana, tam de vivis præsentibus, aut absentibus, quam defunctis, nullâ factâ alicui personæ communicatione (quoniam sic expedit & decet) veniatis & compareatis personaliter coram nobis ad declarandum, & manifestandum, infra sex dies immediatè sequentes à die promulgationis hujus nostri edicti, etiamsi illius partem aliquam & notitiam quomodolibet habueritis: præviâ tamen monitione, quam vobis facimus, quod lapso dicto termino, nec supradictis parendo, præterquam quod dictas censuras & pœnas incurratis, procedemus contra eos, qui contumaces & inobedientes & rebelles fuerint reperti, tanquam in personas quæ dolo subticent aut occultant hujusmodi res, & quæ malè de rebus sanctæ fidei Catholicæ, & Ecclesiasticis censuris sentiunt. Et quia absolutio criminis & delicti hæreseos nobis est

ſpecialiter reſervata, inhibemus & prohibemus ſub pœnâ prædictâ omnibus & quibuſcumque confeſſariis, clericis vel religioſis, ne abſolvant aliquem, vel aliquam, hoc crimine irretitum, vel irretitam, aut culpatam: aut qui, vel quæ, non dixerit aut manifeſtaverit ſancto Officio quidquid de his reſciverit, aut alios dicere audierit: imò ad nos non remiſerit, ut veritate cognita, & comperta, mali puniantur, & boni ac fideles Chriſtiani cognoſcantur & honore afficiantur, & ſancta fides noſtra Catholica felici propagatione dilatetur. Et ut ſupradicta omnia ad omnium notitiam veniant, & nullus eorum ignorantia ſibi prætexere excuſationem poſſit, ea mandamus hodiè promulgari.

Pegna 3. part. comm. 12. Simanc. tit. 44. §2. In multis locis, præſertim autem in Hiſpaniâ, ſolet prætereà obſervari, ut finito ſermone de fide Catholicâ, omnes ſimul coram cruce ac libro Euangeliorum jurejurando promittant, ſe præſtituros favorem, auxilium & conſilium ſanctæ Inquiſitioni, ejuſque miniſtris, & quod nullo modo, directè vel indirectè, eos impedient. Quod juramentum in ſpecie præſtare debent civitatis Magiſtratus; eſtque id in actis ſcribendum à tabellionibus Inquiſitorum. 1. *Inſtruct. Hiſpal. cap.* 1, 2. Ad quod præſtandum eos etiam compellere poteſt Inquiſitor, & compellet, ſi viderit expedire; alias, ne quid novi & inuſitati moliatur, quod vel minimum obeſſe poſſit in hac cauſâ, in omnibus receptam ejus civitatis conſuetudinem ſequetur.

Forma juramenti, quod præſtare tenentur, hæc eſt. *Nos Prorex, aut Prætor, &c. talis provinciæ vel civitatis, ſive loci, & tales Conſules, vel jurati civitatis talis &c. Ad requiſitionem & monitionem reverendi D. Inquiſitoris Doctoris, vel Licentiati N. tanquam veri fideles & obedientes Sanctæ Eccleſiæ Dei, promittimus & juramus per hæc ſancta quatuor Euangelia coram nobis poſita, & per nos corporaliter facta, quod fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tenebimus, & teneri faciemus, ſervabimus, & ſervari faciemus, & ipſam contra omnes pro viribus defendemus: ita quod hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, ac defenſores eorum, nec non diffamatos vel ſuſpectos de hæreſi, proſequemur, & capiemus, ſeu capi faciemus quandocunque poterimus; & accuſabimus, & denuntiabimus Eccleſiæ, vel Inquiſitoribus, ſi alicubi ſciverimus eos eſſe, vel aliquem de prædictis, præſertim cum fuerimus requiſiti. Item, quod non committemus ballivias, ſaionias, vel aliqua officia publica, quibuſvis nominibus cenſeantur, alicui de hujuſmodi perſonis peſtiferis, vel ſuſpectis ac diffamatis de hæreſi; nec alicui, cui impoſitum fuerit ratione criminis hæreſis, vel alias prohibitum ab Inquiſitoribus, vel à jure, quod publicis officiis non fungatur: nec eos uti prædictis, nec tenere publica officia permittemus. Item, quod nullum de prædictis recipiemus, nec habebimus in noſtrâ familiâ, vel conſortio, vel ſervitio, nec in noſtro conſilio ſcienter: & ſi forte contrarium factum fuerit ignoranter, illos, poſtquam ad notitiam noſtram per Eccleſiam, vel Inquiſitores hæreticæ pravitatis, vel eorum Commiſſarios pervenerit, protinus expellemus: Et quod in his, & in aliis, quæ ad Officium Inquiſitionis hæreticæ pravitatis pertinent, erimus obedientes Deo, & Romanæ Eccleſiæ, & Inquiſitoribus ejuſdem hæreticæ pravitatis, juxta officium & poſſe noſtrum. Sic nos Deus adjuvet, & hæc, ſuper quibus juramus, ſancta Dei Euangelia manibus propriis per nos tacta.*

Hæc juramenti forma olim deducta fuit ex Conſtitutione Frederici II. Imperatoris Patavii promulgatâ die XXII. menſis Februarii, Indictione XII. anno Chriſti CIƆCCXXXIX. eique annexa, cum aliis quatuor Conſtitutionibus ejuſdem diëi, quarum libro primo mentio facta eſt, illæque poſtea variorum Paparum reſcriptis inſertæ ſunt.

Direct. part. 3. n. 54. 55. Lectâ excommunicationis ſententiâ, Inquiſitor eam diſtinctius explicat, & ad certa revocat capita. Deinde Indulgentiam quadraginta dierum omnibus ad ſermonem ſuum venientibus promulgat; promittitque nomine Papæ trium annorum indulgentias omnibus, qui ipſi in officio ſuo ad reducendum hæreticos præſtiterint conſilium, vel favorem: Addit & tres alios indulgentiarum annos revelantibus ipſi aliquem hæreticum, vel diffamatum de hæreſi, aut ſuſpectum,

seu alias in causâ fidei coram ipso perhibentibus testimonium verum: juxta privilegium Urbani IV.

Tandem tempus gratiæ assignat omnibus hæreticis eorumque fautoribus ac de hæresi suspectis, integrum videlicet mensem sequentem; promittitque, si intra id liberè, seu non admoniti nominatim ad ipsum accedant, nec exspectent donec denuntientur, accusentur, aut capiantur, reatumque suum sponte revelent, veniam petant, quod magnam veniam & misericordiam sint consecuturi; immunitatem videlicet mortis, immurationis, exilii, & confiscationis bonorum. Prout dictat Concilium Biterrense, cap. 2. *Ac deinde mandetis, ut omnes, qui se vel alios sciverint in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareant coram vobis veritatem dicturi: assignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare soletis; quibus tamen alias hujusmodi gratia non est facta: infra quem terminum venientes, pænitentes, & dicentes plenam de se ac de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, immurationis, exilii, & confiscationis bonorum.* Hæc autem veniam concedendi potestas Inquisitoribus solummodò competit, cum mittuntur ad civitatem seu Diœcesin, in quâ de novo Inquisitio instituitur, ut habet *Instructio Hispalensis anni* 1484. *capp.* 1, 2, 3. Non verò, quando Inquisitore vitâ functo, vel amoto, alius in illius locum succedit. In Hispaniâ etiam ejus gratiæ literæ patentes inseri debent Edicto. 56. Pegna Comm. 12.

CAPUT III.

De Obligatione ad denunciandum Inquisitoribus quemcunque hæreticum.

Edicti Fidei publicatiò quotannis iterari solet, illiusque publicationi & sermoni generali de fide omnes sub excommunicationis pœnâ interesse tenentur, nisi vel morbo, vel ætate, vel aliquo alio impedimento detineantur, & legitimam excusationem prætexere possint.

Juramento, ad cujus præstationem omnes, non tantum privati, sed & Magistratus, ab Inquisitoribus constringuntur, sese obligant, quod non tantum directè, sed nec indirectè officium Inquisitionis impedient. Indirectè autem impedire creduntur, quicunque veritatem sibi cognitam non revelant; hoc est, non deferunt ad Inquisitorem, si quem noverint hæreticum, aut de hæresi suspectum. Adeo ut duplici ratione in Hispaniâ ad denuntiandum Inquisitori quemcunque hæreticum sint obligati: primò, pœnâ excommunicationis, quam incurrent si officio suo desint: deinde, proprio juramento.

Ut itaque omnes ad denuntiandum excitent, hanc denuntiandi obligationem verbis quantum possunt exaggerare solent Doctores Pontificii. Camillus Campegius, postquam adductis variorum Doctorum testimoniis docuit, unumquemque ad accusandum & testandum teneri, & Cajetani quidem, quod de necessitate salutis ad accusandum quis tenetur, si aliter quam per accusationis viam multitudinis periculo obviare non potest, tandem concludit his verbis. *Hæc unumquemque fidelem & Catholicum adeo exstimulare deberent, ut absque judicis monitione, citatione, aut pœnâ, pro communi Christianæ religionis bono ad accusandum seu denunciandum & testificandum omnes accurrerent. Quod etsi in causis omnibus servari deberet, in hoc tamen fidei Catholicæ negotio ardentius id peragendum esset, ubi non modò atrocissimas pœnas parendo effugimus, sed incomparabilia præmia Dei Max. liberalitate & sanctæ ejus Ecclesiæ benignitate consequimur.* Campeg. in Zanch. c. 13. d.

Neque hic ulla habetur ratio consanguinitatis, adeò ut frater fratrem, quin & uxor maritum, & maritus uxorem, hæreseos ream, aut suspectam, deferre sub eâdem pœnâ teneatur. Putat tamen Pegna uxorem excusandam, si non denunciat maritum suum, qui comedit carnes in diebus prohibitis, si ejus maritus sit terribilis, & ab ipso malè mulctari metuat: extra autem hujusmodi metum omninò maritum ab uxore denuntiandum censet. Direct. part. 2. comm. 78.

Simancas de Cathol. Inst. tit. 29. § 35. & seqq.

Disquiritur autem inter Doctores Pontificios, an filius patrem occultum hæreticum accusare, aut saltem judicibus indicare teneatur: Et multorum quidem sententia est, filium ad id obligatum esse. Alii autem diversum sentiunt, quia nulla lex exstat, naturalis, divina, vel humana, quæ tam grave onus humeris filiorum imponat. Hi tamen, qui filium ad id non teneri docent, fatentur tamen filium id posse facere, præsertim si pater insanabilis esse videatur: Quin imò laudandum esse ajunt filium, qui ardore divinæ religionis naturalem amorem vicerit, & affectum hunc vehementissimum superaverit. Prius tamen omnia tentare debet, quam patrem ad judices deferat. Imo duas esse species docent, quibus filius patrem hæreticum judicibus prodere debet. Prior est, cum filius ab Inquisitoribus Apostolicis justè interrogatur: posterior, cum patris hæresis perniciosa Reipublicæ est.

In Eymer. part. 2. Comm. 15.

Pegna verò ait filium debere patrem, quem hæreticum esse novit, Inquisitoribus accusare & denuntiare. In præmium autem delationis filius patrem deferens liberatur à pœnis in hæreticorum filios statutis: juxta legem Friderici Imperatoris: *Nec quidem à misericordiæ finibus duximus excludendum, ut si qui paternæ hæresis non sequaces latentem patrum perfidiam revelaverint, quâcunque reatus illorum animadversione puniantur, prædictæ punitioni non subjaceat innocentia filiorum.* Addit Carena, non tantum patrem hæreticum, sed & de hæresi solummodò suspectum, à filio esse Inquisitoribus denuntiandum, quia eadem ratio militat de hæreticis, ac de suspectis de hæresi.

J. Royas part. 2. Assert. 3.

Hæreticus etiam emendatus, judice Joanne Royas, coram Inquisitoribus fidei necessariò est denuntiandus: quia sæpe se correctos & emendatos simulant, & interim Catholicos incautos doctrinâ suâ inficiunt: Et quamvis hujusmodi hæretici essent correcti, nihilominus nimis utile & necessarium esse judicat eos denuntiari, ut Inquisitores fidei eos interrogent, quos magistros illorum errorum habuerint, vel quos discipulos ante suam conversionem docuerint, vel si aliqui amici vel familiares suâ perversâ doctrinâ fuerunt corrupti. Dicitque hoc satis colligi ex Instruct. Madril. a. 1561. c. 53. in fine.

lib. 3. quæst. 5. num. 40.

Et ab hac denuntiandi obligatione nemo est excusatus, cujuscunque ordinis aut dignitatis sit. Edictum enim fidei omnes obligat: Adeò ut nec principes, nec reges ipsos exemptos velint. Idque luculento exemplo probat Ludovicus à Paramo: Joanna filia Imperatoris Caroli V. ab Inquisitoribus vocata fuit, ut coram ipsis de nonnullis fidem tangentibus contra quendam interrogaretur: Ipsa patrem consuluit: ille verò autor illi fuit, ut nullâ interpositâ morâ deponeret, ne excommunicationem incurreret, tam contra alios, quam contra se, si etiam in minimâ re se culpabilem sensisset; cui patris sui mandato Johanna morem gerens statim coram Archiepiscopo Hispalensi D. Ferdinando Valdez, tunc Episcopo & Generali Inquisitore, deposuit.

CAPUT IV.

De sponte Comparentibus, & quæ illis gratia fiat.

Simanc. tit. 44. § 4.

„Hodie in Hispaniâ alter Inquisitorum his actis visitare debet provinciam, „& quacunque ierit Edicta generalia proponere, quibus præcipit sub ex„communicationis pœnâ, ut quicunque noverit aliquid factum vel dictum con„tra fidem Catholicam, & legem Euangelicam, id protinus Inquisitori reve„let. Si quid autem relatum fuerit, scribendum est secretò per tabellionem In„quisitorum. Alter verò Inquisitor manere in civitate, in quâ sedes eorum con„stituta fuerit, & ordinandis actis causarum præsidere debet. Sin autem res nul„la sit, quæ hunc residere cogat, ne otiosus sedeat, aliam quoque provinciæ „partem eodem ordine visitabit. 5. *Instruct. Hispal. cap.* 2.

„Hanc

„Hanc visitationem & generalem Inquisitionem vicissim facere debent Inqui- „sitores per omnes urbes & municipia provinciæ suæ: Quâ in re qui negligentes „fuerint, officio privandi sunt. In hac autem visitatione possunt Inquisitores „compellere, ut jurent ac testimonium perhibeant, eos omnes quos expedire „crediderint. Cavere autem debent in hac visitatione Inquisitores ab hospitio „eorum, qui consanguinei sunt vel affines hæreticorum, Judæorum, & Mahu- „methanorum; quod etiam servare tenentur ministri eorum; neque ab hospite „quippiam gratis accipiant, quia stipendiis suis contenti esse debent, & quia non „levis amicitia propter eam rem conciliari solet. 8. *Instruct. Tolet. c.* 19.

§ 5. § 6.

Dum alter visitat provinciam, Inquisitorum alter exspectat in domo suâ, ut adiri possit à sponte venientibus. Si aliqui intra constitutum terminum accedant, & seipsos accusant, mitius illos tractat. Non tamen admittere eos debet per modum confessionis Sacramentalis, sed per modum confessionis in foro judiciali, ita ut Notario eorum confessionem excipiente coram Inquisitore dicant peccatum suum.

Direct. part. 3. § 58.

Post peccati confessionem illorum quilibet interrogatur ab Inquisitore, an illis erroribus adhæserit, an verò de illis solummodò dubitaverit? quanto temporis spatio in illis permanserit? à quibus & quomodo eos didicerit? an aliquos libros hæreticos vel suspectos habuerit & legerit, & quos, & à quibus habuerit, & quid de illis fecerit? Adduntur interrogationes de complicibus in hæresibus, ut illorum nomina explicet, tam hæreticorum, quam de hæresi suspectorum, quos cognoverit. Rogatur porrò, an in aliquo tribunali, seu coram aliquo judice, de prædictis erroribus, seu de aliis ad hæresin spectantibus fuerit inquisitus, processatus, aut delatus vel denuntiatus? Monetur etiam, ut simpliciter integram dicat veritatem, quam noverit, tam de se, quam de aliis: quia si postmodum reperietur aliquid dolo subticuisse, velut diminutus confitens, & impœnitens, ac fictè conversus judicaretur. Tandem interrogatur, an pœniteat ipsum in hujusmodi errores vel hæreses incidisse? & an paratus sit illas, & quascunque alias hæreses adversus sanctam Apostolicam & Romanam Ecclesiam se extollentes, abjurare, maledicere, & detestari, & de cætero Catholicè juxta Romanæ Ecclesiæ fidem vivere, ac pœnitentiam salutarem sibi injungendam devotè adimplere?

Pegna pra x. Inquis. lib. 2. cap. x. n. 6. &c.

Si videat Inquisitor eum jam præventum, mitius tamen cum eo agere debet, quia sponte venit. Nam & tales sponte redire ad gratiam dicuntur, qui veniunt infra tempus gratiæ, licet fuerint moniti: non enim videntur coacti, ex quo à nemine sunt præventi. Imò etiam si veniunt post tempus gratiæ, re integrâ, quia nec personaliter requisiti, nec probationes contra ipsos sunt receptæ. 60.

Lucerna Inq. in voce, redire.

Non tamen Inquisitores in principio comparitionis scribere debent, quod sponte comparuerit: quia talis comparitio post delationem (licet nondum verbaliter sit citatus) non præsumitur spontanea, nec facta candidâ & simplici voluntate; sed potius meticulosa & invita, metu & timore probationum ad evitandas pœnas ordinarias: poterit tamen scribi, quod talis non citatus, nec vocatus, comparuit. n. 12.

Si verò peccatum penitus sit occultum, potest Inquisitor eum etiam secretè absolvere, injunctâ pœnitentiâ salutari. Si verò non sit secretum, ipseque fateatur non solum se malè credidisse, sed & aliis fidem suam erroneam revelasse eosque infecisse, cum ipso Inquisitor procedere debet secundùm Canonicas sanctiones; semper tamen mitius erga illum se habendo, quia venit per se, non vocatus, & intra tempus gratiæ. 61. 62.

Si confitentes spontanei dicant se fecisse opus aliquod exterius contra fidem sine intellectus errore, quamvis aliqualis præcesserit probatio, non debent hæretici probari: qui enim parati sunt corrigi inter hæreticos nequaquam sunt computandi. Ex hisce inferunt, si quis fateatur fecisse aliquas ceremonias Judai-

Carenæ annot. in Pegnam ibid.

cas, vel alicujus sectæ, ob aliquam suam commoditatem, non esse censendum hæreticum: Id aliquando contingit in captivis, qui, ut melius è captivitate possint liberari, absque aliâ intentione, aliquando exterius abnegant fidem: Et refert Inquisitor San. Vincente se quendam vidisse, qui amore lascivo cujusdam fæminæ ex noviter conversis ex Saracenis, quæ promisit ei commisceri carnaliter si ipse prius fecisset ceremoniam illius sectæ quæ dicitur *Gaodoc*, & ob turpitudinis causam, cum esset vetus Christianus, eam fecit, & statim spontaneè fuit confessus, addiditque non aliam se habuisse pravam intentionem, qui consulto prius Supremo Senatu fuit absolutus, anno CIϽIϽCXVIII. Potest tamen ejusmodi casus evenire, ut oporteat confitentem spontaneum abjurare de vehementi. Quale sibi idem Inquisitor in quâdam Inquisitione contigisse narrat. Quidam Christianus novus ex Saracenis, ab Hispaniâ expulsus posteà à Christianis captus est, qui se statim detulit, quod, dum inter Mauros esset, fecisset aliquas ceremonias & actus sectæ Mahomethanæ, negando in eo habuisse pravam intentionem: Cum verò quædam Inquisitori viderentur valdè voluntariæ, veluti, quod duxerit in uxorem infidelem Mauram, sine ullâ violentiâ, neque aliâ utilitate, examinavit ejus concaptivos; & cum convictum fecisset, ipsum tale fuisse confessum, metu probationis determinatum fuit, ut abjuraret de vehementi, quod Supremo Consilio placuit: sed cum reus hic aliquot diebus detineretur, ut integrè veritatem posset fateri, eandem plenè fassus fuit, & reconciliatus in formâ.

Non tamen sponte venientes omnem evitant pœnam, sed pro qualitate personarum & criminum, arbitrio Inquisitorum benignè tractantur, aut pœnam aliquam pecuniariam solvendo, aut eleëmosynas erogando, aut alia hujusmodi charitatis opera præstando. Si verò exspectaverint, donec accusentur, denuntientur, citentur, vel capiantur, aut tempus gratiæ transire permiserint, eâ pronuntiantur indigni.

Et hic multi imprudenter falsâ opinione seipsos decipiunt, credentes, quoniam sponte comparentibus promittitur gratia, ipsos ab omni pœnâ esse immunes; cum solummodò à gravioribus pœnis liberentur, & Inquisitorum arbitrio relictum sit, ipsos pœnâ aliquâ pœnitentiali, pro delicti qualitate punire: ut ex
Gonsalv. p. 193. sequenti exemplo liquet. „Erat apud urbem Gaditanam advena quidam, tamen in Hispaniâ per viginti annos insertus, qui communi superstitione ductus „heremum in sacello quodam incolebat religionis ergo: Is auditâ in sacello suo „ingentis multitudinis captivitate eorum qui ob hæreses, quas dicebant, Lutheranas Hispali ab Inquisitoribus quotidiè capiebantur: audito quoque Inquisitorum decreto, quo præcipiebatur sub illis excommunicationum terriculamentis, „ut quæ eis de rebus vel de aliis, vel de seipso quisquam nosset, Inquisitioni „quamprimum indicaret: erga eos enim, qui seipsos ita prodidissent, dominos Inquisitores singulari clementiâ uti solere; stupidus magis quam simplex „heremita Hispalim venit, Inquisitores adiit, seipsum defert. Peccatum erat, „quod cum ante viginti annos Genuæ esset, audivissetque fratrem quendam suum „eis de rebus, veluti de hominis Instificatione per fidem in Christum, de Purgatorio, & id genus aliis disputantem, visa illa sibi fuerint non mala, etsi eorum postea nunquam vel meminerit: se proinde peccatum suum accusatum, „ac misericordiam petitum venisse. Acceptâ eâ confessione domini Inquisitores „jubent suum heremitam in carcerem detrudi, ubi multis exactis diebus in triumphum eductus, Sambeniti, & trimestris carceris, & heremiticarum opum proscriptionis sententiam tulit.

Ibid. p. 102. Nonnunquam etiam stratagemate quopiam homines alliciuntur, ut sponte coram Inquisitoribus compareant. „Cum insignem aliquem virum ceperunt, quem „aut complures docuisse, aut certè à compluribus doctrinæ atque eruditionis ergò frequentari solitum fuisse sciunt, cujusmodi fuerit doctor concionatorve „quispiam magni nominis, illis de more est per Familiares suos rumores in vul-
„gus

„gus spargere, eum virum torturis gravibus affectum plures è sibi addictis prodidisse, subornatis quoque ad ejus rei fidem faciendam ex carceris viciniâ nonnullis, qui asserant clamores inter torturas editos se audivisse. Vulgantur hi rumores in hunc finem, ut qui ejusmodi vincto usi fuerint doctore, aut quoquo modo illi fuerint familiares, tempestivè adeant sanctum Tribunal fatentes culpam, & misericordiam implorantes, antequam accersantur aut comprehendantur. Hac demum ratione plerisque imponunt, qui si ab eis accersiri exspectarent, nunquam fuissent accersiti; aut si fortè accersiri contigisset, haud severius cum ipsis actum foret, quam cum inquisitoriam fidem secutis agi solet.

CAPUT V.

De tribus modis processum coram Tribunali Inquisitionis inchoandi.

SI intra terminum ad revelandum hæreticos, &c. assignatum aliqui comparuerint, ut Inquisitori quædam ad fidem pertinentia revelent, denuntiationes hujusmodi recipere debet judicialiter. Si tanto numero accedant, ut non possint omnium denuntiationes judicialiter recipi, debet sibi habere Inquisitor libellum per Diœceses distinctum, in quo omnes quæ sibi fiunt denuntiationes scribat, & nomina denuntiantium ac testium, & vicum & locum ubi morantur: quem librum secretè tenet, ne denuntiantium nomina revelentur, ipsisque periculum creëtur. Direct. part 3. n. 63.

Tempore gratiæ elapso, Inquisitor delationes accuratè expendere debet, quænam majorem habeat veri apparentiam, & quæ crimina sint graviora, & fidei magis periculosa. Ubi majus fidei periculum imminere videt, ibi inquirere incipiet, citando illum qui detulit, & medio juramento informet se quantum potest de facto. Si nullam veritatis apparentiam habere invenerit, supersedeat; non tamen à libro suo delationem amoveat; quia quod uno tempore non invenitur, alio invenitur. Si verò deprehendat habere apparentiam veritatis, ulterius inquirit. 65.

Sunt autem tres modi procedendi ac processus incipiendi. Primus per accusationem, quam præcedere debet inscriptio. Secundus per denuntiationem, quam præcedere debet charitativa monitio: Hodie verò in Hispaniâ obtinet, ut hæretici, quantumvis occulti, protinus judicibus debeant indicari, absque ullâ fraternâ correctione. Unde & qui sub prætextu fraternæ correctionis occultos hæreticos non indicant Inquisitoribus, & hi etiam qui id aliis consulunt, ut occultatores hæreticorum, & qui officium Sanctæ Inquisitionis impediunt, puniri solent. Tertius per Inquisitionem, quam præcedere debet clamosa insinuatio. Ea autem vel est Generalis, vel Specialis. Generalis locum habet, quoties Inquisitores provinciam visitant, aut quando recens creati adeunt diœceses sibi decretas, & Inquisitionis officium exercere incipiunt: tunc enim generalia edicta promulgant ad inquirendos occultos & incertos hæreticos; ad quam exercendam non exigitur infamia præcedens; sed ex officio certis statisque temporibus incumbit Inquisitoribus eâ uti. Simancas tit. 15. §. 16. Pegna in Direct. part. 3. Comm. 16.

In multis Inquisitionibus receptum est, ut singulis annis in secundâ Dominicâ Quadragesimæ in Ecclesiâ cathedrali inter Missarum solemnia hujusmodi edicta ad hæreticos revelandos publicentur. Ideoque eo die à sacrâ concione habendâ cessari solet, ut attentius omnes his quæ in Edicto Fidei continentur intendant. Hanc inquirendi rationem præscribit Concilium Tholosanum cap. 2. *Statuimus ut Archiepiscopi in singulis parochiis tam in civitatibus quam extra, Sacerdotem unum, et duos aut tres bonæ opinionis laicos vel plures si opus fuerit, sacramento con-* Pegna prax. Inq. lib. 1. cap. 10. § 2. n. 5.

stringant, qui diligenter inquirant fideliter & frequenter hæreticos in iisdem parochiis, domos singulas & cameras subterraneas aliquâ suspicione notabiles perscrutando, & adpensa seu adjuncta in ipsis tectis ædificia, seu quæcunque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus, perquirendo, & si quos repererint hæreticos, credentes, fautores ac receptatores seu defensores eorum, adhibitâ cautelâ ne fugere possint, Archiepiscopo vel Episcopo, aut Dominis locorum, seu eorum baillivis cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debitâ puniantur. Hoc idem faciant Abbates exempti in locis suis, quæ non sunt Ordinariis jure diœcesano subjecta. Solliciti etiam sint Domini terrarum, circa Inquisitionem hæreticorum in villis, domibus & nemoribus faciendam: & circa hujusmodi appensa, adjuncta, seu subterranea latibula destruenda.

Specialis Inquisitio est quoddam jus per officium procedendi ad condemnatione n & punitionem contra aliquos nominatim inquisitos de certis delictis diffamatos; ad quam non proceditur absque præcedenti infamiâ, quæ vicem accusatoris retinet. In crimine verò hæresis ob indicia & suspiciones verisimiles eam potest Inquisitor exercere, nullâ infamiâ præcedente, & licèt non constet de corpore delicti: quia hæresis delictum est, quod nullum post se vestigium relinquit: cautè tamen & valdè occultè, ne cujusquam fama honorque lædatur.

§ 3. n. 6. „Quoniam autem ex tribus modis procedendi in hoc tribunali primus per „modum accusationis non est usitatus; secundus verò per denuntiationem, li„cèt sit communis & usitatus, magis videtur esse initiativus, quam completi„vus totius processus, quia ex eo quod judicibus fidei denuntiantur rei læsæ „divinæ majestatis, illi incipiunt inquirere, & procedere, & in toto hoc nego„tio potissimas per testes sibi vindicat Inquisitio, ideo ab hoc tertio modo pro„cedendi per Inquisitionem, & judices vocantur Inquisitores, & tribunal & „ministri dicuntur etiam esse Officii Sanctissimæ Inquisitionis.

CAPUT VI.

Quomodo processus inchoetur per modum Inquisitionis.

QUando processus fit per Inquisitionem, cum qui Inquisitorem adit, dicit se non accedere ut accusatorem, nec ut denuntiatorem; sed solummodò refert, talem esse famam, & per graves & honestas personas frequens clamor ad aures Inquisitoris pervenit, aliquem fecisse vel dixisse quædam contra fidem, & fama publica clamosam insinuationem producit, processus hac ratione expe-
Direct. p. 3. n. 79. diri solet. Inquisitor facit citari aliquos testes, & præsertim personas graves & bonas, & coram Notario & duabus personis religiosis, vel alias honestis, inquiret de famâ tantummodo cum illis: an sit fama de tali, quod talia fecerit vel dixerit contra fidem? quomodo sciant eam esse famam? quanto tempore ea fama fuerit? an sciant eum esse infamatum? an sciant & unde fama illa orta sit? an à malevolis, an ab aliis? & similia.

Sic jubet Innocentius in cap. *Qualiter & quando.* de accusatio. Hic potes colligere, qualiter probetur infamia. Debet enim dicere testis, eum, de quo agitur, de tali crimine diffamatum: Et si quæratur ab eo, apud quos est infamatus; debet respondere, apud tales: & nisi eos assignet, non videtur bonam reddere causam dicti sui: prætereà, quia non potest sciri, an sint graves, vel malevoli.

80. Ita probatâ famâ Inquisitor procedit, ad inquirendum rei veritatem. Hunc in finem facit citari testes, & maximè ipsi delato familiares, & bonos, & fidei zelatores, & adhibito juramento inquirit cum eis non de famâ, sed de re ipsâ, præsentibus Notariis, & duabus personis religiosis vel honestis. Mox ad ipsius rei

rei confessionem eliciendam procedit: Ac primò quidem ad locum Inquisitionis descendit, ubi reo coram se comparente, narrat, famâ & clamoribus frequentibus se excitatum & commotum, comparentem jam & coram assistentem reum ipsum, quædam contra Catholicæ fidei veritatem docuisse, scripsisse, vel publicè prædicasse, aut docentibus credidisse, favisse, eos receptasse, aut defendisse: Ideoque se pro officio suo hujusmodi famam dissimulare non posse, nec tamen condemnare velle, nisi de hujusmodi criminibus prius sibi legitimâ & luculentâ probatione constiterit. *Brunus de hæret. lib.* 4. c. 7. § 10.

Si reus de criminibus in articulis Inquisitionis deductis non sit diffamatus, eamque exceptionem opponat reus, Promotor Fiscalis & denuntiator necesse habent diffamationem probare.

Diffamatione non probatâ, reus ab observatione judicii absolvetur. Sed & contrariam famam probare potest reus: Veluti si de eo diffamatus esse dicatur, quod doctrinam hæretici certo quodam scripto à se edito defenderit, ipse verò probet, se eandem doctrinam eodem scripto confutasse: aut quod hæretico in certo aliquo loco domicilium præbuerat, ipse verò probet se non habere, aut quamdiu is pro hæretico habitus fuerit, habuisse in eo loco domicilium. Item opponet, quod fama orta fuerit à personis levibus, infamiâ notatis, inimicis, conspiratoribus, & similibus. Brunus de hæret. lib. 4. cap. 8. § 11.

Sin verò Inquisitor non ad alterius promotionem, denuntiationem, vel instantiam, sed ex mero officio processerit, & inquisiverit, non audietur reus, excipiens se de objecto crimine non esse diffamatum, nec judex fidem de infamiâ facere tenetur. Neque enim est cui faciat, nisi appellet reus; Quo casu judex coram superiore de infamiâ appellantis docebit. Idem, si quis discesserit à communi conversatione fidelium, circa cultum divinum: neque enim talis auditur, allegans se non esse diffamatum, &c. Nam absque infamiâ contra ipsum inquiri potest. § 12.

Hic est privatæ Inquisitionis modus quem Eymericus & Brunus describunt. Paulò aliter eum præscribit Petrus Episcopus Albanensis, in Consultatione quæ vocatur prima. „Circa Inquisitionem privatam talis habeatur modus. Primò Tr. tr. fol. 420. verso.
„debet vocari Capellanus loci vel contratæ, & ad locum secretum deduci, & „debet requiri ab eo per juramentum de veritate dicendâ. Hoc facto quæratur „ab eo si fama est quod sit aliquis hæreticus, aut de fide suspectus in contratâ „suâ, vel fautor sive receptator; & si dixerit, talis est, vel de tali dicitur, „quærat, si dicitur à pluribus. Et si habeat aliquas probabiles conjecturas ex „hujusmodi, ex tunc præcipiat ei quod nominet aliquas personas bonas & ho„nestas, viros & mulieres, & ab eis prius recepto juramento similiter quærat; „quod si consenserint, & videatur quod non ex odio vel invidiâ aut vindictâ „procedant, dicat eis quod secretum habeant, & dicat etiam similiter, ego etiam „secretum habebo, nec vos oportet timere. Hoc facto debet vocari hæreticus „infamatus ad locum secretum, ubi pauci fratres & unus Notarius bonæ famæ „sint, & dicatur ei: Tu es mihi accusatus & nominatus hæreticus, vel fautor, „vel receptator; sed ego volo procedere tecum per viam pacis & secretioris con„silii, & ideò volo quod debeas abjurare omnem hæresim pestiferam, & cau„tionem præstare congruentem, quod ad similia non redeas. Caveat autem In„quisitor, ne accusantes accusatis revelet. Item debet dicere: Si placet tibi „jurare, & facere quæ dico; paratus sum tibi facere literas testimoniales meas „quod tu es de numero fidelium: Si verò non feceris, dicam coram populo te „esse hæreticum, vel credentem, nec unquam potero te recipere, nisi cum pœ„nitentiâ manifestâ: Et oportebit, quod aut redeas, & observes pœnitentiam, „aut bona tua publicentur, & sic tenebris infamis, & vitaberis ab omnibus, & „privaberis actibus communibus. Sed in hoc magna adhibenda est cautela. Item „sit sollicitus Inquisitor, ne passim det literas suas, & maximè illis qui alias fue„rint deprehensi; quia hoc non debet facere, nisi publicam agant pœnitentiam.

CAPUT VII.

Quomodo processus inchoetur per accusationem.

QUando verò delator crimen aliquod ab alio perpetratum ad Inquisitorem defert, & delatio apparentiam habet veritatis, juxta instructionem Eymerici, quæ olim obtinuit, hac ratione proceditur. Primò quærit Inquisitor, an delator velit accusare, & procedere per modum accusationis in negotio, vel non? Si dicit, se per modum accusationis procedere velle, monendus est per Inquisitorem, quod oporteat se inscribere ad talionis pœnam, nisi probet. Istum tamen procedendi modum Inquisitor non facilè admittere debet, tum quia non est in causâ fidei usitatus, tum quia accusatori est valdè periculosus; & multum litigiosus. Si tamen accusator instet, accusationem porrigere debet in scriptis, eaque à Notario, ut processus inchoëtur, scribi debet. Alii tamen contendunt, in crimine hæresis non esse necessariam inscriptionem ad legem talionis. Cum autem hodiè rarò accusantis persona admittatur, publicus est constitutus minister, quem Fiscalem vocant, qui personam accusatoris subit, & reos accusat: nec se subscribit ad pœnam talionis, aut ad alias, quas falsi accusatores pati solent.

Direct. part. 3. 67. Pegna Comm. 14.

71. Quando verò olim processus fiebat ad instantiam accusatoris, postquam accusatio coram Inquisitore est facta, Inquisitor mandat accusatori, ut nomina testium producat: qui ab Inquisitore citantur, & præstito juramento diligenter examinantur. Si quod deponunt nihil faciat ad factum, consulet Inquisitor accusatori, ut amoveat verbum accusationis, & apponat denuntiationis, ut sic Inquisitor procedat ex officio, & non ad partis instantiam, propter grave periculum accusatoris. Si verò testes plenè probant, tunc Inquisitor testes productos judicialiter coram notario & duabus personis religiosis, vel aliàs honestis, diligenter examinat, exacto prius juramento ad quatuor Euangelia de veritate dicendâ; ad quod præstandum, si recusent, eos cogere potest.
72. Tum de variis interrogat, an cognoscat talem? de causâ & tempore cognitionis? De famâ illius: an viderit, vel audiverit eum quædam dicere vel facere contra fidem, & quæ ea sint? ubi viderit, quoties, quibus præsentibus? quo modo ea dixerit, an per jocum aut recitativè, an verò animo deliberato seu assertivè? tandem, an hæc deponat odio vel rancore? seu dimittat aliquid amore vel favore? Et testium responsiones ad hasce omnes quæstiones excipiuntur à notario. Quin & pro arbitrio Inquisitoris testium interrogationes possunt aliquoties iterari, & quæ in prioribus interrogationibus sunt omissa suppleri.

CAPUT VIII.

Quomodo processus inchoetur per denuntiationem.

Eymer. part. 3. n. 61.

SI verò delator dicat, uti communiter fit, nolle se accusare, sed denuntiare, idque metu pœnam incurrendi excommunicationis latæ per Inquisitorem de revelandis ad fidem pertinentibus intra terminum præscriptum, Inquisitor se ad inquirendum accingit. Et quia hic est ordinarius & maximè usitatus Inquisitionis modus, eum prolixius & distinctius describam, ut ita ex eo tota inquirendi ratio plenius intelligatur.

Pegnæ prax. Inq. lib. 2. cap. 1.

Cum denuntiator, qui & testis comparens appellari solet, ad Episcopos vel Inquisitores accedit, antequam ejus denuntiationem in formâ juridicâ Notarius excipiat, interrogari solet, quid proponere velit? ut intelligatur, an quod denuntiare

tiare decrevit ad Sanctum Officium pertineat; quoniam aliquando rustici & idiotæ, aut qui scrupulis anguntur, ea deferunt, quorum cognitio ad Inquisitores non spectat. Cum cognoverint, crimen delatum ad S. Officium spectare, exacto juramento à denuntiatore de veritate dicendâ, mox Notarius coram Episcopo, vel Inquisitore, aut eorum Vicario, integram denuntiationem recipit, concipiendo denuntiationem, sive narrationem denuntiantis sub primâ personâ. Ne verò de juramenti validitate ulla suboriri possit dubitatio, atque ita universa denuntiatio corruere, sicut Inquisitor à denuntiante, seu teste sponte comparente non tantum, sed etiam à teste citato super sanctis Scripturis tactis exigit juramentum; ita etiam requiritur, ut Notarius per extensum scribat, talem *tactis Scripturis juramentum præstitisse*; non autem, *tactis*, *&c.* ne inde elaborandum sit in hujusmodi actibus defendendis propter hunc defectum.

Præstito juramento denuntiator ab Inquisitore de variis interrogatur. „Primum, si non est persona nota, interrogatur de nomine, cognomine, patriâ, „& exercitio, & quo loco habitet. Deinde, à quanto tempore cognoverit N. „contra quem denuntiavit: Item, quæ fuerit causa cognitionis. Rursus, an „aliquando ex verbis, vel ex factis observaverit, prædictum N. esse suspectum „in his quæ ad fidem pertinent. Item, quoties viderit N. fecisse, vel dixisse „illa, propter quæ sibi fuit hæreticus, vel de hæresi suspectus. Item, quo tem„pore, & quibus præsentibus prædictus N. fecerit, vel dixerit illa, de qui„bus fuit denuntiatus. Item, an sciat prædictum N. in prædictis delictis ha„buisse complices, vel scripturas pertinentes ad delicta denuntiata. Item, ad „quem finem & effectum prædicta fuerint facta, vel dicta à prædicto N. & an „seriò, aut joco prædictus N. talia dixerit. Quod si longum intervallum sit „inter tempus quo asseruntur delicta denuntiata fuisse commissa, & tempus quo „facta fuit denuntiatio, quærit Inquisitor à denuntiante, cur tam diu distule„rit accedere ad S. Officium, & non anteà deposuerit, præsertim si sciebat, „ex omissione se incurrere in pœnam excommunicationis? Quam interrogationem duabus de causis necessariam credunt: tum, quia aliquando ex tarditate in denuntiando præsumitur in denuntiante calumnia; tum ut sciatur, an denuntiaverit ad id coactus à Confessario, qui noluit eum absolvere, nisi denuntiaret: „quo in casu augetur fides denuntianti. Rogatur porrò, an sciat aliquid aliud „de N. quod concernat S. Officium, vel etiam de aliquâ aliâ personâ: Item, „an aliquando habuerit causam odii vel inimicitiæ cum prædicto N. & unde pro„cesserit? Quo zelo & quâ intentione ad S. Officium, & ad denuntiandum ac„cesserit? An aliquâ animi passione, malâ voluntate, vel odio, vel suborna„tione inductus denuntiaverit? moneturque ut ingenuè dicat veritatem. Præsertim verò inquirunt causam scientiæ, quia inde potissimum veritas & pondus testimonii dependet. Ex denuntiatione autem, & responsis ad has interrogationes alias porrò formant quæstiones, ut nihil inquisitum omittant. Et quicquid ad singulas interrogationes denuntiator responderit, Notarius describit. cap. 2.

Denuntiatione receptâ, antequam denuntiator ab auditorio recedat, tria hæc observari solent. Primum, ut tota denuntiatio sicut scripta fuit denuntiatori prælegatur, ut integrum sit addere, demere, vel mutare. Alterum, ut depositioni suæ denuntiator subscribat, aut si scribere nescit saltem signum crucis apponat. Tertium, ut denuntiatori sub præcepto præstiti juramenti injungatur tenere secretum. Et hæc omnia à Notario accuratè adscribuntur.

Si vel propter temporis angustias, aut horam tardam vel incompetentem, aut propter prolixam narrationem denuntiantis, non possit unico contextu recipi integra denuntiatio, interrumpi solet depositio; & adscribi, propter horam tardam dimissum fuit examen, injunctumque quod redeat quamprimum ad S. Officium, & quod se subscribat. Cum iterum revertitur denuntiator ad continuandum denuntiationem, iteratò tactis Scripturis Sacris de dicendâ veritate coram Inquisitore & Notario jurare debet, & moneri, ut dicat quæ sibi dicenda super-

superarant in suâ præcedenti comparitione, die illâ talis mensis in hoc S. Officio. Cæterum si fieri potest, etiam aliquâ judicis incommoditate, curandum ajunt, ne depositiones denuntiantium, vel testium citatorum, interrumpantur.

Quandoque denuntiatores secum deferunt à se descriptam denuntiationem, quam Inquisitori exhibent: hoc quando fit eam in auditorio accipit Inquisitor, & Notario tradit processui inserendam; Notarius porrò in actis scribit, quod N. tradidit suam denuntiationem Domino Inquisitori in scriptis, tot foliis comprehensam, incipientem sic, &c. & finientem sic, &c. jubetque Inquisitor, ut denuntiator suam subscriptionem apponat.

cap 3. Quando denuntiatores non sunt præsentes, & non per se ipsos, sed per secretas literas alicujus hæresin denuntiant, potest ea denuntiatio etiam recipi ab Inquisitore, modò ille qui literas ejusmodi scripsit, sit fide dignus, & habitat in locis remotis, aut ægrotat, aut alio legitimo impedimento detinetur, ut non facilè possit ad Inquisitorem accedere: vel ratione alicujus qualitatis detinetur, ut Moniales & aliæ honestiores fæminæ, quæ non facilè in judicium ab aliis sunt trahendæ. Defectum autem qui in hac denuntiatione est, Inquisitores hac ratione supplere possunt. Vel ut ipse cum Notario se ad denuntiantem conferat examinaturus eum eodem, quo diximus, modo: Vel suum Socium, sive Vicarium, ad eum transmittat, cum literis denuntiatoriis, super quibus more solito denuntiantem examinet, ut cognoscat an sint ipsius, & quo consilio aut causâ scriptæ: Vel si in illis partibus Inquisitor jam habet Vicarium, seu Commissarium institutum, ad illum scribat, & secretas illas literas denuntiatorias transmittat, ut denuntiantem præmisso juramento de more examinet. Quod verò denuntiationem à Moniali faciendam attinet, illa tenetur denuntiare coram suo Confessario, qui ad id petit ab Inquisitore licentiam & facultatem recipiendi denuntiationem, quam, uti specialiter deputatus, recipiet, prævio juramento, subscriptione, & indictione secreti; & bene eam interrogabit, & excutiet. In hoc autem casu Confessarius à Moniali accipere debet mandatum denuntiandi Inquisitori extra confessionem. Formulam accipiendi hanc denuntiationem, talem observant: *Seja dimissa à Confessario, qui noluit eam absolvere, nisi S. Officio denuntiaret, coram me N. specialiter à Reverendissimo Patre Inquisitore deputato comparuit sponte die... mense..... anno..... & ei delato per me juramento, quod tactis sacrosanctis Euangeliis præstitit, pro exoneratione conscientiæ suæ, ut dixit, denuntiavit in modum sequentem: Videlicet*, &c.

Annot. Caren. n. 4.

CAPUT IX.

De Testibus, & quinam coram Tribunali Inquisitionis in testes admittantur.

POstquam denuntiator legitimè denuntiando munere suo functus est, nullæ sunt amplius illius partes, sed Inquisitori totum relinquitur ut de delicto & delinquente ex testibus à denuntiatore nominatis inquirat. Antequam ergo ad examen testium accedamus, de testibus ipsis quædam præmittenda sunt, de eorum videlicet personâ, & numero.

Omnes tam in causis civilibus quam criminalibus testes esse possunt, qui expressè non prohibentur. In negotio Inquisitionis, ob favorem fidei, omnes, etiam aliis in tribunalibus exclusi, in testes admittuntur, exceptis inimicis. Verum hic distinguunt, inter accusatorem seu denuntiatorem, & testem. Licet enim inimicus testis esse nequaquam possit, potest tamen esse accusator seu denuntiator, ejusque denuntiatio ab Inquisitore negligi non debet. Id fusius nos docet Camillus Campegius in Zanchinum, cap. XIII. d.

„In

„In crimine hæresis quivis accusator esse potest, etiam inimicus: Cum enim „judex non juxta accusatoris petitionem, sed juxta testium probationes condemnet, parum obesse potest, si inimicus ad accusandum admittatur. Addit, „se plerumque in hujus Officii sacri exercitatione adinvenisse, quod inimici non „falsum, sed verum denuntiarunt, quod cælesti consilio justoque Dei judicio „factum cognovit. Cæcus quippe mundus iste, criminis hujus malitiam & pravitatem nondum capere potuit, ideò proniores esse mortales conspicimus ad „accusandum & puniendum fures & homicidas, quam ad corrigendum seu damnandum hæreticos. Immò cum aliquis ob hæresin inquiritur aut detinetur, „accurrunt omnes, orant, rogant, excusant, & omninò tueri conantur, scelestos ac prorsus impios eos dicunt, qui pauperem illum virum de hæresi notare voluerunt. Crudeles insuper ministros appellant, si carceribus, si vinculis, „si compedibus, si denique tormentis hæreticum ad veritatis lumen reducere nituntur, observiumque maximum se Deo præstare arbitrantur, si eum à carceribus & vinculis etiam injustè extrahunt, & ab Inquisitoris manibus eripiunt. „Optarent enim talem aquâ, ut ajunt, benedictâ tantummodò remitti. Quod „si læsæ Majestatis humanæ crimen in exemplum respondendo objicimus; mox „dicunt, aliud hoc est, plurimum inter se hæc distant, & similia; ac si minus „esset Deum Opt. Max. quam terrenum principem offendere. Deploranda potiùs hæc sunt, quam recensenda: oremus itaque Dominum, ut cæcorum oculos aperiat, & fidem suam sanctam conservet, ac hujus Officii ministros „tueatur ac protegat. Fit itaque, ut jam dicebamus, Deo ita disponente, & „ex alterius malitiâ bonum hoc eliciente, ut quis aliquem hæreticum esse cognoscens, illum durante amicitiâ non prodat: Verum inimicitiâ inter eos posteà „subortâ, statim ille ad Inquisitorem pergit, & quem hæreticum jam diu cognoverat, modò denunciat, dicitque id fidei zelo & charitatis intuitu hoc facere, quamvis ex odii fomite ille fortè ducatur. Ideò debet Inquisitor qualitatem deponentium seu denuntiantium diligenter attendere, & de attestationum & dictorum veritate subtiliùs & cautiùs inquirere; & verba capit. *in fidei* „*favorem*, de hæret. lib. 6. optimè notare, si videlicet ex verisimilibus conjecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quàm eorum contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumstantiis, sic testificantes „falsa non dicere præsumantur.

Alia verò est ratio testium; inimicus enim in testem non admittitur. Non autem quævis inimicitia testem à testimonio repellit, sed solummodo inimicitia capitalis. Ita definit Concilium Biterrense, cap. XIII. & Narbonense, cap. XXV. *Illis tantùm exceptionibus fidem testium evacuantibus in totum, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur, ut sunt conspirationes, & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina etsi debilitent, non repellunt; præsertim si testes de crimine sunt emendati.* Itaque juxta hoc decretum varia crimina, in causâ hæresis, fidem testimoniorum quidem elevant, sed testes ipsos penitus non repellunt. Similiter quælibet inimicitia aliquatenus quidem vim testimoniorum enervat, non autem testimonium planè evertitur, nisi per inimicitiam capitalem. Simanc. tit. 64. § 79, 80.

Causæ autem, ex quibus inimicitia capitalis colligi debet, variæ sunt, & lege Hispanâ definitæ. Si quis occiderit, aut conatus vel etiam minatus sit occidere consanguineum illius, contra quem testari vult: si insidias contra ipsius vitam struxerit; vel eum accusavit de delicto, quod si fuisset probatum, sequeretur vel mors, vel membri abscissio, vel exilium, vel amissio omnium, vel maximæ partis bonorum. Hisce addit Pegna, in dicto commentario, quæ tamen lege illâ definita non sunt. Si deposuerit contra eum in causâ criminali: vel si aliquis illum qui nunc contra se testatur detinuit aliquando in vinculis; vel etiam si injurias contra illum protulerit; videlicet, si quis virum conjugatum vocet cornutum, ejus uxorem meretricem, virum honestum dixerit ebrium, &c. in quo casu tamen rationem personarum, inter quas convitia prolata sunt, consi- Pegna in p. 3. comm. 116.

derari vult, an sint personæ viles & infames, quæ prout honorem parum curant, ita & facilè ad injurias proferendas prorumpunt, earumque facillimè obliviscuntur: an verò nobiles & ingenui; tum verò & provinciarum & civitatum consuetudinem. Porrò capitalem inimicitiam ex eo oriri ait; quod quis alterius uxorem tenet marito invito, reclamante ac repugnante; vel sororem, aliasve fæminas ipsi conjunctas, quarum pudicitia si attentata solum fuerit, ipsi infertur injuria: Si quis alteri moveat quæstionem status, quod sit libertus, non ingenuus natus; aut de omnibus bonis, vel saltem majori eorum parte, aut de magnâ pecuniarum quantitate; aut de spoliatione, aut perditione unius magnæ rei tantum; aut cum quis alium offendit in personâ, vel in rebus. Porrò non potest esse testis, qui dudum fuerat inimicus, si recenter est reconciliatus; nec qui descendit ab inimico capitali, nec qui cum ipsius inimicis commoratur, aut amicitiam cum ipsius inimicis contrahit: Tandem qui sunt de aliquâ familiâ, seu factione alteri familiæ & factioni contrariâ: attamen si testes essent spectatæ virtutis & probitatis, in talibus sinistra hæc suspicio cessaret. Cessat autem hæc suspicio, quando inimicitia fraude & dolo est procurata, eo fine, ut quis à testimonio dicendo repellatur; & quando inter inimicos intercessit reconciliatio antiqua & bene fundata: quando autem ea intercessisse dici debeat, arbitrio judicantis relinquitur. Quoniam autem testium nomina delato non publicantur, uti in sequentibus plenius ostendetur, propter periculum testium, Inquisitoribus demandatur, ut ipsi de inimicitiâ testium inquirant, ac dispiciant an aliquæ sint causæ, ex quibus capitalis inimicitia inter reum & testes intercedere credi debeat; quod totum Inquisitoris prudentiæ & arbitrio committitur. Si verò inimicus sit reconciliatus, testis esse potest, dummodò reconciliatio sit non recens, sed antiqua. Quæ verò recens, quæ antiqua sit Inquisitoris judicio permittitur.

Lucerna Inquisit. in voce Testes. § 5.

Hic autem quærunt, an sit adhibenda fides dictis illius testis, qui dicit se inimicum ejus contra quem interrogatur? Et solent, hac adhibitâ distinctione, respondere. Quod testis dixit se inimicum aut antequam juraret, seu produceretur in testem, & sic præsumitur hoc dixisse in fraudem, & nihilominus debet recipi: si verò non constat eum dixisse in fraudem, non videtur recipiendus, præcipuè quando inimicitia erat capitalis: sed si hoc non est, vel de hoc dubitatur, non debet judex propter solum dictum testis desistere, sed interrogare debet de qualitate inimicitiæ; quia, ut dictum est, non omnis inimicitia indistinctè repellit: Si se inimicum capitalem dicat, non debet recipi: Si verò inimicitiæ non sunt capitales, debet recipi, & quanta fides sit adhibenda relinquitur arbitrio judicantis. Aut dixit se inimicum postquam juravit, sed antequam deponeret; & tunc ei non est adhibenda fides: aut postquam juravit & deposuit; & si se inimicum dicat in continenti in fine depositionibus creditur in generalibus interrogationibus ei; si verò ex intervallo dixit se inimicum, non ei creditur, sed statur priori dicto.

Pegna in p. 3. com. 113.

Exceptis autem inimicitiis capitalibus, quælibet fermè personæ in testes admitti possunt ab Inquisitore: Primò, Excommunicati & socii criminis. Per cap. *In fidei favorem.* de hæret. lib. VI. *In fidei favorem, concedimus, ut in negotio Inquisitionis hæreticæ pravitatis excommunicati, & participes vel socii criminis, ad testimonium admittantur: præsertim in probationum aliarum defectum contra hæreticos, credentes, fautores, receptatores & defensores eorum, si ex verisimilibus conjecturis, & ex numero testium, aut personarum (tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur) qualitate ac aliis circumstantiis sic testificantes falsa non dicere præsumantur.* Et consentit Concilium Biterrense cap. XII. *Quamvis in hujusmodi crimine omnes criminosi & infames, ac participes criminis, ad accusationem & testimonium admittantur.* Et decretum Alexandri IV. anno 1261. cal. Febr. quod incipit, *Consuluit nos.*

Excommunicatis proxime junguntur Hæretici, Judæi, & Infideles. In crimine hæresis, hi admittuntur in testes contra hæreticum. Quia verò legibus cautum est, hæreticos ad testimonium admitti non debere, testimonium hæretici

pro

pro fideli non admittitur. Si autem hæreticus, sive in carcere, vel alibi, alicui fideli, aut saltem qui pro fideli habetur crimen hæresis imponit, aut socium criminis esse dicat, non quidem facit semiplenam probationem, ut ad capturam possit deveniri, sed tamen indicium, ad inquirendum secretò accedendi. Hæretici vero testimonium (uti dixi) contra hæreticum admittitur, non verò pro hæretico. Idem affirmant de Judæo & infideli, cum autem hujusmodi in testes recipiuntur, jurare debent non super Euangeliis, ut Christiani, sed secundum leges suas.

Pegña in part 3. comm. 117.

Similiter & uxoris, filiorum & familiarium, seu domesticorum, testimonium admittitur contra delatos de hæresi, nullo modo autem si pro delato testentur: per c. *Filii.* de hæret. lib. VI. Rationem cur testimonium consanguinei in causâ hæresis contra consanguineum admittatur, reddit Simancas *tit.* LXIV. § 47. quia à suspicione longius absunt. Imò addunt aliqui, in defectu aliarum probationum, potest etiam judex non tantum fratrem, sed & uxorem, imò & filium cogere, ut testetur contra patrem. Etiam servi contra dominos torqueri possunt.

Carenà part. 3. tit. 5. n. 21.

Porrò & perjuri, si coram Inquisitoribus jurantes se dicturos veritatem, eam celando dejerent, & posteà velint corrigere dictum suum contra se ac alios complices dejerando; si ex manifestis indiciis appareat, eos non animi levitate, neque odii fomite, aut corruptione pecuniæ, sed zelo fidei Orthodoxæ dictum suum velle corrigere, ac quæ prius tacuerant nunc revelare in favorem fidei: uti Alexander IV. statuit, & habetur in VI. Decretal. Licet autem perjuri à testimonio, etiam post pœnitentiam, repellantur, alia tamen est ratio in causâ fidei. Et observant Doctores, secundæ depositioni standum esse, cum quis in secundo dicto revelat hæresin & delictum: Si verò in secundo neget, cum prius de hæresi deposuisset, priori dicto stabitur, non secundo: Adduntque hanc rationem: quoniam ex quo alloqui potuit reum, præsumitur corruptus, & subornatus; ideoque primo dicto erit standum.

Porrò infames in hoc tribunali testes esse possunt, ut meretrices & lenones, testantes de iis quæ gesta sunt in lupanari: Banniti, quos Inquisitores citare possunt coram suo tribunali, eisque concedere salvum conductum, ut in tribunali Inquisitionis tanquam testes examinentur, licet banniti sint à principe sæculari; quia Inquisitor major est quocumque judice supremo sæculari, & in causis fidei liberè, & omni omninò impedimento juris & facti sublato procedere potest: Usurarii, spurii, blasphematores consuetudinarii, lusores consuetudinarii, ebrii penitus non autem vino tantum exhilarati, histriones arenarii vel bestiarii, apostatæ à religione, fustigati, decocti seu falliti, proditores, calumniatores, & prodigi. Illud verò addunt, eos non esse testes omni exceptione majores, eorumque probationem esse semi-plenam: admitti quidem ad probandam hæresin, & ad probandum adminicula substantialia hæresis, qualia sunt familiaritas cum hæreticis, conventicula secreta, & similia; non autem adminicula externa, ut baptismum, qui in hæresi prærequiritur. Præterea, quod ex numero testium suppletur eorum inhabilitas, etiamsi omnes essent inhabiles: imò si numerus sit magnus, ad imponendam pœnam ordinariam: Numerum illum quidam determinant, ajuntque quatuor sufficere ut reus damnetur in pœnam ordinariam: alii numeri illius definitionem Inquisitorum arbitrio permittunt.

Carenà part. 3. tit. 5. § 12.

Hic autem observandum, quod testis, qualiscunque tandem sit, dicens unum extra judicium, non valet dicere contrarium in judicio: unde statur priori dicto, nisi præsumatur hoc dixisse in fraudem: ut si testis vilis fortunæ dixit in præsentiâ partis potentis aliquid quod veniebat in favorem illius, si posteà in judicio præstito juramento dicat contrarium, non debet stari priori dicto, quia præsumitur illud dixisse prius ut placeret parti, sed in judicio metu juramenti dixit veritatem: secus, ubi talis præsumtio non subesset.

Lucerna Inquisit. in voce Testes. § 12.

CAPUT X.

De numero Testium.

Eymer. p. 3. qu. 71. comm. 120. Simanc. tit. 64. § 36. QUod numerum testium attinet; generatim creditur, duos testes sufficere ad plenam hæresis probationem, & ad aliquem condemnandum de hæresi: Verum opus est ut sint fide digni, & omni, quod ajunt, exceptione majores. Hinc est, quod quamvis excommunicati & socii criminis non repellantur omninò, ut ne testimonium ferre queant contra hæreticos, defensores, receptatores, & cæteros omnes suspectos; non tamen plena fides talibus testibus adhibenda est; nisi cum ex verisimilibus conjecturis, ex numero, ex personarum qualitate, aliisque circumstantiis, vera eos dicere perspicuum fuerit. Cap. *In fidei favorem.* de hæret. lib. VI.

Simanc. tit. 19. § 17. & tit. 64. § 55. Testibus etiam annumeratur hodiè index sive denuntiator: Quamvis autem in eâdem causâ nemo esse possit pariter accusator & testis; is tamen qui judicibus hæreticum indicat testis legitimus est. Neque enim (uti ajunt) ullo privato commodo talis testis movetur, sed zelo sanctissimæ religionis ad publicam Ecclesiæ Catholicæ utilitatem, ut hæreticus corrigatur: neque privatim ejus interest hæreticum indicare, nisi ut unius è populo Christiano: quo casu integrum esse ajunt indicis testimonium.

§ 63. Testes plurimi singulares & prorsus diversi perinde sunt, ac si unus tantum testificaretur.

§ 68. Sunt qui ajunt, probari posse testibus singularibus, aliquem hæreticum esse: ut putà si unus testis de quâdam hæresi, alius de aliâ, & alii itidem de aliis hæresibus ejusdem hominis testimonium dixerint; jam probatum erit in genere

§ 70. (ut isti asserunt) hominem illum hæreticum esse. Sed sicut testibus singularibus & diversis non potest probari hæresis in specie; sic etiam probari nequit

§ 73. iisdem testibus aliquem esse hæreticum in genere. Simili modo probari posset, aliquem esse cinædum in genere. Et refert hac occasione facetam historiam Simancas. Cum quidam anno superiori clamaret, dicens: probatum esse in genere testibus singularibus reum esse cinædum, me respondisse memini: Si nefandum crimen probatum est in genere, pœna similiter irrogetur in genere, salvum sit individuum, & cinædus in genere, si libet, comburatur.

§ 75. Duo tamen sunt casus, quibus hæresis testibus singularibus probatur: Prior, cum testes de eâdem specie hæresis testificantur; sed singulares sunt in loco & tempore: hi enim concordant in ejusdem hæresis probatione; locus verò & tempus extraria sunt, nec sunt circumstantiæ necessariæ ad probandam hæresim.

§ 77. Posterior est, cum testes singulares ad eundem finem tendunt, & plures sunt, & fide digni.

Direct. 3. part. q. 71. comm. 120. Pegna verò ait, si plures sint testes singulares, & unus deponit de facto, alter de famâ, unus de visu, alter de auditu, non potest reus condemnari; nec licet cum teste singulari adsit fama de crimine, eaque legitimè probata: potest tamen reis ad arbitrium Inquisitoris purgatio indici, vel alia pœnitentia injungi. Si testentur singuli de diversis hæresibus, & diverso loco & tempore, non probatur esse hæreticus; imò nec plenè probant, licet de eâdem testentur hæresi, non verò eodem tempore & loco. Si autem quis pluribus quam duobus testibus idoneis convincitur, nec vult fateri, exspectandum dicunt aliqui per aliquod temporis spatium, & inquirendum, an inveniri possint testes per omnia concordes; sed prius torquendus est reus, ut, si fieri potest, ex ore ejus veritas habeatur: quod si nihil confiteatur, quia hoc casu non potest videri purgasse indicia per torturam, cum sint multa & urgentissima contra eum, ad abjurationem saltem de vehementi, aut ad canonicam purgationem subeundam justissimè compelletur.

Ve-

Verum tali in casu Inquisitorum arbitrio permittitur, ut procedant, prout expedire videbitur. Quod disertè præcipitur in constitutionibus Domini Albanensis Apostolicæ Sedis Legati, quem conjecturâ assequimur, quo tempore Pauperes de Lugduno, seu Albigenses aliique hæretici partes Galliæ & Lombardiæ infestabant, Legatum Sedis Apostolicæ fuisse constitutum, multasque constitutiones ex Papæ commissione edidisse, tum de pœnis hæreticorum, tum de ordine procedendi adversus eos, quibus Inquisitores privati ad dirimendas fidei causas & controversias fæliciter & utiliter uterentur: quæ exstant in vetusto codice membranaceo bibliothecæ Vaticanæ, & in vetustissimo codice membranaceo Florentino: in quibus inter alia ita definitum est: *Quando verò testes vel diffamatores singulares sunt in dictis, concordant autem in substantiâ, vel in specie rei, relinquitur Inquisitorum arbitrio, ut sicut eis secundum Deum videbitur, sic procedant: maximè si fama consentit, & idoneitas & fides deponentium contra eum, contra quem fuerit inquirendum.* 3 part. comm. 121.

CAPUT XI.

De Testium examine.

Postquam de testibus dictum est, nunc ad eorum accedendum est examen. Cognitis ergo testibus à denuntiatore nominatis, Inquisitor per suum nuntium spiritualem eos vocari curat, ut accedant ad Officium Inquisitionis; qui postquam venerint legitimè examinantur. Primò tactis Scripturis juramentum præstat testis de veritate dicendâ. Posteà per Inquisitorem rogatur, an sciat vel præsumat causam suæ vocationis & præsentis examinis? Si affirmet, interrogatur, quomodò id sciverit? Si neget: interrogatur, an cognoverit, seu cognoscat de præsenti aliquem, seu aliquos hæreticos, vel de hæresi suspectos, aut saltem nominare intellexerit? An cognoscat N.? ex quâ causâ? & à quanto tempore citrà? & an cum eo solitus sit vel fuerit conversari? An aliquando aliquid audiverit à prædicto N. quod concernat religionem Catholicam? An aliquando fuerit in tali loco cum prædicto N. & ibidem dictus N. dixerit vel fecerit talia & talia hæreticalia, vel hæresim sapientia? In quorum præsentiâ N. supradicta dixerit, vel fecerit? Quoties supradicta vidit dici vel fieri, & quâ occasione, & quomodò? An prædictus N. supradicta dixerit jocosè, seu animo indeliberato, aut per lubricum linguæ, aut alicujus vel aliorum hæreses referendo? An odio vel amore ductus aliquid dixerit, quod non erat dicendum, vel omiserit & tacuerit, quod erat explicandum? Monetur porrò ad veritatem simpliciter dicendam; quia si falsa dixisse fuerit deprehensus, ultra perjurii etiam fautoriæ pœnas subibit; & propterea veritatem dicat, & caveat à mendaciis: Quia si per testes fide dignos constaret S. Officio ipsum testem esse conscium eorum super quibus interrogatus fuit, & subticet seu occultat, posset detineri, & cogi ad cavendum, & ad se obligandum de non discedendo à civitate vel loco ubi examinatur, & ad se repræsentandum toties, quoties, & quandocunque ad mandatum Domini, & sub pœnâ ab ipso constitutâ. Ubi ex ore testis, & interrogatoriis generalibus veritas non potest haberi, descendunt Inquisitores Italiæ ad interrogatoria particularia loci, & personæ denuntiatæ, ut ita veritas investigetur. Quibus peractis, testis, injuncto ipsi virtute præstiti juramenti silentio, & quod se subscribat, dimittitur. Omniaque hæc à Notario excipiuntur, & actis processus inseruntur. Paucis hæc comprehendit Simancas *tit.* XLIV. § 11.

Pegna Prax. Inq. lib. 2. cap. 5.

Carena annot. ibid.

„Cum testes ad Inquisitores veniunt, ut contra hæreticos, vel suspectos, te„stificentur, exhortandi sunt atque monendi, ne odio, inimicitiâ, aut alio pra„vo affectu, falsum testimonium perhibere audeant; & prætereà declarandum est

„ est illis, quam grave scelus committant falsi testes omnes, sed hi præcipuè, „ qui de crimine hæresis innocentes infamant. Quod si zelo catholicæ fidei se „ moveri dixerint, scribenda sunt eorum testimonia.

In quibusdam Inquisitionibus mos ille obtinet, ut, antequam reus comprehendatur, testes à denuntiatore nominati post biduum vel triduum iteratò vocentur, & interrogentur: Itaque quando comparet testis, juramento tactis Sacris Scripturis præstito, interrogatur, an aliquid ipsi occurrat dicendum pro ulteriori veritate, ultra ea quæ deposuit in alio suo examine? Et quicquid responderit, Notarius ex ore ipsius excipit.

Quod si ex qualitate testis timeatur ipsum revelaturum causam, silentium illi injungitur sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, unâ pro trinâ monitione præmissâ, & sub aliis pœnis arbitrio S. Officii. Solet insuper ex justis causis quandoque provideri, & mandari testi, vel testibus examinatis, ut de palatio seu domo Inquisitoris non recedant, sine expressâ licentiâ D. Inquisitoris, etiam in scriptis habendâ.

Et eodem prorsus modo examinantur alii testes à denuntiatore in suâ denuntiatione nominati.

Quod si verò denuntiator etiam particeps & socius fuerit criminis, ipseque socios hæreticos denuntians nihil contra se deposuerit, & ex testium vel complicium examine aliquid contra ipsum emergat, ab Inquisitore vocatur, & contra ipsum tanquam reum proceditur: mitius tamen punitur, quia denuntiavit.

In testium examinatione quinque personæ multis in locis debent esse præsen-
81. tes. Prima est judex, hoc est, Inquisitor, seu ejus Commissarius, cujus est te-
82. stes & delatos examinare, formando articulos, & super illis interrogando. Secunda est testis; horum quilibet prius jurare debet de dicendâ veritate, alias depositio careret omni firmitate; idque juxta præceptum Concilii Biterrensis cap. 4. *Ab illis qui sic citati coram vobis infra tempus comparuerint assignatum, recipiatis juramenta, de merâ & plenâ super facto labis hæreticæ, tam de se quam de aliis vivis & mortuis dicendâ, quam noverint, veritate.* Forma juramenti vulgo talis esse solet: *Juro per Deum & crucem, & sacrosancta quatuor Euangelia manibus propriis tacta, me dicturum veritatem: Quod si fecero, Deus me adjuvet; sin autem contra, Deus me*
83. *condemnet.* Tertia persona est scriptor, qui interrogationes Inquisitoris, & responsiones delati seu testis scribat, & in actis inserat. Hic debet esse publica persona, videl. Notarius habens autoritatem, sive laicus, sive clericus, sive religiosus. Quando vero Inquisitor non potest habere publicam personam, seu Notarium, potest sibi eligere duos viros idoneos sæculares, vel ecclesiasticos, qui ambo pariter habeant vim & autoritatem unius personæ publicæ; & isti duo
84. agunt auctoritate Apostolicâ in scribendo. Quarta & quinta persona sunt duo ipsi Inquisitori assistentes, & totius examinis testes: & isti debent esse duæ discretæ personæ & religiosæ, vel alias honestæ. Ubi autem Inquisitor non potest commodè istas duas personas in toto examine testis, vel delati, habere, saltem habere debet in fine depositionis, & tunc legitur depositio per Notarium ipsi deponenti testi, vel delatori, in præsentiâ Inquisitoris, & prædictarum duarum personarum discretarum, & interrogatur, si stat & perseverat in depositione illâ; & eo stante & perseverante, scribitur in actis, quomodo in præsentiâ talium ipsi depositio fuerit lecta, & steterit, & perseveraverit: Idque Eymericus sufficere putat. Hodiè tamen (ut ait Pegna Comment. 112.) majori ex parte processus in sancto tribunali fiunt absque præsentiâ sive interventu istarum personarum, & eos sic factos tolerat supremus Senatus Romanæ & generalis Inquisitionis. Et sanè duæ illæ personæ nullius sunt usus. Prætexitur illos adesse debere, ut tot inspecta oculis, tot insinuata sensibus, falsi suspicionem excludant: & ut loco rei absentis testes cognoscant. uti declarat Simancas tit LXIV. § 8. & 21. Verum quid hoc facit ad defensionem rei, si à personis, reo ignotis, & quibus reo quicquam indicare illicitum est, accusatores sui agnoscantur?

Testium examinatio ab ipsismet Inquisitoribus fieri debet, nec ullo modo est cuipiam committenda, excepto si testes justè sint impediti, & judices ad eos ire neque facilè possint, neque omnino debeant; tunc enim committere poterunt Inquisitores testium examinationem Vicario Episcopi, vel alteri ecclesiastico judici, aut certè alicui perito & prudenti viro, qui tabellione sive secretario causæ testimonia scribente, testes diligenter examinare, ac modum & constantiam, & alias testium & testimoniorum circumstantias ad Inquisitores mittere debet. 1. *Instruct. Hispal. cap.* 17. & 4. *Instruct. Tolet. cap.* 14. Simanc. tit. 64. § 11.

CAPUT XII.

Quomodo rei denuntiati in carcerem mittantur.

QUando periti, seu Consultores convocantur, ut vel super propositionum qualitate, vel pondere probationum & indiciorum, vel super processu aut sententiâ ferendâ, vel aliquo dubio causæ articulo consilium præbeant opportunum, ut totâ actione nil nisi ardentem ac serium pro gloriâ divinâ zelum spirare videantur, solennes ad Spiritum Sanctum preces funduntur, quæ in omnibus ferè congregationibus recitari solent; illas Inquisitores cum Consultoribus genibus flexis recitant. Formula earum hæc est. Pegnæ prax. Inquis. lib. 2. cap. 9.

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter congregati. Veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris, doce nos quid agamus, quò gradiamur, & ostende quid efficere debeamus, ut auxilianti tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, & suggestor, & effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, ut in sinistrum nos ignorantia non trahat, non favor inflectat, non affectio muneris vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, & in nullo deviemus à vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Finitâ oratione respondetur ab omnibus, *Amen.*

Hæc oratio, tempore Carenæ, recitabatur in Inquisitione Cremonæ à Cardinali Camporeo, illius civitatis Episcopo, Inquisitore à dextris in angulo tabulæ, & Vicario Generali à sinistris in alio angulo, & cæteris Consultoribus per ordinem genu-flexis. Si verò solummodò adest simplex Episcopus, tunc in capite tabulæ sedent Episcopus & Inquisitor in æquali omninò sede, in omnibus Italiæ Inquisitionibus: Episcopus autem sedet ratione Episcopalis dignitatis in sede dextro loco positâ, Inquisitor in alterâ.

Precibus hisce peractis, consultat Inquisitor, an criminum, quæ denuntiata & per testes probata sunt, cognitio ad S. Officium pertinet: Quod si dubitet, Theologos Qualificatores advocare debet, qui suffragium quod tulerint, scriptum & propriâ manu subscriptum exhibere debent, ut processui inseratur, tanquam fundamentum jurisdictionis Inquisitoris. Si sint delicta levia, aut propositiones malè-sonantes, scandalosæ vel blasphemæ, vel quibus hæreses formatæ non concluduntur, propter illas non facilè quisquam in carceribus secretis mancipandus est, sed potius in aliquo monasterio, vel propriâ domo seu civitate detinendus. Hæc si negligantur, fieri posset ut Inquisitores causas ad alia tribunalia spectantes sibi usurpent. Ita refert Carena primo die Augusti anni CIↃIↃCXXX. Placentiæ duas mulieres Lusitanas bis sumsisse S. Eucharistiam, & interrogatas cur id fecissent, respondisse, quia intellexerant, quod quoties communicabant toties jubileum, quod portiunculæ vocant, lucrabantur: quas cum fuissent in carceribus S. Officii detentæ, & earum bona sequestrata, Domini Pegna ibid. cap. 7. Annot. ad cap. 7.

mini Inquisitores, cognito causam ad fidei tribunal non spectare, è carceribus dimitti, & earum bona eis relaxari mandarunt. Et hanc consultationem cum peritis etiam commendat Madriliana Instructio anni 1561. *cap. 3. Inquisitores visâ informatione simul, si præsentes fuerint, deliberent de capturâ, quæ magis justa videretur, si fieret cum consilio Consultorum ejus Inquisitionis, si commodè fieri posset, & videretur Inquisitoribus conveniens & necessarium: & quod decretum fuerit, in actis referatur.*

Carena lib. 3. tit. 2. § 6. Ut verò capi quis possit, requiritur ad minimum semi-plena probatio, seu indicia sufficientia ad torturam: quia incarceratio quæ fit ab Inquisitoribus cum captivi infamiâ est conjuncta. Si tamen persona esset aliàs suspecta, ut quia esset de genere Maurorum, & esset denuntiata apud Inquisitores de aliquibus ceremoniis illius gentis, fortasse etiam ex dicto unius testis aliquam exceptionem patientis (judice Carenâ) posset carcerari: quia ex præsumtione, oriente ex illius origine, junctâ depositioni illius testis, coalesceret semi-plena probatio. Refertque ibidem exemplum, quod in Supremo Consilio Inquisitionis Hispaniæ ad delationem unius mulieris minoris annis octodecim capti fuerint duo homines pro hæresi, quia duo illi erant de genere Maurorum, & ceremoniæ, de quibus mulier illa testabatur, erant Mahomethanæ; atque ita contra eos erat præsumtio, quia de genere illo erant. Zanchinus plures & magis distinctè causas, ob quas quis in carcerem conjicitur, enumerat.

Zanch. cap. 10. § 1. „In carcerem conjicitur is contra quem inquiritur, vel quando inquiritur de „tam levi excessu, quod possit committi fidejussoribus, & ipse non det fide„jussores; vel de causâ detestabili & gravi crimine, & exstent probationes jam „factæ contra eum, vel ipse jam est confessus crimen, ita ut sit puniendus pœ„nâ hæretici.

Simanc. tit. 44. § 12. Deliberationes quæ de hisce instituuntur solent deliberationes de rei citatione vocari, citatio autem alia est verbalis, alia realis. Verbalis, quæ fit per literas sive nuntium, tunc demum fieri debet, cum de leviori crimine agitur, vel cùm leviter suspectus est reus: nam si grave crimen sit, & plenè probatum, citatione reali opus est, ne reus fugiat. Citatio hæc verbalis causam continere non debet, propter quam reus citatur; ideoque neque loci, neque temporis, neque delicti declaratio requiritur; sed generaliter illi præcipiendum est, ut se sistat coram Inquisitoribus, quia volunt ab eo quædam scire. Clement. 1. de hæret. Hanc citationem non facilè adhiberi vult Instructio Toletana IV. anni CIↃIↃLXI: quia si talis examinetur, sæpiùs compertum est quod qui solutus suâ libertate utitur non facile sit confessurus se reum esse: & citationes ejusmodi & examinationes potiùs serviunt ad admonendos reos denuntiatos ut sibi caveant, & delictum occultent, quam ad bonum aliquem effectum producendum. Tutius ergo credunt exspectare, ut novæ probationes & sufficientia indicia superveniant. Interim adhibent diligentem aliquem exploratorem S. Officio amicum & fidum, ut vitam & mores, & conversationem illius consideret & exploret.

Realis citatio, sive captura duobus modis decerni solet. In quibusdam Inquisitionibus, ut judicium actore, reo, & judice secundum jurisdictionem constare videatur, Procurator Fiscalis, cui omnia in processu contra reum denuntiatum patuerunt, porrecto libello instare solet ut reus denuntiatus capiatur, & legitimis pœnis afficiatur; illique libello inserit & exhibet testificationem habitam contra illum, & qualificationem propositionum, unde liquere possit legitimè comprehendi debere. Et hæc petitio Fiscalis inseri solet in processu illius, de quo capiendo tractatur. In aliis vero Inquisitionibus usitatum est, ut sine Fiscalis instantiâ Inquisitores perpensis actis de capturâ deliberent, ut quod decreverint executioni mandetur. Decretum verò de capturâ etiam processui solet inseri, addito die, mense, & anno. Attamen si delatus fuerit persona illustris, aut insignis alicujus autoritatis, antequàm capiatur, in Hispaniâ Senatus Inquisitionis est consulendus, ad quem, ut rectè deliberare queat, mittendum est indiciorum

Pegna comm. 107. in 3. part. Direct. Inq.

rum summarium, & delictorum informatio. Id colligitur ex Instructione Madrilianâ anni CIↃIↃLXI. cap. V. *Si Inquisitores de capturâ consenserint, jubeant eam fieri sicut decreverunt: quod si negotium fuerit magni momenti, propter personas insignes, vel ob alias causas, priusquàm suum decretum executioni mandent, Senatum consulant. Ubi verò suffragia non fuerint conformia, res ad Senatum remittatur, ut is provideat quid fieri conveniat.* Verùm hæc tam diligens & exquisita observatio tunc cessabit, cùm vel delati fuga timetur, vel cùm hæreticus est manifestus: tunc enim superioris responsum exspectare judicant imprudens & periculosum.

Postquam decretum est, reum in carcerem esse mittendum, mandatum de capiendo ab Inquisitore subscriptum datur Executori, qui reum capturus est. Mandati formula hæc est. *De mandato admodum reverendi Patris N. Inquisitoris hæreticæ pravitatis, capiatur N. & captus ad carceres Sancti Officii ducatur, non relaxandus sine expressâ licentiâ ejusdem Domini Inquisitoris.* Si plures rei eodem tempore capiendi sint, pro singulis singula mandata executori dantur, ut si necesse sit capturam unius vel alterius rei comprehendendi communicare cum aliquo, qui non fuerit è ministris seu Officialibus S. Officii, captura aliorum secreta remaneat. Mandatum hoc de capiendo totidem verbis, quibus Executori consignatum fuerit, processui rei inserit Notarius. Ubi familiam armatam habent Inquisitores, proprio Executori mandatum hoc consignant. Ubi verò non habent familiam armatam, sed necesse est invocare auxilium judicis sæcularis, curandum est Inquisitori, ut fido Executori, & arcanum sibi concreditum fideliter custodienti, hujusmodi mandata consignet; alias enim si capiendus præmoneretur, facilè fugeret.

In urbe, ubi in carcerem mittendi sunt viri nobiles, Doctores, vel Religiosi, aut alii illustris prosapiæ aut dignitatis, Commissarius Inquisitionis, vel alius minister ire solet ad domos capiendorum; eosque curru exceptos & delatos in carcerem mittit. Alias quando non timetur de fugâ, per specialem nuntium vocatos ad S. Officium venire jubet.

Captum reum, bene custoditum, &, si opus fuerit, catenis constrictum deducet Executor ad carceres Inquisitionis, & custodi carceris consignabit. Custos verò illum in suâ custodiâ recipiet, & leges constitutas circa eum jam carceratum observabit. Quod si de remotis locis quispiam deducendus fuerit, non arbitrantur tutum vel in hospitiis, vel in domibus privatis pernoctare, quia captivus facilè fugam arripere posset: ideoque moneri solet Executor, ut vel ad Episcopos locorum, si adsint, vel ad judices sæculares divertat, & in eorum carceribus reus deponatur & custodiatur. Id per literas suas Executori datas Magistratibus, per quorum territorium reus deducendus est, Inquisitor significat, eosque hortatur, ut Executori necessarium & opportunum auxilium præbeant. Et ne quis se Executori opponere audeat, reusque certò ac tutò capiatur, pluribus eum satellitibus stipatum esse cupiunt. Verùm cautela illa in Hispaniæ civitatibus necessaria non est: quamprimum enim Executor se jussu S. Officii quemquam apprehendere indicat, nemo illi se opponere audet; & si quis id ausus fuerit, statim plebis undique accurrentis, ut S. Officio manum porrigat adjutricem, multitudine ita obruitur, ut, nisi malè mulctari velit, ultrò se Executori capiendum offerre debeat. De hisce omnibus fusè constitutum est Instructione Toletana, anni CIↃ IↃLXI. cap. X. XI. & XII.

CAPUT XIII.

De Captivorum Examine.

QUando reus in carcerem conjectus est, coram Inquisitore sistitur. Locus autem ubi coram Inquisitore comparet, à Lusitanis mensa sancti Officii vocatur. In ejus extremo exstat statua Christi crucifixi, fermè ad tabulatum us- Inquis. de Goa cap. 8.

que elevata : in medio cameræ mensa est, in cujus extremitate, quæ imagini crucifixi proxima est, sedet Secretarius, seu Notarius Inquisitionis. Reus in cameram illam ab apparitore deducitur capite, brachiis, & pedibus nudis; illum sequitur ex custodibus unus : quando ad cameram audientiæ deventum est, primus intrat apparitor, & coram Inquisitore profundam edit reverentiam, mox redit, & reus solus intrat : qui jubetur sedere in scamno, in alterâ mensæ extremitate è regione secretarii : Sedet illi à dextris Inquisitor : in mensâ propè reum est missale, vel Euangeliorum liber : mox reus, manu missali vel Euangeliis impositâ solemni juramento adstringitur ad dicendum veritatem, & servandum silentium.

c. 18.


Pegna Prax. Inq. lib. 2. cap. 14.

Præstito juramento de dicendâ veritate, tam de se quàm de aliis, varia illum Inquisitor interrogare solet. An sciat causam suæ capturæ, vel ex aliquo, aut aliquibus intellexerit? Ubi, quando, & quomodo fuit captus? Si se nescire responderit; An saltem causam possit cogitare? an sciat in quibus carceribus sit detentus, & quâ de causâ homines in illis detineantur? Si dicet, se non posse causam cogitare, scire verò se esse in carceribus S. Officii, ubi detinentur hæretici & suspecti de hæresi; Dicitur illi, cùm sciat captivos illic detineri ex causâ violatæ religionis, quod etiam cogitare debeat, se quoque propter causas easdem detineri; ideoque dicat, ob quam causam credat se fuisse captum, & in carceribus S. Officii detineri. Si se eam cogitare non posse dicat, solet blanda monitio aliis interrogationibus præmitti, commemorando benignitatem S. Officii erga non coactè confitentes, & rigorem juris quo utitur contra renitentes; & comparando alia tribunalia cum S. Officio; quod cum in aliis parata sit executio & pœna delicta confitentibus, in foro Inquisitionis confitentes & pœnitentes mitiùs tractari soleant. Mox in scriptis monetur, illique dicitur, quod Ministri S. Officii neminem comprehendunt, aut comprehendere solent sine justâ causâ : quamobrem ab eo obnixè petitur, eique præcipitur & mandatur ut exactè cogitet & diligenter perpendat actiones suas, conscientiam examinet & expurget à delictis & erroribus quibus fortè tenetur, & de quibus est denuntiatus.

Deinceps rogatur unde originem trahat? qui sint ejus parentes, & majores? ut ita declaret omne suum genus. An aliquis ex prædictis fuerit aliquando à S. Officio captus & pœnitentiatus? Quod præcipuè rogari solent, qui ab Hebræis & Mahomethanis & factiosis originem habent. Ubi fuit enutritus? in quibus locis habitavit? & an patriam mutaverit? Quarè locum nativitatis mutavit, & se in alium transtulit locum? Quibuscum in prædictis locis fuerit conversatus, & quorum amicitiâ ac familiaritate usus fuerit? An cum illis, cum quibus se conversatum dixit, aliquando de rebus religionis sermonem habuerit, vel illos de religione loqui audiverit? & quo in loco, & quando, & quoties, & de quibus rebus, seu de quâ materiâ loquerentur? Hæc potissimùm rogantur illi, qui creduntur vafri & callidi, & non facilè dicturi veritatem, ut ex genere, patriâ, educatione, disciplinâ, tempore præterito, societate, amicitiâ, moribus & verbis non levia suspicionis argumenta hauriat Inquisitor. Et maximè hæc observantur, cùm examinantur rei, qui habitaverunt in terris Schismaticorum, Hæreticorum, aliorumque infidelium & errantium, quorum mores facilè creduntur sequi, qui diu inter ipsos habitaverunt.

Porrò rogatur, cujus sit professionis, seu quod vitæ genus sectetur? An sit dives, vel pauper? quantum habeat in reditibus, & cujus expensis vivat? Tum mandatur, ut rationem vitæ suæ reddat, & quid à pueritiâ ad hoc usque tempus fecerit. Ut id explicet, rogatur, quibus in locis seu civitatibus, & quibus studiis literarum operam dederit? Quos præceptores habuerit? quorum nomina edere debet. Quas artes didicerit? Quos libros legerit, & habuerit? & an impræsentiarum habeat libros de religione tractantes, & quos? An aliquando in aliquo tribunali, vel in tribunali S. Inquisitionis fuerit examinatus, vocatus, vel

in



Mensa Inquisitionis.

in aliquo judicio constitutus, vel processatus, & ex quibus causis, & an secuta fuerit absolutio, vel condemnatio, & per quem judicem, & quo anno? An unquam fuerit excommunicatus, & ob quam causam? & an postea fuerit absolutus, vel condemnatus, & ex quâ causâ? An singulis annis sit solitus sacramentaliter confiteri peccata sua, & quoties, & in quâ Ecclesiâ? Tum jubetur edere nomina tam Confessariorum, quàm illorum è quorum manibus Eucharistiam accepit, & maximè à decem annis, & citrà. Quas orationes sive sacras preces recitet? An habeat aliquos inimicos? & exprimat nomina ipsorum, & dicat causas inimicitiarum.

Si hisce, & hujusce generis pluribus interrogationibus, vel paucioribus, inductus reus palam confessus fuerit veritatem, peracta erit ejus causa; cùm protinus innotescat, quem exitum sit habitura.

Si verò omnibus hisce adhibitis interrogationibus, captivus in negativâ persistat, dicatque, se nescire cur vocatus aut in carcerem missus sit; Inquisitor ait, cum ex dictis ejus appareat ipsum nolle patefacere veritatem, nec constet ipsum tales habere inimicitias, nec tales exstare odii causas, per quas aliqui moveri potuerint aut debuerint, ad ipsum calumniosè ac falsò denuntiandum, quod major oriatur suspicio, veras esse posse testificationes habitas in S. Officio contra ipsum: & propterea monitus & per viscera misericordiæ Jesu Christi adjuratur, ad meliùs & meliùs cogitandum, & ad veritatem ingenuè confitendam, dicatque an in prædictâ materiâ, ad fidem & S. Officium spectante, verbis & factis erraverit, vel suspectum se aliis exhibuerit. De hisce cautum est Instructione Toletanâ anni CIↃ IↃLXI. cap. 13, 14, 15, & 16.

Omnia hæc interrogatoria reis præposita, & eorum responsa & dicta, prout proposita fuerint, & prolata, à Notario fideliter & per extensum scribenda sunt: & si reus scribere noverit, subscribit; sin minus, apponit signum crucis.

Si istiusmodi interrogatoriis generalibus Inquisitor è captivo non potest elicere confessionem criminis, de quo delatus est, descendit ad interrogatoria particularia, quæ concernunt materiam, sive delicta aut hæreses, de quibus reus fuit denuntiatus: putà, si accusatus fuerit quod negaverit purgatorium, post unum, duos, aut tres dies post primum examen, denuò ab Inquisitore interrogatur; An ultra ea, quæ ipse dixit in alio suo examine occurrant ipsi aliqua dicenda, & quæ? An meliùs cogitaverit, & recordari potuerit causam suæ carcerationis, & examinis præteriti, & an saltem habeat aliquam suspicionem, à quonam deferri potuerit ad S. Officium, & super quibus rebus? An unquam audiverit loqui de Paradiso, Purgatorio, & Inferno? Quid de illâ materiâ audiverit? Qui sint illi quos audivit de materiâ illâ tractantes, vel disputantes? Quid ipse super hoc aliquando sit locutus? Quid ipse crediderit & etiamnum credat de Purgatorio? Si respondeat, se rectè de eo credidisse, & neget se malè credidisse, sed quod credit & docet Sancta Mater Ecclesia; præcipitur ei, ut dicat; quid de eo sentiat, & credat Sancta Mater Ecclesia Romana. cap. 15.

Et habitâ ejus responsione, monetur ut bene advertat dicere veritatem, & caveat à mendacio, quoniam contrarium contra ipsum testimoniis comprobatum habetur, videlicet, quod de Purgatorio loquens talia & talia dixerit; & recitantur ipsa verba, quæ ab eo dicta fuisse deposuerunt denuntiator & testis. Atque ita successivè in eodem, vel alio examine, simili modo interrogatur de singulis articulis, de quibus est denuntiatus: ut si, verbi gratiâ, dixerit, simplicem fornicationem non esse peccatum, aut licitum esse invocare dæmones, iisque sacrificia offerre; aliaque his similia. Hæc omnia Notarius, perinde uti in primo examine, excipit, & captivus illis subscribit.

Si responsa captivi cum prioribus responsis non conveniant, iterum atque iterum examinatur, &, ut in sequentibus dicetur, ad ulteriora remedia proceditur. Attamen, quicquid scribant Doctores Pontificii, diu admodum se incertos relinqui, de quibus criminibus delati sint; Inquisitores verò ex ipsorum ore velle eli-

cere confessionem criminis, cujus se conscios ignorant: quod sanè callidè excogitatum est, ut si forte quispiam quædam dixerit, Romanæ Ecclesiæ fidei non consentanea, & de quibus forte non est delatus, ea etiam proferat, quoniam incertus est, ob horrendum quod ibi servatur secretum, cujus criminis accusatus sit: vel ut quædam falsò sibi attribuat, ut è squallido carcere liberetur; & non nisi post diuturnam detentionem sibi revelari ajunt accusationes, ut ita tædio diuturni ac horrendi carceris fracti omnia, etiam quæ nunquam ipsis in mentem venerunt, confiteantur.

Si captivus causam suæ detentionis cognoverit, & apertè fateatur omnia quæ de ipso Inquisitori delata sunt, laudatur, ipsique spes fit præproperæ liberationis; Si quædam fateatur, alia verò divinare nequeat; laudatur quod propositum se accusandi conceperit; additurque adhortatio, per viscera misericordiæ Jesu Christi, ut eodem pede pergat, reliquaque quorum accusatus est ingenuè confiteatur, ut sic experiri possit benignitatem & misericordiam, quâ tribunal hoc uti solet erga eos, qui per sinceram & spontaneam confessionem veram criminum suorum pœnitentiam testantur. Si agatur non de hæresi formali, sed de sortilegio aliquo qualificato, aut dicto hæreticali, captivusque fateatur factum, vel dictum, neget verò intentionem hæreticalem, ut illius etiam eliciant confessionem, omnem Inquisitores conatum adhibere solent. Ac primò inquirunt, an factum illud vel dictum semel, an pluries commissum sit? Si pluries, non facilè acquiescunt reo affirmanti bonam intentionem & credulitatem: quia quò pluries prolata fuit propositio hæretica, eò major oritur suspicio, quod illius intentio & fides sit vulnerata.

Annot. Ibid.

Magnâ etiam cautione uti Inquisitores monet Carena, cum Sacerdotes reos sollicitationis examinant; ne suis interrogationibus inducant Confessarios ad revelationes eorum, quæ cadunt sub sigillo: Dicitque accidisse in quâdam Inquisitione, quod transmisso processu ad Sacram Congregationem, & hoc per illos Eminentissimos Patres animadverso, jussa fuerit delere omnia, quæ fumum fractionis sigilli redolebant.

cap. 16. Intra primos decem à capturâ dies, monitiones hæ ab Inquisitore ter repeti solent. Attamen in Inquisitorum arbitrio est plures adhibere monitiones, & examina, præsertim quando credunt captivos recusare ex malitiâ veritatem patefacere; aut non recordari eorum, de quibus denuntiati sunt. In supremo Inquisitionis Romanæ foro rei non tantùm ter, sed & quinquies, & septies quandoque in Auditorio sunt constituti, examinati, & moniti; & quandoque ter intra decem dies: alii verò, præsertim juvenes de gravibus criminibus delati, ter tantum examinati & moniti sunt. Unde has quasi regulas eliciunt. I. Cum accusatus fuerit captus, examinabit & interrogabit eum frequenter Inquisitor super his quæ negat, & sunt probata, vel sunt suspiciones vehementes contra eum: quousque amplius nolit fateri, fatendo vel negando, & in causâ sit conclusum. II. Tunc expedit pluries reum monere & interrogare, quando vel objecta crimina negat, vel partim negat & partim confitetur, vel nova superveniunt indicia & probationes. III. Arbitrio Inquisitorum relictum est, quoties debeat reus constitui, moneri, & examinari; & in dubio tutius est pluries admonere & examinare. IV. Quamvis nullo certo jure cautum reperiatur, & intra primos decem dies à capturâ tres monitiones fieri debeant, tutum tamen est, ut paulò postquam in carcerem rei missi sunt, constituantur in auditorio, moneantur, & interrogentur, & alia examina fiant intra paucos dies, dum memoria est recens. Sed verò praxis hisce monitionibus directè adversatur: pluribus enim annis captivi in Inquisitionis carceribus detinentur, & non raro integer annus elabitur, priusquam post tres monitiones adhibitas denuò examinentur.

CA-

CAPUT XIV.

Quibus artibus Inquisitores è captivis Confessionem elicere studeant.

EXamina hæc & monitiones Inquisitores repetunt, quotiescunque ipsis visum fuerit; non enim certo monitionum numero adstricti sunt. In hisce autem examinibus, maximo artificio utuntur Inquisitores, ut è captivis eliciant criminum, de quibus delati sunt, confessiones. Et quamvis dicant, Inquisitionem potius esse prudentiæ quam artis, varias tamen suggerunt præceptiones, & artificia, quibus in inquirendo utendum sit, ipsique uti soleant. Pegnæ prax. lib. 2. c. 19.

Primò hoc exactè observant, ut quotiescunque rei judicialiter interrogantur, toties tactis sacrosanctis Scripturis jurent se dicturos veritatem, ut semper juramentum depositionem præcedat. Idque etiam in testibus observant. Imò licet examen sit interruptum, & sequens non sit nisi prioris continuatio, non tamen illud inchoatur, nisi prævio juramento. Prætereà Inquisitores semper reos admonent & hortantur, ut simpliciter, plenè, & verè fateantur, quicquid contra Catholicam fidem commiserunt, & ut caveant, ne contra seipsos, aut contra quoslibet alios falsum testimonium dicant. Non debent reis præbere occasionem immodestè & intemperanter agendi, aut convitiandi: Neque, dum confessionem ex reorum ore habere cupiunt, eis promittere vel impunitatem, vel plenam liberationem; ne vel promittendo, quod fortassis præstare non poterunt, mendaces arguantur; vel rei sub eâ spe confiteantur, quæ fortassis nunquam perpetrarunt. cap. 20.

Non debent esse negligentes & desides in omittendo interrogare, quæ ad causam ipsam, & articulos in judicium deductos pertinent: nec etiam nimis molesti & imprudentes interrogando de impertinentibus, vel ad causam non spectantibus. Cæterùm si reus respondendo ad legitimas interrogationes fundatos in legitimis indiciis occasionem dederit de aliis interrogandi, si ea non sunt prorsus inepta & extra causam, super illis poterit interrogari propter indicium quod ipsemet dedit in suâ responsione. Et sic aliquando in hoc tribunali ex hujusmodi reorum responsionibus ajunt ad magna quædam detegenda aditum aperiri.

Diligentissimè autem caveri volunt, ne ex interrogationibus detegantur testes contra reum deponentes, ob favorem fidei: ne forte rei contra testes conspirent, atque ita pauci reperirentur, qui hæreticos, vel suspectos denuntient, aut contra illos testimonium perhibeant. Si verò reus confiteri cœperit, & liberè veritatem dicere, illum Inquisitor impedire, perturbare, aut interrumpere non debet; nec etiam ejus confessionem abrumpere, tametsi alia negotia peragenda instent, aut tempus elapsum sit: Quoniam, inquiunt, sæpe compertum est eos, quorum interruptæ fuerunt confessiones, posteà vel noluisse amplius fateri, vel quod semel confessi sunt, revocasse.

Si ex responsionibus rei oriatur aliquod dubium consideratione dignum, quod scire oporteat, quomodò illud intellexerint denuntiator & testes, iterum illi vocandi & examinandi sunt: ex. gr: an captivus quod dixit, dixerit joco, an seriò? an referendo aliorum dicta, an ex propriâ mente & sententiâ aliquid asserendo. Sed hic Inquisitor cavere debet, ne iterum examinando depositionem, vel testes, quicquam indicet, unde depositor vel testes colligere possint quid reus confessus fuerit; sed ita interroget, quasi pro suâ informatione ea scire cupiat. cap. 18.

Hæ sunt præcipuæ cautelæ, quas in reorum examinibus observari mandant: Quas omnes sollicitè admodum & exactè observant Inquisitores, quantum eliciendis quascunque volunt confessionibus ex reorum ore inservire possunt. Quate-

tenus vero sublevandis reis inserviunt, facilè, ubi commodum ipsis videtur, & negotio suo expedire credunt, negliguntur. Ut confessionem eliciant, in initio blandi sunt, & intimam benevolentiam præ se ferunt: ipsisque commendatur, ut dum rei audiuntur, interrogantur & examinantur, illos benignè tractent; & meminerint se homines esse, qui, nisi Dei gratiâ munirentur, in eadem aut similia delicta incidere possunt; prætereà ne rei, licet plebeji & ignobiles, stantes exaudiantur; sed sedere jubeantur: Si rei, dum quædam confitentur, vel in initio, vel in progressu examinis, ita dolore moveantur, & pœnitudine afficiantur, ut lachrymas emittant, vel flexis genibus, aut junctis manibus, aut pectora tundendo, judicum misericordiam implorent, & errati veniam petant, omnes has circumstantias per Notarium actis processûs inseri jubent.

Sed verò, si captivi non confiteantur ea, de quibus delati sunt, uti sæpissimè contingere potest; vel quia delationes falsæ sunt; vel quia non meminerunt, præsertim si jam aliquot anni elapsi sunt, & fortè per inadvertentiam quædam in familiari sermone enuntiata, quæ minimè præmeditata fuerunt; longè alia inquirendi instituitur ratio, omniaque, quæ captandis & irretiendis miseris ac squallore carceris jam fatigatis reis inservire possunt, adhibentur, non usquequaque semper monitis modò commemoratis consentanea. Quam praxin nobis egregiè descripsit Eymericus in Directorio Inquisitorum, part. 3. Illam autem hic exhibere operæ pretium est, ut sic modus contra captivos in carcere Inquisitionis procedendi distinctiùs & pleniùs cognoscatur.

Juxta Eymerici itaque Directorium, Inquisitores non interrogant omnes de iisdem; nec eodem ordine; sed occasionem & modum inquirendi arripiunt vel ex accusantium & denuntiantium dictis, vel ex testium responsis, vel ex his quæ experientia docuit, vel ex his quæ proprii ingenii acumen aperit: crebróque modum examinandi variant; ne, si modum ordinarium ac regulam generalem rei prævideant, eum etiam præcaveant & evitent.

n. 87. Si aliqui errores suos apertè fateantur, in iisque persistunt, eosque defendere cupiunt; per viros literatos de crimine hæresis convincuntur: ostenditur namque eorum dogmata ab Ecclesiâ Romanâ esse damnata, atque eo ipso hæretica: & quia dogmata sua coram Inquisitoribus pertinaciter defendunt, hæretici esse judicantur.

Sed si errores suos pandere nolunt, sed potiùs ambiguis responsionibus tegunt, varias adhibet Inquisitor artes, ut eas detegat. Nam quantum fieri potest, apertè eos interrogat, in singulis interrogationibus singulas, non plures simul, proponit, & ad singulas compellit attentè reum respondere: si adhibeat reus responsiones obscuras & dubias, jubetur eas, priusquàm ad alia progrediatur, declarare: si disputare velit, nullam cum eo Inquisitor init disputationem; sed solummodò interrogat & examinat. Aliquando benignè alloquitur, simulat se compati ejus miseriæ, hortatur ut dicat veritatem, quam se scire simulat, spe aliquâ injectâ gratiæ & dimissionis si fateatur, quia solet sacrum Inquisitionis officium misericordiam exhibere illis, qui sponte delicta sua, quamvis gravissima & maxima, confitentur: & blandè eum alloquitur: „Non formides securè confiteri, si fortè credideris illos bonos esse homines, qui ista & ista docebant: adhibuisti eis fidem, & libenter audiebas eos, & dedisti eis de substantiâ tuâ, vel aliquando recepisti eos in domum tuam, vel fecisti eis confessionem, cùm esses homo simplex, & diligens eos, quos putabas esse bonos homines, & malum nescires de ipsis: hoc enim posset contingere multò sapientioribus quàm tu es, & sic deciperentur. Ego compatior tibi, video te delusum simplicitate; & licet habeas aliquam culpam, majorem habet qui te instruxit: dicas mihi veritatem, quia vides me totum negotium scire, ut possim te statim liberare, & tibi gratiam facere. Hisce præmissis, eum porrò interrogat, non tam de ipso facto, quàm illius circumstantiis, ut alter credat factum ipsum jam illi esse cognitum.

(Margin: Comm. 22.; 100. Comm. 23.)

101. Si sciat Inquisitor illum, qui factum suum negat, per testes esse convictum, præ-

prælegit illi dicta testium, suppressis nominibus, ita tamen, ut se per testes convictum cognoscat, & non intelligat qui sint deponentes. Si sciat eum per testes non esse convictum, & secundum indicia ipsi videtur verum esse, quod contra eum deponitur, Inquisitor accipit processum, eum revolvit, & dicit: manifestum est te non dicere veritatem, sed ita esse prout ego dico; dic ergò veritatem clarè; ut sic reus credat, se convictum esse, & sic apparere in processu. Aut scedulam in manu habet, ex quâ legere se simulat, quæ eâ non continentur, & tum quasi admirans dicit, quomodò tu potes negare? nonne clarum est mihi? Hic autem sibi cavent, ne ad specialia descendant, ex quibus reus facilè posset colligere, Inquisitori causam suam, prout præ se fert, non esse notam: sed tantum proferant id quod sibi certum est, & de aliis tantùm in genere loquantur. Aliquando etiam Inquisitor simulat sibi aliò abeundum esse, neque se, nisi post longum temporis spatium, rediturum; dicit se compati captivo, velle se eum expedire, itaque suadet ut fateatur; aliàs ipsum in carcere cum compedibus debere remanere usque ad suum reditum, quem nescit quando futurus sit: ut ita captivus diuturno tetri carceris squallore territus præ tædio fateatur. Et sanè in libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ exstant quorumdam exempla, qui aliquot annos continuos in carcere fuerunt, antequàm sententia in illos lata fuit: atque ita hodiè in carcere Inquisitionis, qui in Hispaniâ præsertim & Lusitaniâ valdè teter est, ut lib. 11. cap. 18. dictum est, aliquot annis captivi detinentur, ut tandem fateantur. Aliquando multiplicat interrogatoria, & captivum fatigat, ut modò hoc, modò illud fateatur, vel etiam varius deprehendatur. Si posterius hoc contingat, ostendit captivo varietatem in responsionibus, monetque ut verum fateatur, aliàs quæstioni ac tormentis ipsum exponendum: Et si fateri nolit, de peritorum virorum consilio (ut mox indicabitur) quæstioni exponit, ut per tormenta verum exquirat.

102. 103. 104.

Si nec sic captivi confessionem elicere potest, in cibo & potu eum humaniter tractat, procurat, quod viri aliquot de fide nullo modo suspecti ad eum intrent, & frequenter de diversis rebus & ad causam suam minimè pertinentibus loquantur, & tandem illi persuadeant, ut sibi confidat, & consulant ut veritatem fateatur, promittendo Inquisitorem ipsi gratiam facturum, seque futuros Mediatores. Tandem cum eis Inquisitor intrat, & promittit ipsi facere gratiam, si verum fateatur: Nam totum est gratiosum quod fit pro conversione hæreticorum, & pœnitentiæ sunt gratiæ & medelæ. Si itaque delatus petit gratiam, & fateatur errorem suum, dicit, fiet tibi gratia amplior, quàm petis; & non nisi verbis generalibus gratiam promittit; nam quamcunque posteà faciendo, quantumvis minimam, fidem datam adimplebit. Et quando se facturos gratiam spondent, de his pœnis solùm intelligitur, quæ in eorum arbitrio positæ sunt, quales sunt multæ pœnæ pœnitentiales; nam eas quæ à jure sunt sancitæ remittere ipsi non possunt. Quin & docent, non obstante prædictæ gratiæ promissione, quòd pœnas pœnitentiales & arbitrarias imponere possint; quoniam si post longum tempus, & assiduas monitiones, quandoque post tormenta, eâ gratiâ promissâ, rei delictum confitentur, jure & justè poterunt, omissis levioribus pœnis pœnitentialibus graviores imponere, sufficit enim unam aut alteram remittere, ut datæ fidei, quantum licet, fiat satis.

106. Pegna Comm. 23.

Et blandis istiusmodi pollicitationibus nonnunquam incautiorum animos expugnant; sed mox ubi scopum à se intentum attigerunt, omnium illarum promissionum obliviscuntur: cujus illustre exemplum nobis exhibet Reginaldus Gonsalvius: „In primo illo incendio, quod ob religionem Hispali (anno nem- pag. 81. & seqq.
„pe 1558. vel 1559.) fuit excitatum, inter complures alios capta fuit pia quæ-
„dam matrona, cum duabus filiabus virginibus, & nuptâ jam ex sorore nepte.
„His torturas omnis generis constantiâ planè virili superantibus, quibus ut con-
„fratres in Christo perfidiosè indicarent ab eis quærebatur, & imprimis ut alia
„aliam deferret, Inquisitor accersiri sibi alteram è filiabus ad audientiam jubet:

„ibi

„ ibi solus cum solâ orationem consolatoriam opportunam sanè, neque nimis brevem instituit. Eâ finitâ, puellam in suum carcerem remisit. Hoc ipsum iteravit posteà per dies aliquot, singulis videlicet diebus advesperascente jam die eam ipsam ad se adduci faciens, ibique detinens, edocens modò quantoperè de ipsius afflictionibus doleret, modò alios jucundos & urbanos sermones intermiscens familiariter plus satis. Hæc omnia (ut eventus ipse docuit) eò tendebant, ut postea quàm puella ovinâ simplicitate sibi persuaderet eum calamitate suâ verè atque ex paterno animo affectum, consulturumque ut parentem quæ e re & salute suâ, matris, & sororum, forent, in illius fidem totam se conjiceret. Itaque exactis in eâ familiari confabulatione diebus aliquot, in quibus jam ipse cum eâ ploraverat illius calamitatem, eique ediderat omnia commiserationis argumenta, quibus de earum ærumnis se affectum testaretur, atque item omnia bonæ voluntatis indicia ad eas, quoad posset, depellendas; quum, inquam, agnovit puellam jam deceptam, suadere ei incipit, ut & de se, & de matre, & sororibus, & amitis, quæ nondum erant captæ, indicaret, jurejurando ei pollicens, ut si bonâ fide aperiret ipsi, quicquid eâ de re nosset, initurum se rationem, quâ omnibus illis malis occurreretur, & ad suas domos eas demum remissurum. Puella, ut erat simplicissimo ingenio, Patris fidei promissionibus & suasionibus allecta, incipit nonnulla ad piam doctrinam pertinentia, quæ inter se conferre erant solitæ, illi declarare. Accepto fili capite Inquisitor egressum ipsum è labyrintho dextrè prosequi cœpit, puellam ad audientiam sæpe vocans, ut juris ordine ea quæ deponeret exciperentur, illi usque persuadens eam demum justam rationem fore, quâ malis omnibus medendum esset. In postremâ audientiâ, renovat illi promissiones omnes, quibus anteà ei fuerat pollicitus libertatem, &c. At quo tempore puella exspectabat præstanda promissa, Dominus Inquisitor cum suis asseclis, animadversâ artis virtute, quâ, quod tormentis anteà non potuissent à puellâ extorquere, jam ex parte essent assequûti, ad ea exprimenda quæ putabant superesse, tormentis cum eâ rursus agere decernunt, quæ & tulit omnium sævissima, ad trochleam scilicet & ad burrum, quousque veluti in torculari ab eâ expresserunt quas venabantur, tum hæreses scilicet, tum personarum delationes: detulit enim præ ingenti cruciatu puella & matrem, & sorores, & complures alios, qui capti & posteà torti, cum puellâ porrò ipsâ igni fuerunt traditi.

107. Si hac viâ non succedat, permittit Inquisitor aliquem ad captivum intrare, illi non ingratum, qui cum ipso loquatur, &, si opus fuerit, fingat se de sectâ ipsius adhuc esse, sed præ metu abjurasse, ac veritatem Inquisitori prodidisse. Cum captivus illi confidit, denuò ad eum intrat serâ vesperâ, & sermones cum eo protrahit; tandem fingit, serius esse quam ut abire possit; totâ ergo nocte cum eo manet in carcere, ut simul colloquantur, & captivus inducatur alloquio alterius, ut sibi mutuo confiteantur quæ commiserint. Intereà extra carcerem loco congruo aliqui stant, auscultantes & verba eorum colligentes, &, si opus fuerit, Notarius cum iisdem.

Gonsalv. p. 95. Ita quidem suo tempore faciendum docuit Eymericus. Nunc verò, qui ita insidiosè quippiam ejus quod concupierat è concaptivis collegit, custodem carceris vinctos pro more invisentem orat, ut audientiam sibi dari petat, ut moris quoque est vinctos agere, atque ita è carcere egressus muneris sui rationem redditurus, non indicat modò quod inter vinctos audivit, verùm etiam, quo vultu vincti exceperint quæ eis de doctrinâ proposuit, hilarine, an subiracundo, &c. etsi nullum ab eis tulerit responsum; quidve de ipsis sentiat; atque istius demum delationes probatissimi testimonii, ac nullam exceptionem ferentis vim habent, etsi homo alioqui sit nihili, nullius fidei, vel existimationis.

Ejusmodi homines solent vocare Muscas, eosque ex hoc uno facilè agnosci ac deprehendi ait Reginaldus Gonsalvius Montanus, quod ut plurimum ipsi ad ejus-

ejusmodi colloquia sese ingerant, haud à quoquam provocati, incipiuntque vel intempestivè ejusmodi sermones de doctrinâ excitare: Monetque, prudenter facturos captivos, si concionari eum siverint vel ad lassitudinem, nullo dato responso

Qui hodie Inquisitionis Hispanicæ & Lusitanicæ carcerem experti sunt, alium modum confessionem è captivis eliciendi narrant: videlicet, Inquisitor subornat aliquem, qui quasi ex se & propriâ sponte captivum alloquatur, qui tum hortetur, ut Inquisitori dicat veritatem, quia homo est misericors: & similia bona verba. Idque hodiè præsertim fit in Hispaniâ & Lusitaniâ contra Christianos novos, quos vocant. Si quis se Catholicum affirmet, & Judæum neget, neque sufficiente testium numero convictus sit, subornatur aliquis, qui ipsi suadeat ut confiteatur: Si se innocentem protestetur; alter regerit, se similiter in carcere fuisse, sed innocentiæ suæ protestationem nihil sibi profuisse: an malit perpetuus carceris esse incola, & ab uxore liberisque exclusus miseram trahere vitam, quàm confessione criminis dimissionem suam redimere? aliaque plura, quibus sæpe inducuntur captivi, ut non tantùm vera, sed & ficta crimina confiteantur. Quando hac ratione captivi constantia oppugnata, & tantùm non expugnata est, ad se eum reduci jubet Inquisitor, ut coram ipso criminis confessionem edat.

Jure meritò autem hic miratur Reginaldus Gonsalvius, esse homines adeò satanico ingenio præditos, qui ejusmodi officiis operam suam ultrò locent, vel tanto cum suo dispendio, qui ut fiant porrò voti compotes, duorum vel trium etiam mensium arctissimum carcerem non morentur vincti cum vinctis, atque molestias illas omnes carceris, tum famis, tum sordium & pedoris, quas vincti inviti ferre solent, libenter ferentes; &, quod magis miremur, ex uno carcere egressi è vestigio alium ingrediantur, atque inde tertium, bis, ter, quater, easdem usque molestias repetituri, ac in eo demum deliciarum orbe transacturi vitam. p. 95.

Hisce examinationibus factis, si captivus nihil confiteatur, in carcerem reducitur, ibique aliquando per integrum annum asservatur, antequàm denuo coram Inquisitore sistatur. Interim si quis audiri velit ab Inquisitore, & quædam confiteri, potest leviter carceris sui ostium pulsare, & custodem carceris, qui ab apparitoribus monitus captivum adit, rogare, ut ad Inquisitorem adducatur.

Si reus ad interrogationes sibi in judicio factas respondere nolit; aut respondet quidem, sed per verba incerta, & dubia, nempe, nescio, non recordor; oblitus sum; aut quando quidem respondet super facto principali, sed super circumstantiis substantialibus ad ipsum delictum pertinentibus respondere recusat, modò tales sint, de quibus eum recordari verisimile est, torqueri potest, ad habendam præcisè responsionem affirmativam, vel negativam: quia non solent pro crimine hæresis comprehendi rei sine legitimis indiciis, plus quàm semi-plenâ probatione. Idem fiet, si rei dementiam simulent. Aliquando etiam macerantur carcere & jejunio.

Et ut ostendant in suo tribunali mitiùs, quam in aliis procedi, addunt; in aliis tribunalibus reo, quando de proprio facto accusatur, non dari tempus ad deliberandum, an velit cedere vel contendere, sed statim cogi ad respondendum: In hoc verò tribunali, ubi benigniùs scilicet & mitiùs cum reis agitur, non tantùm reo petenti tempus conceditur ad respondendum; sed etiam sæpe monetur, & quasi invitatur, ut meliùs cogitet, & curet facta & dicta sua ad memoriam revocare, ut vera possit respondere: & ad hunc potissimùm finem toties examinatur & interrogatur. Sed illa clementiæ species eum in finem adhibetur, ut reus, qui, si per duos consentientes testes convictus est, certus est si in negativa persistat, se tanquam negativum sine ullâ misericordiâ condemnandum, & curiæ sæculari tradendum, tam horrendi supplicii metu crimen sibi im- Pegnæ prax. lib. 2. cap. 21. n. 5.

impactum confiteatur; atque ita vel pœnitens reconcilietur impositis sibi pœnæ pœnitentialibus; vel impœnitens tradatur curiæ sæculari vivus comburendus. Vel si confessionem factam revocaverit, non legitimè & plenè per testes convictus, atrocissimè torqueatur, utpote qui suâ confessione contra se indicium dederit sufficiens ad torturam: ac proinde si torturæ succumbat, & confessionem edat, tanquam hæreticus plectatur: si tormenta superet, pœnitentias salutares, tanquam hæreseos suspectus, pro Inquisitorum arbitrio, sustineat.

Pegna cap. 22. Quotiescunque rei vel testes, sive in primâ, sive in aliis Audientiis examinantur, finito examine, antequàm ab Auditorio recedant, Inquisitores præcipiunt Notario, ut clarè & distinctè illis prælegat suas depositiones; ut statim rei, vel testes, possint addere, demere, corrigere, vel mutare quod ipsis libuerit; ut error, si quis esset, removeatur, qui aliàs removeri non posset. Nam si postquàm reus aut testis recessisset ab Auditorio, vel aliàs ex intervallo vellet dictum suum corrigere, vel mutare, id ipsi non permitteretur. Ideoque & Notarius in fine examinis scribit, depositionem fuisse reis, vel testibus prælectam: additque quicquid reus vel testis addiderit, demerit, mutaverit vel emendaverit.

cap. 23. Quod si præter depositionem denuntiatoris & testium à denuntiatore nominatorum, alia haberi possunt, ulterius inquirunt Inquisitores, ut testimonia validiùs confirmentur. Idque potissimum fit, quando testes, vel reus, inter examinandum alios nominant, tam pro quàm contra se. Tum enim, si præsentes sint, eos advocari curat Inquisitor, & interrogari: si verò absentes sint, nec tutum vel facile sit illos vocare, ad Inquisitorem vel Episcopum, in cujus diœcesi reperiuntur, scribit, ut ab illis secretò vocatis & interrogatis requirat veritatem; & quicquid invenerit fideliter & secretò sibi transmittat. Id definitum est à Concilio Narbonensi cap. XXII. *Ita tamen, ut Inquisitores cæteri, quicquid de illo nosse poterunt, & inquirant nihilominus, & scribant Inquisitoribus illis, quibus idem culpabilis sit adstrictus.*

CAPUT XV.

Quomodo captivis concedatur Advocatus, Procurator, & Curator.

QUando processus huc usque continuatus est, & omnes in judicio summario receptæ sunt informationes & probationes ad causam facientes, & reus plenè examinatus est, si reus confiteatur crimen, nullus defensionibus est locus, nec ad testium repetitionem proceditur. Si verò perstat in negativâ sibique petit confessiones concedi, sive præsumatur de ejus innocentiâ, sive pertinaciâ, ad sui defensionem admittitur, & omnia præparantur, ad processum instruendum. Quoniam itaque per testes convinci debet reus, testium repetitio facienda est. Ne verò reo videatur sui defensio denegari, ipsi conceditur Advocatus & Procurator. Non autem reo licitum est, sibi qualemcunque vult Advocatum aut Procuratorem eligere, nec Advocato ulli licitum est hæretico patrocinari sub infamiæ pœnâ, cap. *Si adversus nos.* de hæret. Sed ipsi ab Inquisitoribus datur Advocatus, qui juramento Inquisitoribus obstrictus est. Quandoque etiam reo alius Advocatus, si petat, concedi solet. Qualitates in Advocato requisitæ sunt hæ: ut sit probus, & de legalitate non suspectus, vir utriusque juris peritus, & fidei zelator, ac ab hæresi minimè imbutus; idque prout nunc in Hispaniâ observatur, postquàm tres monitiones factæ fuerint reo, ut liberè veritatem fateatur. In his qualis ritus observari debeat, & quæ Advocati in defendendo reo sint partes, cautum est Madrilianâ quâdam Instructione a. 1561. cap. 23. *Inquisitor vel Inquisitores reum admonebunt, quantum suâ intersit fateri veritatem; quo facto, nominabunt ad suam defensionem Advocatum, vel Advocatos à Sancto Officio huic rei destinatos: & in præsentiâ cujuslibet ex Inquisitoribus reus communicabit cum eo, & de consilio Advocati vel verbo vel scripto respondebit ad accusatio-*

(Direct. part. 3. Comm. 28.)

tionem. Advocatus verò priusquàm suscipiat defensionem rei, jurabit se bene ac fideliter eum defensurum, & custoditurum secretum in his quæ audiet ac videbit, etiamsi juraverit cùm primum assumptus fuit à Sancto Officio ad hoc munus exercendum. Advocati partes erunt, admonere reum ut veritatem confiteatur, pœnitentiamque petat pro culpâ, si quam habet: responsio verò Fiscali notificabitur, seu intimabitur.

Paulò plenius id, referente Simancâ, definit Quarta Instruct. Toletana. Advocatus autem reos defendere nequit, nisi id ei ab Inquisitore permissum fuerit. Is autem jurare debet, causam illam bonâ fide se defensurum; & justis duntaxat exceptionibus usurum, & quandocunque cognoverit injustam esse causam, id imprimis ipsi reo, deinde Inquisitoribus denuntiaturum, & injustam causam deserturum. Postremò jurabit arcana celaturum, & nulli ea proditurum. *Quarta Instruct. Toletana cap. 4.* Forma juramenti, quod Advocatus præstare debet, hæc est. *Ego N. utriusque juris Doctor, constitutus coram vobis R. P. Sanctæ Inquisitionis N. contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus, tactis per me sacrosanctis Dei Euangeliis coram propositis, juro ac promitto N. carceratum in carceribus hujus sancti Officii reum inquisitum, ex causis de quibus in actis dicti S. Officii apparet, cujus patrocinium mihi commissum fuit, sincerè & fideliter, semotis quibuscunque cavillationibus & fraudibus, defendere, & ejus causam tueri, eundem principalem meum ad veritatem in judicio tacendam non instruere, & quatenus cognovero dictum principalem meum esse reum, convictum criminis, seu criminosum, de quo, vel quibus, est inquisitus, patrocinium hujusmodi dimittere, nec non quatenus in causæ hujusmodi perquisitione habuero notitiam alicujus complicis, vel alterius culpabilis in causâ hujusmodi, quantò citius dicto Officio revelare polliceor atque promitto, sub pœnâ perjurii, & excommunicationis, à quâ non nisi ab hoc S. Officio absolvi possim. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Euangelia.* Juramentum hoc à Notario scribitur, & actis processûs inseritur. Stipendium ex bonis fisci datur Advocatis, ut pauperum causas defendat, quod perexiguum quidem esse solet, sed honorificum. Si verò rei pauperes non sint, merces Advocatis ex bonis eorum est tribuenda. *prima Instruct. cap.* 16. Ea quæ Advocati allegant, reo præsente, perinde habenda sunt, ac si ab eodem reo proferantur, nisi fortè Advocatus erraverit, & reus intra triduum contradixerit. Sed in causâ hæresis, etiamsi post triduum de errore aut imprudentiâ advocatorum constiterit, reo nocere non debet, quia (scilicet) simpliciter & summâ æquitate in hoc judicio agitur, rejecto legis rigore. Si reus conficta crimina esse dixerit; consulit ei Advocatus, ut vel falsos testes rejiciat, vel justam aliquam exceptionem ac defensionem excogitet; paratumque se esse dicit, ad justam ejus causam tuendam.

Simancas de Cathol. Instit. tit. v. §. 1, 3.

§ 6, 7, 8.

Concessus etiam reo olim fuit Procurator: Cæterùm, rarò nunc admittuntur Procuratores, quia Advocati sufficiunt, & munus Procuratorum subeunt: imò ajunt Inquisitores verius videri reorum Procuratores, cum officio eorum fiant reorum defensiones. De iis ita legitur in Instructione Madriliana a. 1561. *cap.* 35. *Quamvis instructio disponat dandos esse reis Procuratores, tamen dari non debent, quia experientia docuit, multa incommoda inde solere provenire; & ob modicam utilitatem, quam rei inde consequuntur, non est in usu ut ampliùs dentur: quanquam aliquando ob magnam necessitatem solet concedi Advocato, ut reos defendat.*

Pegna Comm. 28.

Si tamen rei sint minores viginti quinque annis, dantur illis Curatores, quorum autoritate defendantur, ne vel ob imperitiam, vel ob juvenilem ætatem aliquid taceant, vel dicant, quod si fuisset prolatum, vel non dictum, prodesse eis posset. De illis eadem Instructio cap. xxv. ita cavet. *Si reus fuerit minor viginti quinque annis, priusquam accusationi respondeat sibi dabitur Curator, cujus autoritate ratificabit confessiones factas, & formabitur totus processus: sed Curator non sit ex Officialibus S. Officii, & potest esse Advocatus ejus, vel qualibet alia persona gravis, fidelis, & bonæ conscientiæ.* Hic Curator tactis sacrosanctis Euangeliis coram Inquisitore juramentum præstat, *non defendere carceratum calumniosè, nec instruere ad veritatem in judicio tacendam; sed tamen juxta formam sacrorum Canonum & stylum*

S. Officii fovere; & quamprimum habuerit notitiam illum esse hæreticum, & pertinacem, desistere à prosequutione causæ & à patrocinio illius: Casu autem quo S. M. Ecclesiæ se reconciliare voluerit eum adjuvare; & si aliquem, seu aliquos, in prosequutione causa hujusmodi pro complice seu culpabili scire contigerit, eum & eos revelare, nec processum illius, nec contenta in eo, minusque merita causæ hujusmodi directè vel indirectè, aliquo pacto cum aliquâ personâ, nisi cum ipso principali, aut ejus Procuratore vel Advocato tractare, sub pœnâ perjurii, ac excommunicationis latæ sententiæ, à quâ absolvi non possit, nisi ab hoc S. Officio, & eo casu cum expressione causæ, propter quam motus fuit ad contraveniendum hujusmodi ejus juramento.

CAPUT XVI.

Quomodo captivi ab Inquisitore rogentur, an velint testes habere pro ritè examinatis & repetitis.

Pegna cap. 4. COncesso Advocato, & quandoque etiam, si id reus petat, Procuratore, solet Inquisitor interrogare reum, an velit testes contra se examinatos habere pro ritè & rectè examinatis, & legitimè repetitis? Si respondent, se velle ut testes repetantur, quia vult eos examinari cum suis interrogatoriis, & arguere de falso; mandat Inquisitor, ipsi dari copiam articulorum à Procuratore Fiscali ordinatorum ad effectum formandi interrogatoria: præfigitque ipsi trium dierum terminum, ad dandum interrogatoria. Si respondent, velle se deliberare, & consulere suum Advocatum vel Procuratorem: Etiam ipsi datur copia articulorum à Promotore Fiscali formatorum, ad effectum meliùs deliberandi. Si remittat se ad juris dispositionem; perinde est, ac si respondisset, se velle testes repeti: quia de jure testes recepti in judicio summario regulariter non probant, nisi in plenario parte citatâ reproducantur, & repetantur super interrogatoriis reorum, ut suas testificationes & depositiones ratas faciant. Si respondeat, quod se remittat ad arbitrium Inquisitoris; non debet Inquisitor tale arbitrium recipere, ne ipsi postea objici possit, quod abstulerit reo legitimam defensionem: Quare eum remittit ad arbitrium sui Advocati aut Procuratoris. Si respondeat, se habere velle testes contra se deponentes pro ritè & rectè examinatis, & legitimè repetitis, salvis tamen exceptionibus contra personas & eorum dicta in defensionibus deducendis, id à Notario in actis scribitur. Sed licet reus testes pro legitimè examinatis habeat, tamen adhuc Inquisitores curare debent, ut formaliter repetantur: Quod tunc maximè requirunt, cùm vel de testium morte timetur, vel de eorum absentiâ diuturnâ: tunc enim lite non contestatâ testes recipi poterunt. Id pleniùs deducit Simancas; „In causâ hæresis, in quâ inqui-
Simanc. §15. §22. „sitio indicis officio fieri solet, testes recipiendi lite nondum contestatâ. Vigi-„lare autem debet Promotor Fiscalis, & instare, ut testes coram Religiosis vi-„ris dicta sua repetant, & testimonia iterent, ne fortè moriantur antequàm lis „contestetur. Judices autem hoc denegare non debent, ne probationes pereant; „sed quæcunque justa & probabilis causa esse videatur, testes iterum producen-
§23. „di & ratificandi sunt. Justa autum est causa testes repetendi ante litem conte-„statam, si testes ægri sint morbo gravi, si diu abfuturi sint, si reus ipse est ab-„sens, aut præsens quidem, ed nondum comprehensus, neque in carcerem con-„jectus; denique, si testes curiæ sæculari relinquendi sunt. Similia habet Tit. „44. §23.

CAPUT XVII.

Quâ ratione Promotor Fiscalis exhibeat libellum accusatorium.

POstquàm Inquisitor informationem, prout narratum est, recepit contra reum sibi denuntiatum, Procurator Fiscalis in quibusdam Inquisitionibus præsentat in judicio, præsente reo, libellum accusatorium, continentem capita delictorum, de quibus reus fuit delatus, quem exhibet Inquisitori. Hujus libelli forma ubique non est eadem. Eymericus in Directorio Inquisitorum hanc suppeditat. Pegna cap. 29.

Ego N. Officii sanctissimæ Inquisitionis Fiscalis, coram vobis Reverend. Inquisitore judice delegato in causis fidei contra hæreticam pravitatem, criminaliter accuso N. qui cùm sit Christianus baptizatus, & velut talis apud omnes habitus, à fide Catholicâ recessit, & ad pestiferam hæresim Manichæorum, ac aliorum hæreticorum, talem videlicet, & talem, impiè accessit; prædicans, scribens, componens, firmiterque asserens multa dogmata hæretica, erronea, scandalosa, & valdè suspecta, in approbationem, & laudem præfatæ hæresis, & hæreticorum, quos velut magistros imitatur. Aliam tradit Jacobus Simanc. in tit. de accusationibus, cujus hæc sunt verba.

Accuso N. qui cùm sit Christianus baptizatus, multas hæreses credit, & docuit, speciatim autem hanc, & illam: ,, quibus enumeratis, concludit Promotor Fiscalis, petens ut N. tanquam hæreticus pertinax puniatur, & pænas gravissimas hæresis ,, poscit.

Aliam ampliorem libelli accusatorii formam nobis exhibet Ludovicus à Paramo, Hist. Inquisit. lib. III. quæst. IX. n. 21.

Illustres admodum ac Reverendissimi Domini.

Ego Doctor, vel Licentiatus N. Promotor, & Advocatus Fiscalis hujus almæ Inquisitionis, ut meliùs de jure possum, ac debeo, compareo coram Dominationibus vestris Reverendissimis, & præmissis solennitatibus de jure requisitis, ac necessariis, criminaliter accuso N. Oppidi seu civitatis N. diœcesis N. Regni N. & narrando facti speciem, dico, quod cum prædictus N. esset Christianus, & baptismalibus aquis ablutus, & Christi charactere insignitus, atque communi æstimatione talis reputatus, & omnium opinione sic appellatus, vel cùm reperiatur talis, & in possessione, vel quasi Christiani esset, simulque Christianorum exemptionibus ac immunitatibus gaudens, & eorum privilegiis utens, & uti debens, neglecto timore Christi Salvatoris nostri, & spreto rigore justitiæ hujus sanctæ Inquisitionis officii, fecit & dixit aliquid hæreticum, & ut hæreticus plura alia, ex quibus præsumitur, & debet præsumi prædictum N. fidem, & eam credulitatem seu virtutem credendi quâ fuit donatus in sacrosanctis baptismi, & confirmationis sacramentis, amisisse, & (quod pejus est) illum indubitatam fidam adhibuisse illis erroribus, quos falsi illi, ac impii Martinus Lutherus, Calvinus, Mahumetes, & alii hæresiarchæ adstruxerunt, & quia id sibi persuasum fuit, posse quempiam æternam gloriam his erroribus comparare, speciatim eum accuso.

Ac primùm jam ferè duobus annis elapsis (ut reor) præfatus N. cum esset in certo loco civitatis, sive oppidi N. præsentibus venerabilibus ac discretis viris N. dixit atque protulit aliqua verba hæretica, sive suspecta de hæresi, vel fecit illud tale quod sapit hæresim, indicans manifestè se ita sentire, solam (videlicet) fidem sine operibus satis esse ad salutem, & gloriam æternam consequendum; vel Mahumetem illum nuncium veri Dei fuisse, legesque ab eo latas sufficere, ut quis salvari valeat, & salvetur. Quamobrem quidam ex circumstantibus, iis attentè auditis, eum graviter reprehendit: è contra ipse adductis aliquibus sacræ Scripturæ locis, ac repentè allegatis, ut suam impiam ac hæreticam fulciret opinionem, mutato atque contempto germano sensu ac genuinâ intelligentiâ, suo arbitratu præalle-

allegata loca interpretatus est, & contra Romanæ Ecclesiæ Vulgatam editionem, & canonicè receptam sententiam tenaciùs suo adhærebat errori: his quoque non contentus, plura argumenta in medium adduxit, quibus suam adstrueret, & confirmaret hæresim, quam firmiter tenet, credit, & defendit, ex quo manifestò deducitur illum proculdubio esse hæreticum.

Prætereà prædictus N. curans in dies suum dilatare errorem, suo lapsu minimè contentus, summo studio, & solicitudine gravi, hoc, vel illo loco, die tertiâ, vel quartâ mensis N. sua pestifera dogmata alios (munus magistri obiens) ex animi sententiâ docuit, auditoresque suos tandem dogmatizans fefellit, ac à veritate Catholicâ deviare fecit, ita ut in frequentioribus colloquiis suos errores omnibus sit conatus persuadere.

His addo, hac suspectâ doctrinâ, fidei adversâ, & suo facto, vel dicto minùs recto aliis circumstantibus morum probitate, religione, vitâque satis honestâ præstantibus, manifestam præbuisse occasionem ruinæ, quinimò scandalo à fide Catholicâ deviarunt, & ejus dogmatibus fidem adhibuerunt.

Prætereà prædictus N. accusandus venit, eò quòd is spirituali commodo, suæque conscientiæ parùm prospiciens, signo crucis se signare nescit, & (quod pejus est) Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & alia id genus omninò ignorat.

Adhæc accedit aliud quidpiam non minùs grave, & magnam ingerens suspicionem, videlicet repertum fuisse in ejus domo librum, vel codicem quendam, vel chartam dogmata, & errores nefarios Lutheri, Buceri, aut aliorum hæreticorum continentem, vel legem à Mahumete editam, quæ omnia ab eo occultè servata, & publicis edictis, ac Ecclesiasticis censuris prohibita, non levem conjecturam depravati cordis inducunt.

His accedit, quod cum alias ad misericordiam fuerit receptus, quia suos confessus fuerat errores, simulque reconciliatus, ac sanctæ matris Ecclesiæ (quæ pietate maternâ ad se confugientes non despicit) gremio unitus, aut de vehementi abjuraverit, præmittens talibus erroribus se non assensurum, sub pœnâ relapsi, in eosdem iterum devolutus est. Quæ omnia simulatè, fictè, ac pravâ intentione fugiendi supplicii causâ callidè fecit, ac libenter præstitit, quod apertè comprobari videtur, ex quo iterum, sicut canis ad vomitum, ad eosdem, & similes rediit errores, ut sufficiente probatione constat. Quo fit, ut pœnæ relapsorum sit obnoxius, quam infligendam illi jure peto, simulque vestram Dominationem, vel Dominationes, hortor, ut tanquam membrum jam penè mortuum, ac influxûs capitis Ecclesiæ, scilicet Christi, minime capax, abscindatur, & à fidelium consortio ejiciatur, separetur, & secludatur, ne sit aliis fluctuandi in fide occasio, & totam massam corrumpat: & quoniam Ecclesiæ (cujus misericordia fuit indignus) nihil ampliùs restat agendum, expellatur ab eâ in modum arboris infructuosæ, & sterilis, & tandem judici sæculari tradatur.

Prætereà eum accuso, quod cùm ex Saracenorum familiâ originem traxerit, eique fuerit à vestris Dominationibus vetitum ac interdictum, ne his coüteretur, neve in eorum domibus vesceretur, mandatum istud contemnens, clam est allocutus, & locis suspectis secretò in eorum se colloquia insinuavit.

Insuper eum accuso proptereà quòd verbis scandalosis, & novis opinionibus in publicis concionibus usus est; non satis ædificans populum, imo ansam errandi contra receptam sanctorum Patrum doctrinam, & Scholasticorum placita temerè præbuit. Quid? quod hæc omnia vanitate motus, superbus, elatus, & arrogantiæ plenus docuit? vigilanter studens recedere à Catholicâ, & ab omnibus receptâ veritate, ut singularis opinionum ac dogmatum singularitate videretur, ac unus, & autor talium inter omnes dignosci posset. Quamobrem constanter exposco, ut omnia à se concione prolatâ recantet, & sententiam publicè mutet, saltem in scandalosis & malè sonantibus, & ambigua alia, quæ dubitationem præ se ferunt, quo sensu ea intelligat, statim declaret, ut deinceps scandalo sit nemini, ac denique munere concionandi, nullâ intercedente morâ, privetur.

Tandem, quoniam ex pluribus à se dictis, & minùs consideratè prolatis præsumi potest, vel præsumitur, supra dictum reum fortassis asseruisse, vel dixisse alia repugnantia Catholicæ fidei, & fidem adhibuisse multis aliis erroribus, ut hæreticum, & Apostatam, &

licet

licet de eis modò non accuso, nihilominus eum accusare in causæ progressu contendo; tum etiam fortassis novit alios complices hæresibus infectos, & maculatos in hoc, vel alio D: N: Regis regno, noluitque illos denunciare, ne pœnis afficerentur. Hos etiam noviter, quantum de jure possum, denuncio & accuso, ut eâdem pœnâ puniantur.

Quapropter vestras Dominationes oro, ut prædictis omnibus, aut eorum parti, quoad sufficiat, fide habitâ, prædictus N. vestra sententia declaretur, & condemnetur, tanquam hæreticus relapsus, impœnitens, negativus, fictus, simulatus, confessus, pertinax, perjurus, incorrigibilis, simulque ei infligantur pœnæ statutæ, jure communi, legibus pragmaticis, atque Instructionibus hujus Sancti Officii, & aliis quibuslibet, quomodolibet ab eo incursis: & tandem (ut moris est) brachio seculari tradatur. His addendum est, prædictum reum sententia excommunicationis esse ligatum, & eidem obnoxium, ex quo bona omnia mobilia, & immobilia ad ipsum quocunque titulo pertinentia, actiones etiam ac jura à die commissi criminis veniunt applicanda, & adjudicanda fisco D: N: Regis, ac tandem contractus penitus, & omninò rescindendi, & denique omnes ejus filii, nepotes masculinâ lineâ ab eo descendentes, usque ad secundam generationem, declarentur inhabiles, indigni, & incapaces ad quælibet officia, & dignitates obtinendas.

Quod si omnia hæc à me proposita, & in hoc gravissimo tribunali considerate dicta, testibus ita comprobata non fuerint, ut tanquam hæreticus statim puniatur, satis sint ut torturæ subjiciatur, quâ palam veritatem prædictorum aperiat, & errores patefaciat, de quibus accusatus est.

Tandem Deum, & hanc sanctam Crucem testor, me accusationem hanc non ex odio, aut alio pravo cordis affectu suscepisse, sed eo tantummodò animo, ut delicta puniantur, & bono Reipublicæ consulatur, quæ ut ex animi sententia cedant vestrum Officium Sanctum imploro.

Licentiatus, aut Doctor. N.

In supremo foro Generalis Inquisitionis Romanæ, Procurator Fiscalis loco libelli, dat positiones & articulos, delicta continentes.

Promotor autem Fiscalis, præsente eo quem accusat, in scriptis judici accusationem offerre debet, & propriâ voce literas suæ accusationis legere: statimque jurare solet, accusationem illam à se malitiosè editam non esse, sed ut suum officium faciat, quia objecta crimina probare intendit. „Sufficit autem hic, ut ait l. 4. c. 7. § 11, 12.
„Brunus, qualem petitionem offerri, quæ exclusâ solemnitate juris nudam in„tentionem petentis continet. Et valet in hoc processu petitio, etiamsi nullam „petitionem contineat, aut etiam ineptam; modò ex narratione deprehendatur „intentio petentis.

Hic autem observat Reginaldus Gonsalvius, quando accusatio ex scripto proponitur, eam ordinariè complura atque conficta gravamina continere; quæ neque reo ipsi unquam venerunt in mentem, neque de quibus illum quisquam apud Inquisitores unquam detulit: idque hos præcipuè in fines; primò, ut multitudine ac gravitate criminum confictorum obruentes miserum hominem, attonitum reddant, ut sui ipsius impos nesciat ubi sit, aut quò se vertat, quidve respondeat: dein, ut tentent, si fortè accusatus ex intentatis criminibus quodpiam admittat; aut saltem, si de illorum quopiam possint cum eo verba conserere, unde in nassam trahi possit. Et hæc verè dici, neque in odium Inquisitionis esse conficta, facilè liquet ex historiâ Inquisitionis Goanæ; cujus autor homo Pontificius, narrat, cùm sibi capita accusationis à Promotore Fiscali prælegerentur, inter alia iis hoc fuisse comprehensum, quòd esset accusatus & sufficienter convictus, quod parum reverenter esset locutus de summo Pontifice, & contra illius autoritatem. Ad quam accusationem respondit, sibi planè non constare, quod eo modo, prout accusatione continebatur, de summo Pontifice locutus fuerit: interim si nexum totius sermonis ipsi aperiant, confessurum se sincerè ac bonâ fide, quicquid dixisset. Cùm denuò coram Inquisitore adductus esset, & Promotor Fiscalis eandem accusationem repeteret, noluere ipsi sermonis

monis sui seriem & nexum aperire, neque posthac hæc accusatio repetita fuit, neque ulla illius mentio facta est in ipsius processu, cùm illius sententia publicè in actione Fidei prælegeretur: Unde colligit, fuisse hanc falsam accusationem, & eum solummodò in finem confictam, ut ex ipso quippiam expiscarentur.

Simanc. tit. 44. § 22. Accusationis copia reo fieri solet, cui protinus per articulos respondere debet, ejusque responsum à tabellione coram Inquisitoribus illicò scribendum est. Quod si adhuc negaverit, Advocatus ei datur, qui ferè nihil aliud facere solet, quàm ea, quæ in accusatione continentur, negare, ac simul asserere, reum esse & semper fuisse Catholicum, idque ex pluribus ejus piis rectisque operibus evidenter constare, & apud omnes existimationem ejus integram optimamque semper fuisse. Deinde concluditur, & ad probationem eorum, quæ utrimque allegata sunt, terminus à judicibus præfinitur, intra quem Promotor Fiscalis testes iterum producit, & reus suas defensiones probat.

CAPUT XVIII.

De formatione & exhibitione interrogatoriorum à reis datorum.

AD sui defensionem parandam, reus etiam sua interrogatoria dat, petitque ab Inquisitore, ut super illis testes interrogentur, quod si superflua, vel dolosa interrogatoria dederit, vel tendentia ad detegendum denuntiatores, vel ad involvendum & intricandum testem, vel ad veritatem occultandam, vel ad detegendas tales circumstantias, ex quibus posset reus devenire in cognitionem denuntiatoris vel testium, potest eas Inquisitor resecare.

Hoc autem, uti docet Simancas *Cathol. Instit. tit. LXIV. num.* 10. locum non habet in Inquisitionibus Hispaniæ, ubi non admittuntur interrogatoria rei ad testes Fisci; sed illic Judex ex officio diligenter perscrutari debet fidem, vitam & mores testium. In Italiâ verò, uti docet Carena *part.* 3. *tit.* 7. § 11. in omnibus Inquisitionibus contrarium observatur; atque ita fieri oportere, evincit Carena hac ratione: *Quod ex non editione nominum & testium satis trunca & manca redditur defensio reorum in hoc tribunali, absque eo quod aliud novum speciale inducendo, magis adhuc trunca & manca eadem defensio reddatur, ex omissione interrogatoriorum istorum ex parte rei.*

Pegna lib. 2. cap. 31. Solent autem in Italiâ reorum Advocati petere, ut testes examinentur & rogentur de suâ patriâ, ætate, conditione, statu, exercitio; an videlicet sit dives, vel pauper, Clericus vel laicus, religiosus regularis vel sæcularis, uxoratus vel solutus, pater familias vel filius familias? An sit civis vel incola illius civitatis ubi causa agitur? quo tempore ad eum locum venerit? an semper in eo degerit? quibus negotiis operam dederit? an propriis vel alienis expensis vivat? An in nullo unquam judicio, vel extra, ad favorem alicujus, vel contra aliquem, deposuerit medio juramento ea quæ vera non erant? An in aliquam excommunicationem unquam inciderit, & quâ de causâ, & quo in loco? An ipse, vel parentes, ejus fuerint aliquâ infamiâ notati, interdicti, excommunicati, & inhabiles ad testificandum declarati? An hoc anno tempore Paschatis peccata sua sit confessus, & cui Confessori, & in quâ Ecclesiâ? & an pariter sumserit sacramentum Eucharistiæ, & per manus cujus Sacerdotis, & quibus præsentibus? An aliquando fuerit inquisitus, accusatus, vel processatus de aliquo crimine, vel criminibus, & de quo, vel quibus, & an fuerit subsecuta absolutio, vel condemnatio, & per quem judicem? An ipsi fuerit aliquid dictum, promissum vel remissum, aut concessum ad hoc ut testaretur contra aliquem, vel ad hoc ut aliquid generale vel particulare diceret in suo examine, & an speret vel speraverit ex depositione aliquod commodum, & quale? An cognoverit, vel cognoscat N. & à quo primum tempore, quo in loco, quæ fuit causa cogni-

gnitionis, & an sæpe cum illo fuerit conversatus, & quibus de rebus sermonem cum N. habere consueverit, & an eo tempore, quo primùm eum cognovit, haberetur pro bono & Catholico Christiano, & homine bonæ conscientiæ, & Deum timente? Deinde ad articulos deveniunt; & quæri volunt de contestibus, de anno, mense, diē, loco & horâ, ubi & quando prædictus N. hæresin protulerit? an ex animi sententiâ, deliberatè & seriò loqueretur, vel potius aliorum verba referendo? & quæ verba præcisè locutus fuerit? Et quæ alios articulos spectant.

CAPUT XIX.

De repetitione testium, & falsorum testium pœnâ.

VOcati autem à judicibus testes diligenter perscrutari & interrogari debent: ac primùm eis dici solet, numquid sciant quorsum vocati sint? Qui si responderint, scire aut suspicari, se vocatos esse propter illam causam, in quâ testimonium coram eisdem judicibus perhibuerunt; tunc iterum ab eis quæritur, an meminerint ejus, quod in eâdem causâ testificati sunt? &, an id verum sit? &, utrum velint addere, detrahere, mutare, aut corrigere aliquid? Interim autem quicquid responderint scribendum est fideliter à Notario: deinde iterum examinantur, & priora testimonia illis ostendi non solent, ut planiùs veritas aut mendacium ex illorum constantiâ aut inconstantiâ deprehendatur. Demum hæc ratificatio coram judicibus & tabellione, ac duobus religiosis ac discretis personis fieri debet. Nam cùm pars ipsa, cujus interest, adesse non potest, ejus vice intervenire debent honestæ personæ. Simanc. tit. 41. § 23.

Quod si posteriora testimonia cum prioribus congruentia non fuerint, tunc testibus legi debent priora testimonia, & interrogandi sunt, cur illa tam variè dixerint, & modestè monendi, ut in veritate persistant: postremò, quicquid responderint, scribendum est; & testes varii ac vacillantes in custodiam mittendi sunt; &, si id causa deposcit, torquendi & puniendi. § 24.

Testis qui juravit se celaturum testimonium suum, & posteà illud ante publicationem retexisse convincitur, à judicibus justo arbitrio potest condemnari, ut publicam poenitentiam agat; vel pœnam pecuniariam solvat; vel in exilium abeat, vel deridendus publicè trahatur, vel fustibus cædatur. Quod si criminis qualitas id fortè deposcit, ad triremes etiam condemnari poterit. Simanc. tit. 64. § 83.

Si testes manifestè deprehendantur esse falsi, ab Inquisitore pro meritis puniri possunt. Est autem falsus testis ille, qui dicit mendacium, exprimendo falsum; & etiam ille, qui supprimit seu celat veritatem. Et si Inquisitor testem deprehendat esse manifestè falsum, potest unà cum Episcopo eum punire. Ita cautum est rescripto quodam Leonis x. anni Domini 1520. ubi multa capitula per Inquisitores regni Arragoniæ observanda continentur: inter cætera unum id est, de quo nunc agimus: *Et quod si aliquis testis falsum deponeret in dicto Inquisitionis officio, per judices ecclesiasticos, ordinarios diœcesis in quâ falsum hujusmodi committeretur, & per dictæ pravitatis Inquisitores, in eâdem diœcesi pro tempore deputatos simul; ita ut alius sine alio procedere non posset, punietur.* Direct. part. 3. comm. 122.

Et refert Eymericus casum, qui Tholosæ accidit a. 1312. quod pater deposuerat contra filium crimen hæreticæ pravitatis, & postmodum revocavit. Sententia exstat n libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, fol. 42. Putant tamen Doctores, quia de eo nulla lex exstat, quod non sit talis tradendus Curiæ sæculari, sed quod ex misericordiâ ipsi vita sit concedenda. Leo tamen x. diplomate directo ad Adrianum Cardinalem generalem Inquisitorem Hispaniæ, a. 1518. plenam concedit facultatem pœnis qualibus Inquisitori videtur condemnandi, & absque alicujus pœnæ seu censuræ Ecclesiasticæ metu aut irregularitatis no- Direct. part. 3. § 73. comm. 122.

tâ tradendi vel relaxandi curiæ sæculari, *omnes & singulas personas cujusvis status, gradûs, ordinis, dignitatis & conditionis, quas in crimine hæresis legitimè constiterit falsum scienter deposuisse, aut alium ad falsum deponendum, aut verum tacendum induxisse, vel quempiam ob perhibitum veritatis testimonium, vel propter falsum non attestatum occidisse, aut membro aliquo mutilasse, aut bonis suis omnibus vel majori parte illorum spoliasse, aut spoliari fecisse*; &c. Quod eo solum casu fieri oportere credunt, quando testes formalem hæresin imposuerunt, & reus velut negativus & impœnitens ob eorum testificationes traditus fuit curiæ sæculari, & ultimo supplicio affectus. Quando verò falsus testis sponte se detulit, & misericordiam petivit, antequàm is contra quem deposuit traderetur curiæ sæculari & ultimo supplicio afficeretur, parcendum illi judicant, & vitam quidem concedendam, sed gravissimam imponendam pœnitentiam. Quod accidit in exemplo isto Tholosano, contra Poncium Arnaldi de Pujolatus falsum testem in crimine hæresis contra filium, crimen suum agnoscentem, & Inquisitoris misericordiam implorantem, qui condemnatus est ad perpetuum muri carcerem, in quo quamdiu vixerit in pane doloris & aquâ angustiæ faciat pœnitentiam salutarem: prætereà, ut cum duabus linguis rubeis unius palmi & dimidii in longitudine, & trium digitorum in latitudine, ante in pectore, & duabus inter spatulas pendentibus, ligatis manibus elevatum in scalâ ante ostium Ecclesiæ Cathedralis St. Stephani, illo ipso die & sequenti, à summo mane usque ad nonam, in loco eminenti absque aliquo velamine capitis in tunicâ sine zonâ, ita quod à circumstantibus palam & cognoscibiliter possit videri, publicè commorandus statuatur.

Et quod eodem modo ponatur & stet ante portas Ecclesiæ Beati Saturnini Dominicâ subsequente; & aliâ proximâ Dominicâ ante portam Ecclesiæ demuratæ: quodque in omni veste suâ superiori portet perpetuò dictas linguas, sine quibus prominentibus & apparentibus extra vel intra domum aut carcerem non incedat, & eas reficiat si rumpantur, & renovet si & quando fuerunt vetustate consumptæ. Et quâ horâ de scalâ descenderit, sine dilatione se ad carcerem muri juxta castrum Narbonense transferat & includat, ibidem perpetuò moraturus. Similis sententia legitur contra Joannem de Salvetate falsum testem, fol. 83. b. & 84.

Contra falsos testes sententia palam pronuntiatur, quoniam in publicum spectaculum producuntur, & immani facinore coram populo patefacto, qualis eorum fuerit conatus & flagitium disertis verbis detegitur, & cur ita puniantur ratio redditur, & omnibus innotescit. Quod si leviter nocuerint falsi testes, mitiùs puniri solent: nam cum hæreticis redeuntibus, & aliis pœnitentibus ipsi quoque in publicam fidei actionem, seu publicum spectaculum infami mitrâ induti producuntur, publiceque eorum delicta leguntur, inde fustibus seu verberibus cæsi, vel in exilium vel in triremes etiam solent, aut aliâ extraordinariâ pœnâ coerceri.

Raro tamen falsi istiusmodi testes puniuntur pœnâ aliquatenus gravitati criminis ipsorum proportionatâ, procul dubio, ne nimium homines à testimonio ferendo deterreantur. Autor historiæ Inquisitionis Goanæ refert nobis memorabile exemplum cap. 32. de Josepho Pereira de Meneles, à quodam inimico suo, sed qui se reconciliatum simulavit, Inquisitioni delato tanquam Sodomitâ: inimicus hic quinque illius domesticos pecuniâ corrupit, qui omnes uno ore testati sunt, se vidisse herum suum flagitium hoc cum quodam famulo committentem. Negat ille crimen: famulus verò, teneræ adhuc ætatis, extremi supplicii metu, crimen non commissum fatetur. Josephus Pereira tanquam convictus condemnatur ad rogum. Ille in processione actionis fidei eductus cum non desineret protestari se innocentem, id effecit, ut judices ipsum reduxerint in carcerem, & asservarent in sequentem fidei actionem, si forte intereà veritas exactiùs investigari possit. Interim testes sæpiùs sunt interrogati; & cum singuli seorsim rogarentur, an luna eâ nocte, quâ viderunt Josephum istud detestabile crimen committentem, luxerit nec ne, per variantes ipsorum responsiones

ſiones falſa accuſatio detecta fuit; qui cùm quæſtioni adhibiti ſunt, crimen ſuum ſunt faſſi, dominumque ſuum innocentem declararunt. Sed quo ſupplicio in tam atrocis criminis autorem ſævitum eſt? Levi admodum pro delicti gravitate. Inimicus ille, qui Joſephi Peroira domeſticos argento corruperat, ad novennale exilium in partibus Africæ fuit damnatus: & ſubornati teſtes per quinquennium ad triremes. Refert etiam Carena, ex Diana, in Inquiſitione Siculâ quendam Regularem falſum teſtem, & qui alios ad falſum deponendum in S. Officio ſubornaverat, fuiſſe damnatum ad triremes decennales; & fœminas complices fuiſſe fuſtigatas, & ſex annorum exilio mulctatas.

Ex levibus iſtiuſmodi pœnis, quæ ſi cum gravitate delicti comparentur, nullam cum eo proportionem habent, manifeſtum eſt, Inquiſitores neminem à teſtimonio ferendo deterrere velle. Et ſanè maxima hic eſt inæqualitas, ratione delicti & pœnæ. Si quis teſtem, qui contra ſe teſtimonium dixit, graviter vulneret, licèt non ad mortem, morte punitur, ſi verò vulnus inflictum leve ſit, ad triremes perpetuos, vel ſaltem decennales, damnatur: Qui verò falſum præbet teſtimonium, alioſque ſubornat & pecuniâ corrumpit, ut falſo teſtimonio aliquem reum affirment criminis, quo per teſtes conſentientes probato reus diriſſimum ignis ſupplicium luit, exilio tantùm mulctatur, & teſtes falſi ad triremes decennales, aut quinquennales, aut ad fuſtigationem & exilium ſexennale condemnantur. Sed quis non videt, Inquiſitores teſtium ſecuritati cautum velle, & teſtimoniis falſis oneratos condemnare malle, quam ſupplicii ſeveritate quenquam à falſo teſtimonio (quod tamen hic præcipuè ſpectari oporteret, quoniam teſtes reo non indicantur) dicendo deterrere velle? Aliud ſanè vindictæ in falſi teſtimonii conuictam ſpecimen editum eſt Hagæ Comitis, juſſu Curiæ Hollandiæ, anno Domini CIↃIↃLXI. Graviſſima inter Prætorem Amſtelodamenſem Wilhelmum Bardeſium, & ejuſdem civitatis Conſulem M. Henricum Theodorum ob contentiones politicas inimicitia exorta fuit. Æſtuabat vindictæ cupiditate Conſul; itaque ut inimicum ſuum ſpecioſo prætextu opprimat, hæreſeos Anabaptiſticæ, tunc ob recentes Monaſterienſes & Amſtelodamenſes tumultus maximè exoſæ, inſimulare conſtituit. Sceleris ſocium ſibi adſciſcit Florentium Egberti, templi Veteris parochum, & Inquiſitoris Ruardi Tapperi Commiſſarium, ut fraus eccleſiaſtico fuco incruſtata tantò feliciùs procederet. Tanto ſceleri exequendo aptum ipſis viſum fuit inſtrumentum mulier quædam nomine Sophia, vulgò ob coloris deformitatem flava Sophia cognominata, vidua, pauper, multis liberis onuſta, Reformatis, qui extra templa publica occultos agebant cœtus, inſidiari ſolita, & ſcelerato pretio, quod ex illorum delationibus percipiebat, egenam familiam alens. Hanc donis exiguis, & magnis pollicitationibus, ad falſum contra Prætorem perhibendum teſtimonium induxerunt: & unà aliam ejuſdem monetæ mulierem, ac duos viros, quorum alter Notarius erat. Varia teſtimonia, ipſis à Conſule ac Paſtore ſuggeſta, juramento ab ipſis confirmata fuere, quibus Prætorem cum uxore rebaptizatos, in ædibus illius Anabaptiſtas in cœtum conveniſſe, uxorem ipſius Anabaptiſtarum cœtui interfuiſſe affirmabant. Teſtimonia hæc Paſtor Ruardo Tappero Inquiſitori Lovanienſi ſcripto indicavit. Hæc licèt clam gererentur, Prætori tamen, quâ erat ſagacitate, ſuboluerunt: itaque ne ſubitò ac indefenſus periret, confeſtim Bruxellam contendit, ac Mariam Reginam Viduam Hungariæ, tunc Gubernatricem, apud quam gratiâ pollebat, adit, cauſamque ſuam adeò dextrè ac feliciter egit, ut Senator Cornelius Monachus unàque Supremi Senatus Mechlinienſis Graphiarius, qui negotium inquirant, Amſtelodamum miſſi ſint. Non difficile illis fuit, teſtibus examinatis, mendacium ac perjurium deprehendere. Verùm cùm ſenſim procedendum eſſet, ut plenè mendacium detegeretur, cauſa Curiæ Hollandiæ demandata eſt, quæ ad illius Inquiſitionem aliquos è ſuo collegio deputavit. Duæ mulieres Hagæ in carcerem ſunt conjectæ, interrogatæ de Prætoris Anabaptiſmo, illiuſque circumſtantiis, ajebant Prætorem re-

Hoofdii Hiſtoria Belgica lib. 2.

rebaptizatum in ædicula, quæ horto ejus adjacet, seque id in scamno stantes per fenestras conspexisse. Mox duo deputati sunt Senatores, ut locum inspicerent; verùm tanta erat fenestræ altitudo, ut Senator scamno insistens manu suâ fenestram attingere non potuerit, tantùm abest ut exinde mulieres conspicere potuerint, quid intus ageretur. Ita mendacium patuit. Auctoritas civitatis & Ecclesiasticorum favor aliquandiu Consulem & Pastorem protexerunt; verùm enormitas sceleris tanta erat, ut impunitum dimitti non potuerit. Quare uterque jussu Curiæ Hollandiæ, die tertio Maji anni CIƆIƆLVII. comprehensus fuit; Pastor quidem dum coram altari staret, & tantâ cum vehementiâ, ut ne domum quidem suam intrare ac vestimenta permutare licuerit: & mox Hagam uterque abductus. Eadem sors fuit Notarii & alterius testis. Et licèt difficile fuerit mendacium tot diversorum hominum, consentientibus confessionibus, incrustare, diu tamen, imò annis aliquot laboratum fuit, antequàm totum dispalesceret. Tandem falsi testes omnes elabendi rimas sibi occlusas conspicientes, veniam delicti à regiâ clementiâ petierunt, mendacium ac perjurium apertè confessi. Testium alter publicè virgis cæsus fuit. Notarius munere suo spoliatus; uterque in exilium missus. Pastor publicè confessus fuit se temerè, impertinenter, & absque debitâ informatione, accusationes contra Prætorem ejusque uxorem ad Ruardum Tapperum scripsisse, seque illius pœnitentiâ duci: prætereà Amstelodamo exire, & Commissarii Inquisitionis functione abstinere jussus fuit. Mulierum altera in carcere obiit. Sophiæ tertio die Maii anni CIƆIƆLXI. lingua fuit exerta, exin gula laqueo fracta, corpus adustum, & publico spectaculo expositum. Verùm antequàm ad mortem educeretur, coram tribus Senatoribus ingenuè confessa fuit, falsa esse & conficta quæcunque contra Prætorem Amstelodamensem testimoniis juramento confirmatis, & in examinibus suis coram Curiâ deposuisset; séque ad scelus istud inductam persuasionibus, pollicitationibus ac donis M. Henrici Theodori Consulis Amstelodamensis, & M. Florentii Pastoris in eâdem civitate templi Veteris. Ad locum supplicii educta eadem publicè coram omnibus repetiit. Consul Henricus Theodori omnia negavit, & quoniam nullis instrumentis manu suâ scriptis convinci potuit, testimoniorum contra se fidem, allegato testium perjurio, impugnavit; atque ita ultimum evasit supplicium: Diu tamen in carcere detentus fuit; tandem verò sub cautione & fide-jussione dimissus. Hæc fuit pœna inflicta à judice sæculari. Si eodem rigore Inquisitores procederent contra falsos testes, non tot miseri & innocentes falsis delationibus & testimoniis opprimerentur. Verùm impunitatis spe quoscunque allicere malunt & quando testimoniorum falsitas adeò patet, ut excusari minimè possit, leviore pœnâ eos castigare, quàm justo & crimini eorum proportionato supplicio à testimonio dicendo deterrere.

CAPUT XX.

Quomodo captivo tradatur copia testimoniorum supressis testium nominibus.

Pegna pag. 47. REpetitione testium peractâ, probationum contra reos receptarum copia reis tradi solet, ut citiùs deliberare possint, an velint cedere, vel contendere. In illius autem traditione, in hoc foro ad hæc attendendum est. Primò, depositiones testium reo literaliter edendæ sunt, sicut à testibus prolatæ fuerunt; ut apertè intelligat, quid quisque testis contra ipsum deposuerit. Quare ea summatim referre non sufficit. Secundò, attestationes non debent confundi, aut intermisceri, sed singula testimonia distinctè & separatim ab aliis scribenda & edenda sunt, tum ut reus commodiùs ea intelligere & singulis respondere possit, tum ut faciliùs se defendere valeat. Tertiò, nomina testium edenda non sunt,

nec cognomina, nec circumstantiæ, per quas reus in cognitionem testium devenire queat; quia vel testibus, vel Inquisitioni grave periculum ex eorum propalatione immineret: Quod periculum quandoque grave esse ajunt, propter delatorum potentiam, sive ea sit potentia generis, sive pecuniæ, sive malitiæ. Idem censuit Supremus Senatus de responsionibus testium, super reorum interrogatoriis, quas edendas negavit, si inde testes cognoscerentur. Ob eandem causam & annum & mensem addunt, quibus testes crimen esse commissum dixerunt, non autem diem præcisum; sic & locus additur, non autem locus loci. Quæ omnia adeò sollicitè caventur, ne reus ullo modo testes aut denuntiatores cognoscat: illos enim omni modo reo occultos esse volunt. Secretum enim, uti passim ajunt, est nervus Inquisitionis. Inde facilè colligere est, plurima illa interrogatoria, quæ à reorum Advocatis formari solent, ut super iis testes interrogentur, esse inania: quia de variis instituuntur circumstantiis, per quas rei, si ipsis ederentur, facilè testes cognoscerent. Verùm hæc ab Advocatis, Inquisitioni juramento adstrictis, fiunt, ut dum nihil pro reis agunt, aliquid agere videantur, & miseros captivos inani spe lactent, quasi multa in ipsorum defensionem peragantur, dum nihil agitur. Dum enim testium aut deponentium cognitio reo non conceditur, maxima ac potissima defendendi facultas ipsi adimitur. Illud autem tam edictis Paparum, quæ passim exstant, quàm Instructionibus Inquisitionum, sollicitè admodum vetatur.

Ita olim expressè sancivit Innocentius IV. in Bullâ editâ anno 1253. *Sane volumus ut nomina tam accusantium pravitatem hæreticam, quam testificantium super eâ, nullatenus publicentur, propter scandalum, vel periculum, quod ex publicatione hujusmodi sequi posset, & adhibeatur dictis hujusmodi testium nihilominus plena fides.* Idem decrevit Concilium Biterrense cap. x. *Illud autem caveatis, secundum providam sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo vel verbo aliquo publicentur.* Olim Bonifacius VIII. in c. *Statuta.* *§ Jubemus.* de hæret. lib. VI. concessit, posse testium & accusatorum nomina, omni periculo cessante, publicari. *Cessante periculo supra dicto accusatorum & testium nomina, prout in aliis fit judiciis, publicentur. Cæterùm in iis omnibus præcipimus tam Episcopum, quàm Inquisitores, puram & providam intentionem habere, ne accusatorum vel testium nomina supprimendo, ubi est securitas, periculum esse dicant, ne in eorumdem discrimine securitatem asserant ubi tale periculum imminet, super hujusmodi eorumdem conscientiam onerantes.* Idque nonnunquam observatum fuisse, liquet ex libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, fol. 131. in sententiâ Guilielmi Cavalerii de Corduâ, qui confessionem sibi per tormenta extortam cum posteà revocasset, dicitur deinde per testes convictus: *Et publicatis sibi & lectis intelligibiliter & in vulgari depositionibus contra ipsum, ac nominibus testium deponentium expressatis*, &c. Hodiè verò perpetuò id periculum adesse putatur; & propterea nunquam fit talis nominum aut personarum testium publicatio: quia ex publicatione exspectandum credunt, ut nulli in posterum hæreticos denuntiare velint. In quam rem exstat quoque breve Apostolicum Pii IV. quod incipit, *Cum sicut.*

In Hispaniâ similiter præceptum est, ne testium nomina publicentur, Instructione Hispalensi a. 1484. cap. 16. *Item quoniam habitâ legitimâ informatione constitit ac constat, quod ex publicatione nominum & personarum testium, qui deponunt super dicto hæresis crimine, possint incurrere in grave damnum & periculum personarum & bonorum, nam experientia demonstravit, atque demonstrat, testes aliquos esse interfectos, aut vulneratos, & male affectos ab hæreticis ob præfatam causam, attendendo in primis etiam in regnis Castellæ & Aragoniæ reperiri magnum numerum hæreticorum, ob grave damnum & periculum præfatum, quod testibus imminet, cum eorum nomina publicantur, Domini decreverunt, ut Inquisitores possint non publicare nomina vel personas testium, qui contra hæreticos deposuerint.*

Idem cautum est Instructione Madrilianâ anni 1561. cap. 72. *Quamquam in aliis tribunalibus soleant judices, ad veritatem delictorum indagandam, conciliare testes cum*

delinquentibus, in judicio Inquisitionis nec debet, nec solitum est fieri; quia præterquàm quod ex hoc violatur secretum, quod circa testes haberi præcipitur, experientiâ notum est, quòd si quandoque id factum est, non est secutus inde bonus effectus; imò ex eo incommoda orta sunt. Et Instructione Hispalensi anni 1484. cap. 16. *Cum probatio facta fuerit, & testes reproducti, debent Inquisitores publicare dicta & depositiones eorum, suppressis & tacitis nominibus, & circumstantiis, ex quibus reus accusatus posset venire in cognitionem testium.* In Madrilianâ verò Instructione anni 1561. cap. 32. mandatur, ut in publicatione ponatur mensis & annus in quibus deponunt testes, non verò dies; similiter locus & tempus commissi delicti.

Idque hodiè ita in Hispaniâ observari solet; uti constat ex Simancâ de Ca-
tit. 64. §26. thol. Instit. tit. LXIV. § 26. & seqq. „Post hæc publicatio testium fieri debet, „& illorum exemplum reo dandum est, illis duntaxat circumstantiis omissis, „ex quibus reus facilè intelligere possit, qui sint illi, qui contra eum perhibuerunt testimonium. Inde est, quod reo dari non solet hora, neque dies, quibus testes dicunt crimina fuisse commissa, nisi fortè id reus petat, ut se defendere queat. Item exemplum testimoniorum describendum est à Secretariis, „& ab Inquisitoribus excutiendum & corrigendum, & alterum exemplum inserendum est actis processûs. Prætereà, ita reo dari debet testimoniorum exemplum, ut planè intelligat, an testes de his quæ ab aliis audiverunt, vel de his „quæ ipsi viderunt testificati sint. 1. *Instruct. Hispal. cap.* 16.

§27. „In hac testimoniorum publicatione testium nomina reo edenda non sunt.

§28. „Hinc est, quod in crimine hæresis, non debet citari reus ad ratificationem „testium, ne illos cognoscat; quamvis in omnibus aliis criminibus, ad cogno-
§29. „scendos testes, rei citandi sunt. Sic etiam in cæteris quibusvis criminibus, nomina testium reis ipsis edenda sunt, ut testes refutare possint, & innocentiam „suam ostendere; quod sanè fieri semper debet, etiamsi per Inquisitionem procedatur, ne per nominum occultationem infamandi, per defensionis verò denegationem, perhibendi falsum testimonium improbis audacia præbeatur; ete-
§30. „nim defensionis facultas nulli unquam auferenda est. Quæ omnia multò magis locum habere debent, in inquisitionibus & visitationibus, quæ adversus Judices & ministros eorum fiunt. Sunt enim positi quasi signum ad sagittam, „neque possunt omnibus placere, cùm ex officio teneantur litigantes plurimos „quotidiè increpare, in carcerem & exilium mittere, mulctare, condemnare, „ac nonnunquam mortis pœnâ punire.

Comm. 114. in part. 3. Direct. Quod si quis hodiè, absque evidenti necessitate & omni periculo cessante, temerè publicare præsumeret testium, accusatorum, seu denuntiantium nomina, judicio Pegnæ plane imprudentissimè ageret, & fortassis in mortalem culpam incurreret; quia ageret contra tot decreta Pontificum, & contra receptam sacri Officii consuetudinem; quæ quamvis nullâ lege niteretur; quia tamen consuetudo est laudabilis, approbata, & legitimè præscripta, vim legis habet.

Et licèt reus instet, postuletque ut sibi concedatur defensio secundùm juris ordinem, & per consequens, ut testium nomina simul cum dictis eorum sibi edantur, minimè auditur. In Hispaniâ qui vocantur novi Christiani nunquam
lib. 2. tit. 2. cap. 5. num. 4. id obtinere potuerunt, omnem licet lapidem moverint. Refert Ludovicus à Paramo, Carolo post avi sui Ferdinandi obitum regnante, noviter conversos octingentos mille aureos obtulisse, si imperaret, ut testes in tribunali Inquisitionis publicarentur: & cùm Rex adolescens octodecim annorum magnâ illâ pecuniæ summâ valdè sollicitaretur, Cardinalem Ximenium Generalem Inquisitorem; proposito illi maximo testium istiusmodi periculo, & quod inde Ecclesia contraheret detrimento, ac Ferdinandi avi sui exemplo, ut Rex oblationem illam aspernaretur effecisse.

Cùm autem suppressis testium nominibus delatus ab iis se non potest in specie defendere, sed solum in genere palpitando, cùm non valeat divinare, Inqui-

quisitoris prudentiæ commendatur, ut modum congruum teneat, per quem sibi innotescat; an dicti deponentes & testes, sint ipsius delati inimici capitales, nec ne.

Eymericus in tertiâ parte Directorii Inquisitorum describit nobis sex modos delatis de hæresi tradendi copiam processûs, suppressis delatorum nominibus: ex quibus manifestum est, unum hoc Inquisitoribus esse constitutum, ut captivos per fas ac nefas, variis adhibitis artibus ac imposturis, & potissimâ defensionis sui parte denegatâ, tanquam nocentes condemnent.

Primus modus est: Ut delatorum nomina non in ipsâ processûs copiâ, sed in aliquâ particulari scedulâ exhibeantur, non tamen eo ordine quo deponunt; sed ut qui primus est in copiâ, sit sextus vel septimus in scedulâ, atque ita in aliis nominum ordinem transmutando: ita ut delatus quid quisque deponat cognoscere non possit. 119. & seqq.

Secundus est: ut delato detur processûs copia, & in aliâ chartâ nomina deponentium, iisque admisceantur nomina aliorum qui nunquam contra illum in eâ materiâ deposuerunt: ut sic delatus aliquid dicere possit contra hunc vel illum, & tamen nunquam cognoscere quis contra ipsum deposuerit. Verùm hi modi à pluribus improbantur, & rarò adhibiti fuerunt; quia non videntur delato multum prodesse, quia cognoscere nequit, quis hoc aut illud contra ipsum deposuerit: & deponentibus multum potest obesse: quia per ejusmodi scedulam constat, per aliquem ipsorum se delatum; & cùm incertus sit per quem, potest mentem suam figere contra aliquos, qui vel nunquam, vel qui cum veritate contra eum, vel qui pro eo deposuerunt; atque ita contra eos molietur insidias, poteritque grave eis periculum imminere, quod omninò præcautum volunt.

Tertius modus est: ut delatus, cùm examinatur, in fine suæ confessionis, antequàm processus copia ipsi concedatur, interrogetur, an reputet se habere inimicos capitales, qui omni divino timore postposito falsò imposituri ipsi sint labem hæreticæ pravitatis; ut tunc impræmeditatus, & non visis deponentium attestationibus respondeat, quod non reputet se habere tales inimicos; vel si dicat, quod se habere reputat, nominet aliquos prout occurrunt.

Si dicat nullos se tales habere inimicos, poterit Inquisitor illi imponere, ut super hoc bene cogitet, & habito ad meditandum congruo temporis intervallo, inimicos, quos ipse invenerit, scribat, & ita descriptos judici cum notario & testibus exhibeat. Qui judex omnia in Actis notari faciat, videlicet, quod talis, &c. tali die, &c. coram Inquisitore, &c. comparuit, & exhibuit scedulam quandam scriptam tenoris infrascripti; & extendatur quicquid in eâ scriptum est. Quo facto judex, juramento illi dato, interroget an illa sit ejusdem scriptura, ejus propriâ manu facta? Item, an affirmet omnia & singula in eâ contenta esse vera? Item, an omnes & singuli illi, nominatim ibi descripti, sint ejus inimici capitales? Item, de tempore, origine, & causâ seu occasione inimicitiæ? Item, an præter prænominatos, alios inimicos habeat, & quos, & de causâ & tempore inimicitiæ. Rursus, an post contractam seu ortam inimicitiam, illorum testimonio, in causâ aliquâ civili aut criminali pro se unquam usus fuerit? His addi possunt interrogationes aliæ ad libitum, prout prudens judex ex responsionibus ad præmissa datis, & ex aliis rationalibus circumstantiis opportunum fore existimabit. Quibus bene perspectis & diligenter examinatis, ad ipsam prætensam inimicitiam detegendam satis facilis aditus patebit. Diligenter autem hic caveri volunt, ne dum modi excogitantur ad investigandas testium inimicitias, in notitiam testium rei perveniant. Hæc fermè conveniunt, cum verbis Domini Albanensis, quibus tali in casu Inquisitoribus quid faciendum sit præscribit. Campeg. in Zanch. c. 13.

Inquiratur prætereà ab Inquisitoribus ab eo contra quem habent procedere, utrum habeat aliquos inimicos capitales, vel certâ suspicione suspectos, quod in ipsius odium dejerarent, & deinde deductis in scriptis nominibus eorum quos dixerit legitimè se habere suspectos, & causam suspicionis, procedant & recipiant testes alios contra eum, & nihilominus recipere poterunt

terunt quos suspectos dederit, si visum fuerit expedire. Addit autem post quædam: *Et licet testes qui suspecti dicuntur vel inimici recipiantur, non credatur eis, nisi in quantum adminiculo legitimo adjuvantur.*

Quartus est; ut delatus in fine suæ confessionis, antequam ipsi dentur defensiones, interrogetur de testibus qui graviora contra ipsum deponunt, tanquam de delatis, in hunc modum. Cognoscis tu talem? nominando unum è testibus qui graviora contra ipsum deposuerunt: Si dicit se non cognoscere, non potest illum in defensione suâ rejicere ut inimicum capitalem, cùm adhibito juramento se eum non cognoscere dixerit. Si se eum cognoscere dicit, interrogatur, an sciat vel audiverit istum dixisse aut egisse aliquid contra fidem? tum rogatur, an sit ejus amicus vel inimicus; & præsumitur responsurus esse, suum esse amicum, ut testimonium suum admittatur: quod ubi semel dixit, non potest eum posteà repellere ut inimicum capitalem. Hosce duos modos rariùs adhiberi vult Eymericus, quia licèt deponentibus non sunt periculosi, sunt tamen delatis nocivi; contra cavillosos tamen & cautelosos posteriorem adhiberi probat, seque eum contra tales, licet raró, tenuisse ait, & cùm esset astutus, ut dicit Apostolus, dolo eos cepisse.

In Zanch. c. 13. Addit Camillus Campegius, si respondeat, se nescire eum quidpiam contra fidem dixisse, non omittat Inquisitor jam factam interrogationem, an sit illi amicus, aut inimicus. Si respondeat, quod sit amicus, & quod tamen ob eam causam non sileret, imò denunciaret si sciret eum contra fidem deliquisse, non poterit eum ampliùs in causâ illâ inimicum capitalem allegare. Et hic notandum, quod qui semel testem approbavit, reprobare ampliùs illum non potest.

Addit idem Campegius alium modum; nempe, ut Inquisitor in primo examine delatum interroget, quamnam existimet esse causam capturæ aut detentionis suæ? Item, quosnam suspicetur fuisse delatores? Et si aliquos nominatim recenseat, interrogetur, cur potiùs de illis quam de aliis suspicetur? cui percunctationi ipse fortè odium aliquod, aut litem, seu contentionem, vel quippiam simile pro ratione & causâ assignans, respondebit. His habitis, interroget illum rursus Inquisitor, an alios habeat, quos ipse inimicos existimet, & quos, & de tempore, & causâ, &c. ut suprà. Iterum interroget, quinam sint illi qui interfuerunt, quando tales, quos ipse ut inimicos repellit, illum invaserunt, seu vulneraverunt, aut quid simile fecerunt, & à quibus poterit de ipsâ capitali assertâ inimicitiâ pleniùs informari. Quibus peractis, Inquisitor responsiones & dicta omnia diligenter consideret, & super testium qualitate à timoratis viris informationes accipiat, ut veritatem inveniat. Quod si testes de capitali inimicitiâ verè notatos esse cognoverit, jura, & Doctores, & consiliarios consulat; & quod æquum sibi videbitur, agat.

Quintus modus est; ut delato copia detur processûs suppressis deponentium nominibus; ut ipse visis depositionibus conjecturetur quis vel qui talia deposuerint contra eum: sic quandoque nominat plures, quos dicit inimicos suos esse capitales, assignat rationes, & producit testes. Si aliquos divinavit, Inquisitor inquirit causas inimicitiarum: si non sunt sufficientes, dimittit; si sunt, examinat testes secretò; qui, si legitimè non probant, repelluntur: idque fit adhibito peritorum consilio. Isque modus ut plurimum observatur.

Sextus modus est; ut, quando exhibitâ processûs copiâ delatus multos se habere inimicos capitales dicit, eos nominat, causasque inimicitiarum assignat, Diœcesanus & Inquisitor Concilium Theologorum & Jurisperitorum convocent, totum processum per Notarium prælegi faciant, testium ac deponentium nomina exponant, & non tantum ad dandum sanum consilium, sed etiam tenendum secretum juramento, vel excommunicationis sententiâ eos obligent. Tum inter ipsos ventilatur, an delatum & testes plenè cognoscant; an inter eos sit inimicitia capitalis? Si plenè cognoscant, statur consilio eorum & deliberationi: Qui per Concilium judicantur inimici capitales, à testimonio repelluntur; & qui

qui non, admittuntur. Si Consiliarii delatum & testes non plenè cognoscunt; de eorumdem consilio eliguntur duo, tres, vel quatuor viri probi è civitate delati, qui eum probè norint, quorum unus saltem vel duo sint Sacerdotes parochiani, & alius (si potest commodè) Religiosus, & alii laici probi viri veritatis zelatores. Illi per Episcopum & Inquisitorem secretò advocantur, & per juramentum, vel excommunicationis sententiam de dicendâ veritate, interrogantur de delati & testium amicitiâ vel inimicitiâ capitali, qui penitus illorum judicio acquiescunt, ita ut quos, habitâ priùs inter se bonâ ac diligenti deliberatione, dicent ipsius delati inimicos esse capitales, rationes legitimas allegando, à testimonio repellant; quos autem non, admittant. Qui modus admodum usitatus est: & consentire videtur cum decreto Concilii Biterrensis cap. 10. *Illud autem caveatis secundùm providam sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo vel verbo aliquo publicentur: sed si instat contra quem Inquisitio fit, dicens fortè se habere inimicos, vel in se aliquos conspirasse, inimicorum ab eo seu conspiratorum nomina, & inimicitiarum seu conspirationis causa & veritas exigantur, ut sic & testibus consulatur, & ipsis etiam convincendis.*

Ut itaque testes eripiantur à periculo, quod ex eorum notitiâ imminere poterat, consulit Camillus Campegius, ut non tantùm nomina supprimantur, sed & circumstantiæ omnes, testes ipsos delineantes aut detegentes, omittantur. Nam pluries se vidisse dicit, inimicitias, odia, vulnera, & mortem etiam ex copiâ ita datâ suboriri. Et nonnunquam inquisiti à seipsis decepti eum contra se deposuisse credunt, qui de facto non deposuit, nec aliquid contra eos unquam dixit aut fecit; & ipsi nihilominus tali opinione detenti graves molestias & mortem etiam adversus eum moliuntur. Ita Ferrariæ aliquando contigit, & alibi quoque idem contigisse à fide dignis se accepisse refert. Quare consulit Inquisitoribus, ut cautè hic incedant, ut fidem Catholicam, salvâ testium vitâ, tueantur. Vix enim ait inveniri, qui in hac hæreticorum causâ denunciare seu deponere velint. At si testium salutem mundus periclitari viderit, nullum unquam delatorem exstiturum auguratur.

Cum exceptiones justæ adversus testes objiciuntur, admittendus est reus ad earum probationem. Quâ in re testes cautè solent interrogari, ita ut, quoad fieri possit, eos lateat qui fuerint illi testes, qui contra reum perhibuerunt testimonium. Id verò fit, interrogando testes à reo productos, non solùm de inimicitiâ vel conspiratione testium, sed etiam aliorum hominum, qui non dixerunt adversus reum testimonium.

Hic autem minimè præterire possum, quod Joannes Royas ait, quando te- „stium nomina reis occultantur, quod eis integra defensionis facultas tollitur, „ac proinde diminuta & truncata est reorum defensio. Quonam ergo pacto de- „latus, in carceribus secretis detentus, amicorum, & consanguineorum suo- „rum, atque Procuratorum solatio & consilio destitutus, defectus & objecta ad- „versus testes objicere poterit, cùm eorum nomina ignoret? Si fortè sunt ejus „inimici, vel criminosi, vel infames, vel excommunicati, vel alias inhabiles. „Nam in tam gravi crimine, in quo omnia pœnarum genera concurrunt, vi- „delicet, excommunicatio, bonorum publicatio, personæ relaxatio, perpetua „sua & suorum infamia, majores probationes quam in aliis criminibus sunt ne- „cessariæ. Neque erit temerarium asserere, testes, quorum nomina non pu- „blicantur, respectu rei, non esse omni exceptione majores; cùm non possit „delatus propter ignorantiam adversus eos aliquid objicere: si quidem illi di- „cuntur omni exceptione majores, qui aliquâ exceptione repelli non possunt, „& sic propter omissam juris solemnitatem, quia eorum nomina non exhiben- „tur, minùs possunt opponi crimina, defectus & objecta. Sed postea quàm „verba Extrav. Innocentii VI. consideravi, ibi. *& adhibeatur dictis hujusmodi te-* „*stium nihilominus plena fides*, ob id paratus sum palinodiam recantare. Verùm „meo tenuissimo ingenio, non auderem in tam gravi crimine, truncata atque

part. 2. Assert. 4.

„diminutâ rei defensione duobus tantum legitimis testibus quempiam condemnare, sed opinionem Hostiensis (statuentis ad probandum crimen hæresis duos tantum testes non sufficere, sed tres vel plures requiri) tanquam æquiorem ipse sequerer, nisi delatus esset malæ opinionis & famæ, vel alia adminicula contra eum concurrerent; quo casu communis Doctorum opinio esset tenenda.

„Plerique tamen arbitrantur, illam solemnitatem, quæ in reproductione testium adhiberi solet, quod testes reproducantur, in judicio plenario coram Inquisitoribus ac duabus personis religiosis examinentur, *Cap. Ut officium* § *Verum.* de hæret. lib. 6. & Instruct. Tolet. cap. 14. supplere solemnitatem aliam omissam de non exhibendis nominibus testium in eorum publicatione; qui sanè, meo judicio, hallucinantur; ex eo quod solemnitas omissa est de ordine substantiali judiciario; & illa solemnitas de Religiosis personis, ut experientia docet, parvi vel nullius est effectus. Nam ea solet communiter esse hominum conditio, in suâ assertione vel inficiatione verâ vel falsâ persistere, & satis dicitur lucri capere qui voluntatem suam adimplet.

Cum autem adeò sollicitè cavent, ne denuntiantes aut testes ullo modo reis innotescant, manifestum est, nec accusatorem aut testem in conspectum rei produci, ut alter contra alterum audiatur, ipsorumque dicta & responsa sibi invicem opponantur, quod barbarè confrontationem vocant. Docet nos Carena, in S. Officio rarissimè fieri confrontationes, & in Supremo tribunali Urbis non fieri, nisi causâ cognitâ, & interposito decreto per Cardinales supremos Inquisitores, qui arbitrari solent, an ex confrontatione apertâ imminere possit periculum, vel non, testibus & reo. Quia tamen aliquando contigit in S. Officio, quod reus necessariò per testes est recognoscendus, ideò hæc recognitio fit, non per confrontationem apertam, sed per rimulas ostii alicujus cubiculi clausi, ubi reus unà cum aliis personis vestitu, staturâ, & facie similibus, reperiatur. Et ita in Inquisitione Cremonensi annis superioribus practicatum fuisse, idem Carena ait, Sacrâ Congregatione ita mandante in recognitione cujusdam Regularis, qui matrimonium contraxerat, non obstante ipsius confessione, ut sententia matrimonii nullitatis posset tutiùs pronuntiari.

(part. 3. tit. 7. § 6.)

CAPUT XXI.

De productione articulorum & testium pro reo, illorumque examine.

QUando reo testimoniorum & probationum contra ipsum receptarum copia data est; si se defendere velit, conceditur ipsi terminus ad exhibendum articulos quibus suam innocentiam probare intendit. Terminus hic præciso die non est alligatus, sed arbitrio judicis permittitur, qui eum vel paucioribus diebus adstringit, vel plures concedit. Et quoniam reorum defensio in tribus consistit, videlicet, in negando facto, in repellendis testibus, & in bonâ vitâ, & bonis moribus, & bonâ Christianitate sive Catholicitate reorum, articuli probandi methodicè juxta prædicta tria formari solent: sic tamen, ut prudens & Catholicus Procurator, sive Advocatus, ad suum juramentum oculos convertat, ut ea quæ vera arbitratur, sicut à reo quem suscepit defendendum sibi suggeruntur, in articulis referat, nec tamen admonere desinat, ut veritatem simpliciter fateatur.

(Pegna lib. 2. cap. 48.)

In fine articulorum pro parte rei productorum exprimuntur nomina testium per quos reus probare vult suam innocentiam, additurque super quo articulo quilibet testis examinari debeat. Nam cùm non facilè contingere possit, ut unus testis sciat omnes materias contentas in omnibus articulis, ideò ne Inquisitor, vel ille cui ex causâ Inquisitor committit examen, divinare cogatur, quis testis sciat

(cap. 49.)

ſciat talem materiam contentam in tali articulo, vel ne cogatur omnes teſtes nominatos examinare ſuper omnibus articulis, conſultò indicatur, quod talis teſtis examinetur ſuper tali, vel tali articulo; & ſic de ſingulis: per quoſdam probare intendit, teſtem, quem ſuſpicatur contra ſe depoſuiſſe, eſſe ſuum inimicum capitalem: per alios bonam ſuam vitam; atque ita porrò.

Si poſt ſemel productos articulos & admiſſos reus voluerit illis alium, vel alios additionales articulos addere, cum id expreſſo jure prohibitum non inveniatur, Inquiſitor talem, vel tales articulos admittet, ſicut primos admiſit. In formandis articulis prudens Advocatus, vel Procurator, illa conſiderare debet, quæ vel delictum excludunt, vel minuunt; hoc eſt, quibus probatur accuſationis falſitas, aut quædam circumſtantiæ quibus delicti gravitas minuitur; ut quod furore correptus, vel per ebrietatem quid dixerit: de quibus mox plenius dicetur.

Poſtquam reus teſtes ſemel produxit & nominavit, poteſt Inquiſitor ex cauſâ, ſi fraudem & dolum abeſſe cognovit, reo concedere, ut alios præter nominatos ex intervallo producat, eoſque admittere.

Poſtquam teſtes à reo producti coram Inquiſitore depoſitiones ſuas fecerunt, cap. 50. earum copia Procuratori Fiſcali datur; iſque viciſſim ſua exhibet interrogatoria, ut teſtes, quos reus produxit ad ſuam defenſionem ſuper illis examinentur. In hiſce eodem modo, uti Advocatus rei, multa quærit de teſtium perſonâ, vitæ conditione, & an reum cognoſcant, an illum aliquo conſanguinitatis gradu attingant? &c. Quibus ſubjungit interrogationem: Quomodo acceſſerit ad ſubjiciendum ſe præſenti examini? an ab aliquo fuerit requiſitus? à quo? ſub quibus verbis? & quid ipſe teſtis reſponderit? an ipſi fuerint oſtenſi articuli ſuper quibus eſt examinandus, ſeu alias quomodolibet fuerit inſtructus quid deponere debeat? an fuerit ipſi aliquid datum, promiſſum vel remiſſum, & quid? an aliquid commodi ſperet ex præſenti ſuâ depoſitione, ſeu ex liberatione rei ex carceribus S. Officii, & quid? Hiſce interrogatoriis alia, quæ rem ipſam ſpectant, ſubjungit, atque ita ſingulos à reo productos articulos percurrendo, de ſingulis teſtes interrogari petit.

Procurator Fiſcalis Supremi Senatus Generalis Romanæ Inquiſitionis ſolet in cap. 51. fine interrogationum petere, ut Inquiſitor, qui teſtes examinaturus eſt, pro opportunitate materiæ & reſponſionum, quas teſtes dabunt, alia opportuna interrogatoria formet. Quia ſæpe contingit, dum examinantur teſtes, talia ab ipſis proferri, quæ novis interrogatoriis indigent, ita plerumque neceſſariis & ad rem pertinentibus, ut maximè inde veritas patefiat.

Quandoque obſervatum, ait Pegna, Procuratorem Fiſcalem S. Inquiſitionis in fine interrogatoriorum tale interrogatorium contra quendam reum propoſuiſſe: An ſciat, vel dici audiverit, quod dictus N. in dictâ civitate N. fuerit habitus pro ſuſpecto de hæreſi, & pro homine malæ conditionis, opinionis, & famæ in ſpectantibus ad ſanctam Fidem Catholicam? Et ſi affirmativè reſponderit, interrogetur de cauſâ ſcientiæ, exprimendo errores & hæreſes, de conteſtibus, de tempore, de loco, loco loci, ſingillatim omnia referendo? Si verò negativè reſponderit, interrogetur, an eſſe poſſit quod dictus N. fuerit habitus pro ſuſpecto de hæreſi, & alias malæ vitæ, conditionis, & famæ in ſpectantibus ad ſanctam Fidem Catholicam, & tamen ipſe teſtis hoc neſciat? Addit autem Pegna, ſecundam hujus interrogatorii partem ſibi periculoſam videri; & aptam ad improbandum dictum teſtis: nam ſi teſtis reſpondeat, poſſibile eſſe N. fuiſſe hæreſeos ſuſpectum, & ſe tamen id neſciviſſe, dictum ipſius laborabit. Et licet quidam Doctores valdè laudent hujuſmodi interrogatorium, dicentes illud optimum & mirabile, quo dicta ferè omnium teſtium rejici poſſunt; tamen ipſe, ſi à Procuratore Fiſcali proponeretur, potius putat ab Inquiſitore reſecandum; ne, ſi teſtis imperitus, quales ſunt omnes ferè plebeii & vulgares, reſponderet, poſſibile fuiſſe, vel eſſe, idem Procurator Fiſcalis poſt confectum

processum, quando probationes expenduntur, omnes probationes reorum per istam cautelam in discrimen adduceret.

Si de alicujus testis fide, constantiâ & silentio dubitetur, quod, nempe, si finito examine dimitteretur, posset cum testibus examinandis sermonem habere, retineri solet in S. Officio, donec alii testes examinati fuerint: Si verò sit probus, bonæ conditionis, & famæ, qui à periculo revelandi suas confessiones procul esse putatur, statim finito examine dimittitur.

Copia attestationum ante finitum examen non datur, nec dari debet. Si tamen post examinatos aliquos, reus declaraverit se renuntiare ulteriori examini, tunc dari copia poterit.

Simanc. tit. 64. §50. Quamvis publicatis testimoniis, non admittantur testes super iisdem articulis, vel prorsus contrariis; in causâ tamen hæresis semper admittendi sunt, sive in favorem rei, sive contra illum: quia publicatio secretò fieri solet, quamobrem suspicio corruptionis testium in his causis cessat.

Pegna cap. 54. Sæpè contingit testes repetendos, aut aliàs examinandos, esse absentes à loco in quo sit judicium contra reum, ac propterea oportere ad eos examinandos fieri remissionem, seu alicui debere committi examen. Et quamvis in criminalibus non sit concedenda remissoria, quia judex per seipsum debet interrogare testes, & explorare quâ constantiâ, quâ trepidatione, aut vultu loquantur; tamen in crimine hæresis remissoria conceditur, & maximè quidem, quando testes sunt in locis remotis, & in aliis Diœcesibus, adeò ut sine magnis impensis ad Inquisitores venire non possent.

Cum remissoriis autem judici seu Inquisitori, cui examen testium pro defensione rei committitur, etiam articuli & interrogatoria mitti debent, super quibus debent testes examinari, eodem modo quo examinarentur ab Inquisitore coram quo agitur causa. Inquisitor autem vel Episcopus, qui alteri examen delegat, permittere non debet, ut coram judice, cui dirigunt examen, pars det articulos in partibus; sed illi sunt judici causæ dandi. Finito examine copiam processûs originalis authenticam fideliter extractam, & cum originali collatam, & à judice & Notario subscriptam, curabit judex remissoriæ transmittere ad Inquisitorem delegantem: Sed si periculum amissionis cessaret, processus ipse originalis transmitti posset, retentâ copiâ authenticâ penes judicem remissoriæ executorem.

Si pendente judicio superveniant nova indicia tam contra reum, vel reus commiserit novum delictum, vel pro reo, ut si denuntiator vel testis meliùs recordatus redierit ad deponendum de aliquâ circumstantiâ, quæ delictum extenuare possit, vel alius quispiam accesserit ad aliquid detegendum, quo rei innocentia patefieri possit, ea recipienda sunt. Quo in genere præcipuum locum obtinet retectio alicujus conjurationis initæ contra reum, aut alicujus subornationis quæsitæ, ut testis vel testes contra reum testarentur.

CAPUT XXII.

De Defensionibus Reorum.

cap. 57. POstquam partes paraverunt suas probationes, copia processûs defensivi, ut ait Pegna, reo tradenda est. Carena autem observat, se spatio viginti annorum, quibus se practicasse ait in Inquisitione Cremonæ, nunquam vidisse reis dari in isto foro processûs defensivi copiam; & consulit omnibus Inquisitoribus ut ita agant; quia aliquando per reum ad ejus defensionem producuntur testes timoratæ conscientiæ, qui magis reum gravant: unde ex editione hujus processûs possunt oriri inconvenientia. Et hoc etiam observari ait in Inquisitione Hispanâ. Sed quæcunque tandem copia reo detur, conceditur ipsi terminus ad

ad sui defensionem, intra quem, si sibi expedire videbitur, dat suas informationes in facto & in jure, ad probandam suam innocentiam.

Hæreticis pertinacibus omnis defensio denegata est; rei tamen nondum convicti justis defensionibus uti possunt. Prima reorum innocentium, eademque potissima defensio est, negare crimina falsò ipsis objecta. Innocens verò constantissimè negare debet objecta crimina, ne seipsum injustè condemnet, & falsum pro testimonio dicat. Directè per testes probare reus nequit; se aliquid non dixisse aut fecisse; sed quidem, quando locus & tempus perpetrati criminis assignatur, se ab eo loco per id tempus absuisse, aut nihil eorum, quorum accusatur, dixisse aut fecisse. Et quando hoc pluribus & melioribus testibus probavit, absolvendus est. Simanc. Cath. Inst. c. 17.

Altera est defensio, si testes refutaverit, hoc est, si probaverit suos esse inimicos, aut à suis inimicis pecuniâ subornatos, aut contra se conspirasse.

Non autem facile testes in causâ fidei à judicio repellere potest: quia, uti diximus, in favorem fidei, infames, conscii criminis, ac participes, nec non excommunicati, & quibuscunque aliis criminibus irretiti, in defectum præsertim aliarum probationum, ad testificandum in causâ fidei admittuntur. A ferendo testimonio non repellit legitimè quenquam, nisi sola inimicitia, eaque non quævis, sed tantummodò capitalis: aliæ inimicitiæ testium dicta aliquatenus quidem debilitant, non tamen prorsus eos à testimonio repellunt. Prout in Concilio Biterrensi cap. XII. & XIII. & Narbonensi, cap. XXIV. & XXV. definitum est. *Quamvis in hujusmodi crimine omnes criminosi & infames ac participes criminis ad accusationem & testimonium admittantur: Illis tantum exceptionibus fidem testium evacuantibus in totum, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur; ut sunt conspirationes, & inimicitiæ capitales: alia verò crimina etsi debilitent, non repellunt, maximè ubi testes de crimine fuerint emendati.* Eymer. Direct. part. 3. n. 118.

Præter hanc contra testes exceptionem, alia est defensio, quâ Advocati uti solent ad diluendam ac infringendam accusationem, quòd reus sit & semper fuerit Catholicus, idque ex pluribus ejus piis rectisque operibus evidenter constare, & apud omnes existimationem ejus integram optimamque semper fuisse. Simancas de *Cathol. Instit. tit.* 44. § 22. Quàm autem debilis, imò nullius momenti hæc exceptio sit, docet Joannes Royas de hæret. part. 1. n. 346. *Licet plures testes in genere deponant, aliquem esse bonæ famæ; illorum testimonium nullam meretur fidem ad probandum aliquem esse Catholicum, si duobus testibus idem convincatur in specie aliquid dixisse aut fecisse, quod fidei Catholicæ repugnat.*

Si reus confiteatur delictum, acta causa est. Si confiteatur cum adjectâ qualitate tollente, vel pro parte minuente delictum, à Fisco acceptatur confessio delicti, in reum autem rejicitur onus probandi qualitatem. Sunt autem variæ qualitates delictum minuentes, à quibus defensionem petere solent reorum Advocati: Ut si hæresis sit dicta à furioso, infante, aut etiam sene decrepitæ ætatis: excipitur tamen, si senex integrum habeat judicium. Similiter, si sit prolata à dormiente, aut ebrio qui per ebrietatem penitus mente privatus est: Si ab aliquo, absque dolo malo, aliorum hæreses referantur, aut lapsu linguæ aliquid hæreticum effutiatur, & incontinenti corrigatur. Porrò, si quis errat sine pertinaciâ contra aliquam veritatem Catholicæ fidei, quam explicitè scire non tenebatur; & eò magis, si ab aliquo deceptus fuit cui credere tenebatur. Nimia etiam rusticitas excusare potest. Jocus etiam & facetia si inconsultò, celeriter, ex occasione ac sine deliberatione prolata sit, nonnunquam ab hæresi excusare potest; puniri tamen tales possunt, ut temerarii & maledici. Adde, si quis metu mortis aut tormentorum hæreticum quid dixerit aut fecerit: qui quidem graviter peccat, non tamen hæreticus est. Sicut enim (ut ait Brunus lib. 1. cap. 4. § 10.) coacta fidei veræ confessio Catholicum non facit; ita nec coacti erroris assertio pro hæresi imputari debet. Tandem quæ proferuntur ex vehementi quâdam animi commotione, amore, zelotypiâ, irâ, repentino dolore, &c. Est & quædam defensio desumta à jussu superioris: veluti si servus jussu Simanc. Cath. Inst. c. 17.

lib. 4. cap. 8. § 13. domini Sanctorum imagines fregerit, aut simile quid commiserit, mitius puniendus est. Addit Brunus, quod hæreticus exceptionem rei judicatæ, vel litis finitæ opponere potest; veluti, quod de eâdem hæresi ante accusatus fuerit absolutus: Quod locum habet, sive per accusationem, sive per inquisitionem de crimine cognitum fuerit.

Est & alia defensionis species, quando quis dictum aliquod aut factum hæreticale confitetur, pravam autem intentionem negat: atque ita se ab hæresi immunem esse ostendit: quia hæresis propriè consistit in animo. Quando hæc defensio adhibetur, tum solent rei super intentione torqueri, ut plenè & integrè confiteantur. Hoc tamen certis in casibus quandoque limitant, ut non deveniatur ad torturam super intentione, cum deficit criminis probatio, saltem considerabilis, præterquam per confessionem; &, cùm per circumstantias facti, vel per alias præsumtiones, ad persuasionem devenitur, quod per diversam causam, & non per animum hæreticalem, doli scilicet vel intentionis pravæ, reus deliquerit. Illustre illius exemplum refert Carena, *art.* 3. *tit.* 8. § 1. in decisione Granatensis Tribunalis Sancti Officii, per Franciscum Marin de Rodezno Inquisitorem Granatensem.

Anno CIↃIↃCXL. quinto die mensis Aprilis, feriâ quintâ majoris hebdomadæ, libellus quidam ad Granatensis Senatus valvas affixus apparuit: Mosaica lex jactabundis in eo verbis deprædicabatur; commendabatur Calvini secta; diris etiam ac malè precantibus insultationibus devovebatur sacrosancta Christi fides: Deiparæ virginitas & castimonia lacerabatur, adeoque obscœno sermone, qui vix meretricem quæstuosâ libidine ad lupanar prostitutam deceret. Miserationis etiam specie commonebat omnes, tanquam qui se falsâ religione improvidi sinerent abduci. Minabatur denique, præstiturum se, ut cultus omnis ac pietatis officium exstingueretur, quod Granatensis civitas præstat erga marmoreum Virginis simulachrum, in trophæi speciem erectum, & è regione portæ *de Elvira* ad ipsum urbis ingressum in patente campo situm, vulgoque *Virgo del Triumpho* nuncupatum. Libellum hunc post intempestam noctem duo viri per aliqualem tenebrarum licentiam conspicati sunt: chartæ & characterum insolentia avidam alioqui curiositatem facilè pertraxit: ac licet tunc materiæ adhuc ignari, è valvis tamen revulserunt: lectum autem, & iniquæ scriptionis jam conscii, sequenti die ad Sacrum Inquisitionis tribunal attulere. Serpit illicò sceleris fama; & facinoris enormitas ac magnitudo cives omnes Granatenses concitavit.

Carena part. 3. tit. 8. § 1.

Curando dictæ Virginis *del Triumpho* cultui assidebat ex Granatensis Senatus destinatione Fr. Franciscus Alexander; ob id muneris genus, Hispano more, Eremitæ nomen adeptus; habitu prætereà vitæ instituto non dissono. Is quasi injuriâ in Deiparam commissâ proximius se præ cæteris læsum agens, sceleris enormitatem tum privatis colloquiis sæpius per urbem extollebat; tum juridicè argumenta suspicionis suæ, & quid ipse sacrâ illâ nocte vidisset, deposuit. Cum ergò Inquisitiones aliæ sedulò adhibitæ evanuissent, perpensis post tacitè & per moram prædicti Eremitæ depositionibus, magna in eum indicia ac præsumtiones ortæ fuerunt. Varius enim & inconstans fuit deprehensus in suis depositionibus, quas tamen sponte & liberè, nullo nec interrogante nec vocante, deposuit: in quibusdam quæ firmiter deposuerat apertè fuit mendacii convictus: Variis occasionibus multa ex verbis libelli retulit, adeò singulari expressaque notitiâ, quæ nisi ab sceleris autore vel participe haberi non posset: cum alioqui libellum, ut ipse fatebatur, postquam ad tribunal delatus est, nec vidisset ipse, nec legisset. Et cum quidam coram ipso retulisset, rumorem per urbem spargi quod ipse libellum finxisset, illicò ad objectam suspicionem expalluit, pressoque de hac re silentio & cadente vultu, sermonem ad alia artificiosè transtulit. Accedebat personæ qualitas, quod esset homo pravæ vitæ ac morum, hypocrisi notatus, multisque sceleribus astrictus: & tandem constantes vulgi rumores, omnibus uno ore clamantibus, nefandum hoc scelus à nullo alio admitti potuisse.

Itaque Eremita in carcerem duci jussus est, & post tres admonitiones tribus diver-

diversis diebus factas, mox ac comparatione factâ aliarum ipsius scriptionum cum libelli characteribus, deprehensum est literarum genium esse simillimum ac penè eundem, ejusdemque proinde manus & autoris, ab Inquisitionis Fiscali ut crimen ipsi objiceretur vocatus fuit, illudque statim ingenuè professus est, cœpitque altius vitæ suæ cursum & rationem repetere, dicens, se gravissimæ cujusdam Religionis ac familiæ religiosum esse, laicum & professum: ob discordias tamen & simultates in eâ contractas, fugisse, & Religionem aliquot ante annos deseruisse: Ac quia dimisso habitu pietatis ac religionis studium in ipso non perierat, Hierosolymam se contulisse, ibique sancta invisisse loca: ubi, in Deiparam præsertim æstuante affectu, quasi in devotionis monumentum, sacras quasdam suis brachiis notas impresserat: Ex Hierosolymis in inferiorem Pannoniam fuisse delapsum, & in Viennâ urbe templum Virgini *de la Concepcion* dicatum construxisse: Demum in Granatensem urbem rediisse, ubi se suamque operam Virgini *del Triumpho*, ejusque cultui curando consecraverat: Cum autem animadvertisset de absolvendo ædificio non agi, tepereque fidelium devotionem, se omnibus his fuisse permotum, ut sacri illius loci cultum ac venerationem curaret augeri; eoque consilio libellum figere statuisse, multis adversus Deiparam convitiis ac contumeliis plenum, quæ potissimè in Virginem *del Triumpho* dirigerentur. Ut verò sceleris suspicionem à se averteret, & in aliquem Judaici sanguinis (in quos pronior est suspicio) conjiceret, Mosaicæ legis commendationem & Christianæ abjurationem in libello scripsisse. Ac ne demum Lusitanus aliquis putaretur fuisse criminis autor, & ob id ejus nationis homines à cæteris malè haberentur, addidisse Calvinisticæ sectæ commendationem; & in id consilii dæmonis, ut jam nunc putabat, astu fuisse deductum. Existimabat enim eo medio compendiosius consecuturum, ut ad expiandum libelli nefas populi devotio fervidius concitaretur, & in Virginis honorem augustissimæ solemnitates & omni pompâ ac magnificentiâ plenæ celebrarentur, inceptum absolveretur ædificium, veneratio ac cultus augeretur, sacer demum ille locus & civitatis hujus & vicinorum oppidorum confluxu frequentissimus ac celeberrimus fieret. Tantum itaque abfuisse, ut animus ipsi fuerit hæreticalis prædictum libellum figendo, erroresve in eo contentos crediderit, ut potius, contrariis omninò votis, majorem Virginis honorem & cultum hinc augendum semper intenderit, tanquam vir erga Deiparam fidelis, tanquam Christianus etiam & Catholicus, piisque & Catholicis parentibus natus.

Hac confessione auditâ, causâque expensâ & conclusâ ad ejus terminationem, visum fuit eum non esse torquendum, nec ad detegendum socios, seu complices, nec super intentione hæreticali; quia circumstantiæ & præsumptiones plurimæ concurrebant, quæ non solùm suadebant, sed etiam notoriè fidem faciebant, reo nullam intentionem hæreticalem fuisse; sed se intendisse majorem Virginis *del Triumpho* cultum, quo & ipse pluris æstimaretur, & eleëmosynas lucraretur. Nec etiam illum esse relaxandum brachio sæculari: tum, quia libellum fixerat intentione augendi cultum Virginis, tum quia statim accusatione prælectâ ingenuè crimen suum confessus est; & tandem, quod misericordiam multis lachrymis pœnitentiæque signis efflagitasset, quodque suæ capturæ tempore pœnas voluntarias suscepisset; corpus flagellatione, jejuniis, aliisque castigationibus macerando, religionisque gravissimæ, quæ multos Sanctos procreavit, esset Monachus, cujus merita essent sufficientia, quantùm ad punitionem, ut aliorum errores supplerentur atque excusarentur. Quarè decretum fuit, reum in Actu fidei publico, si fortè fuerit proximus, prodire; sin autem, in aliquam ecclesiam, cum blasphemiæ insignibus, linguæ scilicet incastraturâ; jurareque de vehementi; triremibus per decennium ad remum addici, & absque stipendio exilium perpetuum subire ex urbe, totoque regno Granatensi, atque regali curiâ, & leucis quinque per circuitum: producique habitu quo captus fuit; & dum ejus sententia fuerit perlecta cum causæ meritis, manum dextram annulo ferreo inclusam in altum suble-

levatam tenere; & quia Religiosus erat, liberum à flagellis manere.

Ita videmus Eremitæ huic, quia per piam sc. fraudem Virginis *del Triumpho* gloriam promovere intendit, mitius irrogatum supplicium. Cæterùm si quid in religionis Romanæ fraudem commissum credatur, licèt intentionem reus neget, sævos ac immisericordes experitur judices, & pro eorum arbitrio torqueri solet, ut intentionis confessio tormentorum atrocitate exprimatur.

CAPUT XXIII.

De recusatione Inquisitoris.

Direct. part. 3. n. 120.

SUnt aliæ exceptiones quæ opponuntur contra judicem, eæque potissimùm sunt duæ. Prima est, Inquisitoris recusatio. Ea est aliquando aliqua ac justa, aliquando frivola atque nulla. In hoc autem tribunali non quælibet causæ sufficientes ad recusandos alios judices sunt admittendæ, sed solum hæ, inimicitia, conspiratio in reos, aut quid tale, ut, gravis æmulatio, unde inimicitia facilè oritur: causæ quæ fuerint his leviores negliguntur. Aut, quòd reum non servato juris ordine gravavit. Si Inquisitor sentiat, quod ob posteriorem causam delatus eum recusare velit, potest, antequam recusatio ad eum perveniat, alicui plenariè vices suas committere; & tunc non poterit recusari, nec facta commissio impugnari. Si recusatio Inquisitori fuerit præsentata, potest corrigere errorem suum, & processum reducere ad illum statum, in quo erat, antequàm ipsum aggravasset: & sic ablato gravamine, aufertur causa suspicionis, & recusatio jam fit nulla.

Comm. 30.

Si eum recusare velit tanquam inimicum, aut tanquam inimici aut delatoris sui amicum, censet Eymericus arbitros eligendos, quorum decisioni ea recusatio committatur. Verùm nunc causa recusationis ad supremum Inquisitionis Senatum est remittenda, ut ibi summatim re cognitâ, vel Inquisitor recusatus rejiciatur, seu prohibeatur ne judicet in eâ causâ; vel contrà judicare jubeatur. Quod sancitum est in Instructione Madrilianâ a. 1561. cap. 52. *Si aliquis ex Inquisitoribus ab aliquo reo fuerit recusatus, si Inquisitor habuerit Collegam, qui fuerit præsens, debet tunc à cognitione illius causæ abstinere, & certiorem facere Senatum, & interim Collega suus procedat: Quod si Collegam non habeat, similiter faciat Senatum certiorem, & interim non procedat in eâ causâ, donec visis & examinatis causis suspicionis Senatus decernat quid fieri debeat: atque hoc ipsum fiet, cùm omnes Inquisitores fuerint recusati.*

CAPUT XXIV.

De appellatione ab Inquisitore.

n. 121. & seqq. Comm. 31.

ALtera exceptio contra judicem est delati ab Inquisitore appellatio. Licèt autem Fridericus Imperator in l. *Commissi nobis.* § 7. statuat, *Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium ab hæreticis, receptatoribus & fautoribus eorumdem penitus amovendum*; nonnunquam tamen appellatio delato conceditur. Verùm alia est sententia definitiva, à quâ nulla hæreticis appellatio conceditur, quoniam nemo de hæresi definitivè damnatur, nisi vel confessus, vel legitimè, juxta leges in Inquisitione receptas, convictus fuerit; & à definitivis non appellatur ob fidei favorem, & odium hæreticorum, ne judicium protrahatur. Cap. *Ut Inquisitionis.* de hæret. lib. VI. Alia est sententia interlocutoria; ab eâ provocatio reis conceditur, ubi se indebitè gravari senserint.

Simancas de Cathol. Instit. tit. 6. § 3.

Idem confirmat Simancas, *de Cathol. Instit. tit.* 6. § 3. „Hæretici à sententiâ „definitivâ appellare nequeunt: possunt tamen ab omnibus interfationibus seu „in-

„ interlocutionibus judicum provocare, si nondum satis constat reos hæreticos „ esse. Itaque si reus ad subeunda tormenta, vel ad purgationem, vel ad ictus „ fustium damnetur, vel mulcta aliqua ei imponatur, provocare poterit; quia „ non liquet eum hæreticum esse, sed suspectum tantum; nec appellat à lege, „ sed à judicibus, qui arbitrio suo pronuntiarunt.

Hæc appellatio duo continere debet, gravamen quo reus se gravari dicit, & causam per quam gravamen impugnatur.

Hic autem observat Bernardus Comensis in Lucernâ Inquisitorum in voce *Appellatio*, „Quod qui exponit causam probabilem, debet se offerre eam probatu- Notab. 18, 19.
„ rum, nominare testes per quos intendit probare, eosque habere paratos. Quia ali-
„ ter esset parata fraus ipsis excipientibus, quâ uterentur nolentes rejici suas exce-
„ ptiones, & frivolè vexare actorem. Addit: Quod appellatio interposita ab inter- Notab. 20.
„ locutoriâ expressâ unâ causâ cum protestatione de aliis exprimendis, non potest
„ posteà per alias exprimendas justificari, quia talis protestatio non valet nec tenet.
„ Non vult etiam ut judex deferat appellationi, nisi evidenter pateat ipsi judici Notab. 15.
„ ipsam appellationem tenere: Unde si non credit ipsam tenere, non deferat ei.

Gravamina autem alia sunt reparabilia; ut si Inquisitor delatum noluerit ad sui defensionem admittere, aut solus & per se sine Episcopo aut Vicario quæstioni subjiciendum pronuntiaverit; alia irreparabilia, ut si reverâ eum quæstioni subjecerit. Quando itaque delatus gravamina allegat, atque apostolos sæpe & sæpius postulat; Inquisitor exhibitâ sibi ejusmodi appellatione causas appellationis intra triginta dierum spatium excutit; & si adhibito bonorum virorum consilio se delatum injustè aggravasse deprehendat, adveniente termino assignato corrigere debet errorem suum, & gravamina reparare, ac processum reducere ad priorem statum; quo ablato procedit prout ante: quia per amotionem gravaminis, appellatio, quæ erat aliqua, fit nulla.

Circa gravamina irreparabilia cautè est procedendum, neque ad torturam deveniendum sine indiciis legitimis. Ita cavet Instructio Madriliana anni 1561. cap. 50. *Debent Inquisitores plurimum considerare, ut sententia de reo torquendo justè feratur, & præcedentibus legitimis indiciis: Et cum de hoc dubitaverint (quia ex hoc nascitur præjudicium irreparabile, & quoniam in causâ hæresis habet locum appellatio ab interlocutoriâ judicis sententiâ) concedent reo appellanti appellationem. Sed si talem dubitationem non habeant, immò reputant indicia ex processu resultantia legitima esse; tunc ad executionem torturæ sine morâ est procedendum: quoniam appellatio hoc casu frivola reputatur: sed in dubio semper est appellationi deferendum: & ulterius considerare debent Inquisitores, neque ad sententiam tormenti, neque ad ejus executionem procedendum esse, nisi causâ conclusâ, & acceptis rei defensionibus.* Illa enim gravamina si illata sint, processus ad priorem statum reduci nequit.

Si non credat Inquisitor se injustè processisse, assignat intra triginta dies delato terminum ad dandum ei & recipiendum ab Inquisitore apostolos tales, quales decreverit se daturum; assignat etiam in specie, locum, diem, & horam. Si videat causas appellationis esse falsas, vel frivolas, vel nullas, & quod appellans solummodo quærat judicium subterfugere, dat apostolos negativos seu refutatorios, quibus omnes rationes quibus gravamina impugnantur refellit; dicitque, quod interjectam appellationem non admittit, nec admittere intendit, nec ei defert, nec ei deferre proponit. Et hanc responsionem offert indebitè appellanti, & mandat inseri statim & immediatè post appellationem sibi præsentatam; & sic tradit Notario, qui appellationem præsentavit. Si autem videat gravamina esse vera, & injustè ipsi illata; & non sunt reparabilia; vel de hisce dubitat, exhibet appellanti apostolos affirmativos seu reverentiales, in quibus se justè processisse dicit, & discurrendo per singulas appellationis causas, eisque respondendo, tandem concludit, quod nullam appellandi causam dederit: Verum propter reverentiam sedis Apostolicæ, ad quam appellatum est, dicit se appellationem admittere, totumque negotium ad Papam remittere; as-

signatque appellanti certum tempus, intra quod cum processibus clausis & sigillo munitis, ipsi per Inquisitorem tradendis, & datâ idoneâ cautione, vel cum fidâ custodiâ, in Romanâ curiâ se sistere debeat Papæ. Et hanc responsionem offert appellanti pro apostolis affirmativis, & mandat eam inseri immediatè post interjectam appellationem: Et sic tradit Notario, qui appellationem ipsi præsentavit..

Si appellanti Inquisitor exhibeat apostolos negativos, continuat processum suum contra appellantem, ut ostendat, se non desinere esse judicem, quousque per judicem, ad quem fuerat appellatum, sit prohibitum ne procedat. Attamen ab horâ appellationis, nullam erga appellantem novitatem facere potest, donec appellanti tradiderit apostolos negativos. Si verò tradiderit appellanti apostolos affirmativos seu reverentiales, statim desinit esse judex, nec de causâ illâ amplius potest cognoscere; nisi ipsi remissa fuerit per Papam. Potest tamen contra appellantem procedere in aliâ causâ, si videlicet datis apostolis reverentialibus appellans denuntietur Inquisitori de aliis hæresibus seu criminibus.

Hodiè autem Inquisitores inferiores hoc jure non utuntur. In Hispaniâ in Instructione Madrilianâ a. 1561. cap. 51. de hac re ita cavetur. *Si in aliquâ re Inquisitoribus videatur appellationem esse admittendam, in causis criminalibus reorum in carceribus detentorum, debent mittere processus ad Senatum Inquisitionis non factis certioribus ipsis reis, & ita cautè ac secretò, ut nullus extra carcerem id intelligat; quoniam si Senatui aliter videatur in aliquâ causâ particulari, id possit præcipere & providere.* In aliis verò Provinciis, ac præsertim in Italiâ, ubi admissa est appellatio, Inquisitores generalis Romanæ Inquisitionis in totâ Republicâ Christianâ Senatum consulunt, breviter & summariè causâ enarratâ: quod si Senatus judicat reos esse Romam transmittendos, id fieri jubet, & Inquisitores cum idoneâ cautione & custodiâ reos tunc Romam destinant.

CAPUT XXV.

De ratione procedendi contra fugitivos.

Direct. part. 3. n. 130. Comm. 33. Atque hæc quidem est procedendi ratio contra reum in carcere Inquisitionis detentum. Si verò reus sit absens, aut fugitivus, hoc modo contra eum processus instituitur. Quando Inquisitori denuntiatur aliquis ut hæresi infectus, ipseque præsens non est eo in loco ubi Inquisitor degit, sed domicilium habet alio in loco, intra terminos tamen jurisdictionis Inquisitoris, dicitur absens, sed non fugiens. Cum de delati fugâ timetur, licet nullam esse verbalem citationem faciendam, sed ad capturam delati esse deveniendum statuant, tamen & aliquando absens citatur, ut certo die & loco compareat, responsurus de iis, quæ
131. contra ipsum delata sunt. Sed quia ex tali citatione reus facilè potest cogitationes de fugâ concipere, alii suadent, nullam specialem causam in citatione esse exprimendam, sed tantum generaliter reo esse præcipiendum, ut se coram Inquisitoribus sistat, quia volunt ab eo quædam scire. Similiter rectori Ecclesiæ, cui ejusmodi delatus subest, scribit Inquisitor, mandatque ut eum coram se citet, de fide responsurum, & veritatem de se & aliis super crimen hæresis dicturum.

132. Id desumtum videtur ex Concilio Biterrensi cap. 3. *Clericis & Laicis in loco illo, de quo fiet citatio, convocatis per aliquam personam ecclesiasticam, cui hoc per vestras patentes literas committatis, qui in testimonium recepti mandati sigillum suum literis eisdem appendat, & nihilominus rescribat per suas patentes similiter literas, cum suo sigillo pendenti, qualiter, & coram quibus, & quando mandatum impleverit sibi factum.*

Si absens sit penitus extra Inquisitoris jurisdictionem, tunc Inquisitor testes secretè

cretè examinat, ut ad delati absentis notitiam non perveniat quod contra eum inquiratur. Tum inquirit porrò Inquisitor, an delatus in suam jurisdictionem sit reversurus: si reversurus creditur, per annum aut amplius reditum ejus exspectat. Si non sit reversurus, sed domicilium mutavit, arbitrii Inquisitoris est, an Inquisitorem vel Diœcesanum, cujus jurisdictioni delatus subest, requirere velit, ut eum ad se mittant: vel ad illum totum processum mittere, ut faciat quod consultum videbitur. In regno Lusitaniæ non remittuntur delati, sed in quo districto capiuntur, puniuntur: & illuc ab Inquisitoribus alterius districti mittuntur culpæ & informationes contra reum.

Quando quis contra se inquiri animadvertit, aut jam captivus detinetur, ipseque aufugit, ut Inquisitorum manus evadat, dicitur fugitivus. Hic primò Inquisitor diligenter & sine tumultu inquirit, quò se receperit, & ubi lateat: si locum indagaverit, eum capi facit & ad se remitti. Si sit intra suam jurisdictionem, potest requirere dominum temporalem, ut eum capiat & intra districtum suum ducat; imò & alteri domino idem mandare potest, quousque eum habeat. Si sit extra jurisdictionem ipsius, nihilominus contra eum potest procedere, & requirere Inquisitorem cujus jurisdictioni subest, ut eum capi faciat, & ad se remittat; vel illi processum mittere, ut faciat quod justitia suadebit. Sic olim sancivit Concilium Tholosanum cap. 8. *Statuimus etiam, ut quilibet in terrâ alterius possit inquirere & capere hæreticos, & Baillivi locorum teneantur eis præstare auxilium & favorem; ita quod Baillivus Regis in terrâ Comitis Tholosani & aliorum hoc facere possit, & Comes Tholosanus & alii in terrâ Regis.* Prima instructio Hispalensis a. 1484. cap. 21. etiam pœnas constituit contra dominos temporales, qui Inquisitoribus non obediverint. *Quia serenissimi Reges præcipiunt, & ratio ita postulat, ut æqualiter fiat inquisitio super delicto hæresis in terris nobilium, sicut in suis: Inquisitores tam præsentes, quàm futuri, debent in suis diœcesibus ordinare, ut eant liberè ad faciendam inquisitionem in dictis terris. Quod si mandatis Inquisitorum nobiles non paruerint, procedant contra rebelles & contumaces, ad imponendas omnes censuras & pœnas à jure statutas.* Quando autem remittuntur ex uno loco in alium, impensis propriis, si bona habeant, remitti debere statuit Instructio Madriliana a. 1561. cap. 9. idemque in Lusitaniâ observatur. 133.

Si Inquisitor locum quò confugerit indagare nequeat, eum citat personaliter in Ecclesiâ Cathedrali illius diœcesis cujus est, & in Ecclesiâ parochiali illius civitatis in quâ commorabatur ante fugam, ac tandem etiam in domo propriâ in quâ communiter degebat, ut intra certum terminum coram Inquisitore personaliter appareat, de fide & articulis fidei responsurus; additâ pœnâ, si non comparuerit intra terminum ipsi assignatum, eum fore majoris excommunicationis vinculo innodatum. n. 135.

Ita præscripsit Concilium Bitterrense cap. 14. *Eos qui se contumaciter absentant faciatis citari solemniter in parochiali seu cathedrali Ecclesiâ eorumdem, & in locis in quibus domicilium vel habent, vel habere solebant: & ita contrà eos legitimis edictis propositis, præcedenti exspectatione maturâ, diligenti etiam discussione habitâ super actis; ac Prælatorum, de quibus expedire videritis, consilio sigillato; ad talium condemnationem, eorum absentiam Dei & Euangeliorum supplente præsentiâ, pro culparum exigentiâ procedatis: à quibus postmodum redire atque obedire volentibus, & generaliter ab omnibus, qui prius contumaces seu inobedientes fuerint, vel de quorum fugâ meritò timere possetis, cautiones recipiatis fidejussorias, vel faciatis detineri eosdem ubi magis videritis expedire.*

In primo autem Concilio Prælatorum (quod videtur esse Tholosanum) de absentibus ita constitutum est. *Si qui verò culpabiles, vel suspecti, ad vestram pertinentes inquisitionem præsentes non sint, vel fuerint, & infra competentem terminum eisdem à vobis peremtoriè assignatum, & per Ecclesias publicatum, non curaverint comparere, vel se excusare, contra eos, tanquan contra impœnitentes, sine dubio procedatis: Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel intra ejusdem Inquisitionis limi-*

limites deliquerunt, vel domicilium ibi habent, seu habebant quando inquisitio facta fuit, vel cum ibi morarentur ratione officii cujuscunque, publici vel privati; vel certum domicilium non habentes ibidem inventi citati fuerint à vobis, sive illis per quamcunque cautionem adstrictis, sive non, si inquisitionem contra eos facere incepistis, vel eis purgationem forsitan indixistis: siquidem contra tales impœnitentes, vel absentes, potestis procedere, vel debetis; nisi forte ratione delicti majoris seu minoris commissi alibi, vel ratione domicilii, vel aliâ de prædictis causis Inquisitores alii procedere cœperint contra illos: Etenim cum in locis diversis, & per Inquisitores diversos Deo authore inquisitio celebretur, tutius & salubrius est, ut quisque culpabilis in quocunque loco deliquerit, uni & illi tantum Inquisitori permaneat obligatus, à quo primò ex aliquâ de causis præscriptis sine fraude ac sine periculo negotii & animarum fuerit occupatus: ita tamen, ut Inquisitores cæteri quicquid de illo nosse poterunt inquirant, & nihilominus conscribant Inquisitoribus illis, quibus idem culpabilis sit astrictus: sic enim quasi vir unus pugnabitis & convincetis.

Pegna in Direct. part. 3. comm. 35. Ne autem ob fugam impunitus evadat, qui dum custodiretur pro hæresi è carceribus effugit, consuetudine potius quam lege aliquâ receptum est, præsertim in Hispaniâ, ut si honestior sit is qui fugit, & denuò comprehendatur, ut si nobilis, Doctor, Religiosus, aut alias honorabilis civis, custodiatur arctius & durius puniatur. Quod si vilis sit, publicè verberibus flagelletur, & causa hæresis in suo statu permanens tractatur, non tamen propterea convictus de hæresi habetur; quia carceris effractio seu fuga nihil habet commune cum hæresi, & potius præsumendum est carceris tœdio, aut metu falsorum testium, aut ob sævitiam tormentorum aufugisse, quam quod errore intellectus id fecerit. *Zanchinus* tamen *cap.* 10. § 3. dicit, captivum fugientem, vel attentantem frangere carcerem, pro convicto haberi, & tanquam hæreticum damnari. Dicit autem *Simancas Tit.* 16. § 23. id jure communi non probari; legibus tamen regiis planius id ipsum constitutum esse, & ipsius quidem judicio, severè admodum. Solent etiam Inquisitores, cum primum intellexerunt reum evasisse, rescribere ad circumvicinos Inquisitores, aut Episcopos, aut alios quos idoneos judicaverint, ut animadvertant, an is qui effugit, ad suam civitatem fuerit profectus, ut eum curent capi, adjectis in epistolâ nomine, cognomine, patriâ, staturâ, colore, & cæteris circumstantiis, ex quibus reus fugitivus facile cognosci possit.

n. 136. Si autem fugitivus ille fuerat deprehensus in hæresi non solum testibus, sed & propriâ confessione, seque eam abjurare velle dixerat, & ante abjurationem fugit, præsertim si sit Religiosus, qui ipse hæreses prædicavit, citatur ut certo loco & intra certum diem personaliter coram Inquisitore compareat, hæresin abjuraturus; additâ comminatione excommunicationis, nisi paruerit; & si excommunicationis sententiam sustineat per annum animo pertinaci, nec abjurationem faciat, quod judicabitur tanquam hæreticus pertinax, & sit tradendus curiæ sæculari. Si ita citati nihilominus non compareant, sed se excommunicationis vinculo innodari permittant, in omnibus illis Ecclesiis & locis in quibus fuerunt citati, publicantur excommunicati, omnesque illos ut excommunicatos vitare, & si sciverint ubi lateant, eos Inquisitori revelare sub excommunicationis pœnâ jubentur. Ita definivit Concilium Tholosanum cap. 2. *Et si quos repererint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, seu defensores eorum, adhibitâ cautelâ ne fugere possint, Archiepiscopo vel Episcopo, vel Dominis locorum, seu ballivis eorumdem, cum omni festinantiâ studeant intimare, ut animadversione debitâ puniantur.* Plenius paulò illud explicat Conradus Brunus, „Contumax est, qui tribus edi„ctis, aut uno pro omnibus peremtorio, ad judicem provocatus præsentiam „suam apud judicem eum à quo citatus est, exhibere noluit, idque in plena„rio processu. Contra eum altero horum modorum proceditur: Aut contra „ipsum ut contumacem judicatur, aut ad liquidandum crimen legitimæ proba„tiones recipiuntur. Priori casu citatus contumax excommunicatur, qui si per „annum excommunicationem animo pertinaci sustinuerit, tunc velut hæreticus

„con-

„condemnatur, &c. Altero casu, crimen ipsum hæresis contra contumacem, „testibus, scripturis, literarum comparatione, & similitudine stili, aliisque pro- „bationibus liquidabitur, & probatum unà cum libris & scriptis errores hujus- „modi, & hæreses continentibus, condemnabitur. Sed & hæreticus absens hæ- „reticus esse declarabitur ac pronuntiabitur, & à communione ecclesiasticâ ex- „cludetur, omnibusque dignitatibus & ordinibus ecclesiasticis privabitur.

CAPUT XXVI.

Quomodo processus in Inquisitione terminentur.

Postquam processus ita inchoatus & continuatus est, restat, ut explicetur quomodò terminari soleat.

Quando omnes defensiones exhibitæ sunt, instare rursus solet reus pro expeditione causæ: quod fieri potest & solet, vel ab ipso reo incarcerato, vel ab ejus Procuratore seu Advocato: idque vel verbo, vel porrecto brevi aliquo supplice libello.

„Deinde Judices cum Assessoribus & Consultoribus, probationibus excussis, Simanc. tit. 44. § 26. „deliberabunt, & juxta causarum merita ad sententias, vel interlocutiones pro- „cedent; & innocentes absolvent, & pertinaces judici sæculari relinquent, & su- „spectos, pro criminum, personarum, & probationum qualitate condemnabunt „ad quæstionem, vel abjurationem, vel purgationem, vel carcerem, vel relega- „tionem, vel ut pœnam pecuniariam solvant; vel eis injungent, ut jejuniis, ora- „tionibus & eleemosynis suam culpam purgent & redimant.

„Diligenter etiam judices curabunt, ut reos generaliter interrogent de sociis § 27. „criminum, ac de omnibus aliis à quibus hæreses didicerunt, & quos hæreti- „cos esse, vel fuisse, sciunt. Quod si quid eorum retexerint, id à Notario „scribendum est in libris Inquisitionum.

„Præterea capite quodam tertiæ Instructionis cavetur, ut omnes Inquisitores § 30. „Hispaniæ in procedendo adversus hæreticos & suspectos eundem ordinem ser- „vent: quod quia in usu non erat, fecimus (inquit Simancas) octoginta capi- „tula, quibus idem ordo judicii ubique sibi constet: quæ quidem ab omni- „bus Inquisitoribus custodienda sunt, quemadmodum edicto generali Inquisi- „toris continetur, quod typis excusum est anno Domini CIƆIƆLXI.

„Postremò, plurimis Instructionum capitulis continetur, ut in his causis § 31. „quantâ fieri potest brevitate procedatur; nec differantur, aut suspendantur, „spe futurarum probationum; quia forte nunquam supervenient, & interim rei „opprimuntur, & eorum bona dissipantur, ac dilabuntur. 3. *Instruct. Valdolit.* „*cap.* 2, *&* 3. *&* 4. *Instruct. Tolet, cap.* 6. *&* 5 *Instruct. Hispal. cap.* 6.

„Quas ob causas hoc unum animadvertendum & vitandum est, quod Inqui- § 32. „sitores quidam facere solent, qui, ut reos quamplures simul puniant, mul- „torum causas, jam diu conclusas, diutius differunt atque suspendunt: Unde „fit, ut rei, qui plenè suos errores confessi sunt, carceris pœnam indignè pa- „tiantur, & squalore, tabe, ac diuturnâ custodiâ macerentur, &, quod longè „gravius & periculosius est, ut confessiones justè factas revocare, & evanescere „in cogitationibus suis, atque interdum mori ac desperare soleant. Sanctius „ergò & benignus fiet, si plenè confessi Ecclesiæ protinus reconcilientur: quod „die festo intra ecclesiam aliquam satis solenniter fieri poterit, excepto si justa „causa aliud facere cogat.

Auditis Consultorum suffragiis, & latâ sententiâ, reus citatur, ut veniat auditurus sententiam. Per quem ministrum citari debeat, non est certo jure definitum; ideoque cujuslibet Inquisitionis consuetudini hic standum est. Et sine hac citatione sententia nulla esset. Hæc fusius nos docet Pegna in notis ad Lucernam Inquisitorum.

In voce Ordo juris. „Ordo judiciarius in omnibus ferè causis plenè servandus est, aliter processus „redditur nullus. Speciale tamen est in causis hæreticæ pravitatis, ut celerius „expediantur; & ut delicta tam atrocia citò puniantur, ut plenarius ordo ju-„diciarius non servetur: itaque in eis proceditur simpliciter, & de plano, & „sine strepitu & figurâ judicii. Neque ibi locum habet litis contestatio, quæ est negotii principalis hinc inde apud judicem facta narratio, & subjecta responsio, sive negando sive confitendo.

„Cum autem id omittitur, quod est de substantiâ judiciorum, qualia sunt „citatio, terminus, post citationem testium receptio, & quod sententia fera-„tur in scriptis loco & tempore congruis, servatis debitis solemnitatibus, nihil „agitur: & hoc etiam in crimine hæresis verum est: Nam ex omissione actuum „substantialium processus etiam in causis fidei vitiaretur.

Ipsum autem sententias pronuntiandi modum compendiosè complexus est Simancas tit. LX. quæ hic commodè inseruntur, quia nobis ordinem qui in pronuntiandis sententiis observari solet, plenè repræsentant. Ita ergo ait.

Simancas tit. 60. § 1. „Omnes judices recitare sententias ex libello seu breviculo tenentur, neque „debent id per alios facere, excepto si sint illustres, vel illustrem administra-„tionem gerant. Quamobrem cum Inquisitores causam fidei plus quam illu-„strem tractent, sententias per alios proferre possunt: quod quidem fieri debet „coram clero, & populo, ad instructionem & documentum atque terrorem: „Et ita Hispanorum moribus jam olim receptum est.

§ 2. „Sententia condemnatoria ita formabitur, ut in eâ primum qualitas doctrinæ „& dogmatum ab ipso reo assertorum declaretur; deinde diligens criminum in-„vestigatio, citationes, admonitiones, confessiones, legitimæ probationes, & „datæ ad pœnitentiam dilationes, ad hæc in erroribus suis obduratus animus, „& pertinax perseverantia, & reliqua omnia, quæ ad justum processum con-„tra ipsum institutum & observatum pertinent, enumerentur. Quibus omni-„bus ex ordine narratis postremò pro qualitate criminis secundum regulas ecclesia-„sticas subjungitur ipsa sententiæ dispositio, quæ condemnationem dogmatum, „autorum, librorum, & cætera continet.

§ 3. „Præterea in sententiâ condemnatoriâ declarari debet tempus ex quo reus „in hæresin incidit, ut eâ solâ inspectâ judex bonorum publicatorum scire va-„leat, ex quo die bona ipso jure confiscata sint. Quod epistolâ quâdam ge-„neralis Inquisitoris ideò cautum est, ne sit opus totum processum ad eam rem „excutere, ubi solent alia contineri, quæ occulta esse oportet. Item alia epi-„stola Senatus cavetur, ut cum judices & periti de sententiâ ferendâ deliberant, „tunc etiam tempus hæresis definiant. Epistola impressa inter Instructiones, data „Granatæ anno salutis CIↃCCCCXCIX.

§ 5. „Sententia, quâ in hæresim lapsi reincorporantur Ecclesiæ, hac formulâ con-„cipitur: Declarantur fuisse hæretici vel apostatæ, & incidisse in pœnas jure „statutas; sed quia dicunt se velle puro corde & fide non fictâ ad Ecclesiam re-„dire, judices absolvunt eos ab excommunicatione, & reconciliant eosdem Ec-„clesiæ, si ita est, ut asserunt, quod absque ullâ simulatione verè convertun-„tur. 1. *Instruct. Hispal. cap.* 10.

§ 6. „In sententiâ vero condemnatoriâ debet reus declarari hæreticus pertinax, & „ejus bona publicari; ejus quoque dogmata & scripta sunt condemnanda & ana-„thematizanda, & prætereà privandus est beneficiis ecclesiasticis, & officiis „publicis, & quibuscunque honoribus, ac tandem curiæ seculari tradendus de-„bitâ animadversione puniendus.

§ 8. „Cæterum qui post sententiam reconciliationis convictus fuerit hæreses aliquas „vel hæreticos celasse, aut se jactasse se fuisse innocentem & injustè damna-„tum, iterum examinari debet tanquam impœnitens; neque enim proderit ei „sententia, quâ fuit reconciliatus Ecclesiæ; quia eo ipso apparet, eam fuisse „latam ex fictâ confessione, & simulatâ conversione. Prætereà, si quid novæ

pro-

„probationis contra conversum accesserit, debet rursus causa tractari, non ob-„stante sententiâ reincorporationis vel absolutionis, vel purgationis, vel quæstio-„nis in eâdem causâ prius latâ. 1. *Instruct. Hispal. cap.* 13. *&* 3. *Instruct. Valdolit.* „*cap.* 3.

„Cum Inquisitores dissentiunt, & causa in Senatu sanctæ Inquisitionis defini-„nitur, sententiæ subscribere omnes debent, etiam ii qui contrariam vel diver-„sam opinionem tuebantur. Quod si forte in provinciâ quapiam tres Inquisi-„tores sint, & unus eorum cum Episcopo, vel ejus Vicario, sentiat, alii au-„tem duo Inquisitores ab eis dissentiant, remittenda causa est ad Senatum. Si „verò duo Inquisitores cum ordinario judice consentiant, sententia protinus fe-„renda est; nulla mentio dissensionis in sententiæ prolatione fieri debet. Quæ „omnia pluribus Senatus epistolis plenius continentur. § 10.

„Illud quoque usu receptum est, ut cum sententiæ adversus hæreticos publi-„cè proferuntur, novissimè legantur illæ, quibus pertinaces & impœnitentes „damnantur: Et illud item, ut prælectis summariâ relatione actis processus, „priusquam sententiæ condemnatoriæ proferantur, sistatur paululum, & coram „omni populo admoneantur hæretici, ut convertantur tandem, quia durat ad-„huc tempus misericordiæ: qui si dixerint se converti velle, reducendi sunt ad „carcerem, & ad pœnitentiam, si conversi fuerint, admittendi: Si verò in suâ „pertinaciâ & impœnitentiâ perstiterint, legenda sententia est, & confestim à „judice seculari rapiendi sunt, & ad ignem damnandi protinus concremandi. „Cum Lutheranis autem aliud fieri debet, quia sunt omnium hæreticorum pes-„simi & perniciosissimi, & perrarò rectè convertuntur: quas ob res severius „cum eis est agendum. § 11.

„Hoc ordine proferebantur in Hispaniâ sententiæ contra hæreticos descenden-„tes ex Judæis & ex Mauris, quia sibi ipsis duntaxat, aut his qui sui generis erant, „nocere poterant: nec enim per octingentos annos nobiles aut veteres Christia-„ni ab istis contaminati sunt. Sed posteaquam pestiferi hujus temporis hæreti-„ci, non solum veteres Christianos, sed aliquot etiam nobiles impietate suâ in-„ficere sunt deprehensi, non admittuntur usque ad momentum illud temporis „sententiæ proferendæ; quia tunc metu magis mortis imminentis, quam spon-„te aut ex animo veniam petunt, & quia fictè conversi plurimum nocere pos-„sunt. § 12.

CAPUT XXVII.

De terminatione processus per Absolutionem.

HIsce ita in genere dictis, restat ut distinctè, quomodò singuli processus terminentur, explicemus.

Primus modus terminandi processus in causis fidei est per absolutionem, cum reus non reperitur culpabilis. Idque contingere potest duobus modis: Vel quia ipse verè innocens repertus fuerit, putà, quia denuntiatores & testes falsi reperti fuerunt: vel quia accusatio contrà eum non fuit probata.

Si primo modo repertus fuerit innocens, maximè quia testes ipsi revocaverunt sua dicta, tunc innocens potest pronuntiari. Et in tali casu, ut ait Paramus *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *num.* 12. accusatus, cujus innocentia patet, triumphantium more lauro ac palmâ decoratus, equo omnium gratulatione vehi consuevit.

Si verò secundo modo reperiatur non culpabilis, quia non convincitur, nec confessione propriâ, nec facti evidentiâ, nec testium productione legitimâ; nec alias suspectus nec diffamatus publicè de prædicto crimine reperitur, per Episcopum & Inquisitorem, conjunctim vel divisim, absolvitur. Direct. part. 3. n. 141.

Comm. 121. In tali enim casu captivum non posse condemnari, expresse definivit Concilium Biterrense cap. 11. & Narbonense cap. 23. *Ad nullius verò condemnationem procedatis sine confessione propriâ, vel probationibus dilucidis & apertis: satius enim est relinquere facinus impunitum, quam innocentem damnare.*

In hac autem absolutionis sententiâ non exprimuntur hæreses aut delicta, ob quæ fuerit accusatus vel denuntiatus, cum probata non fuerint: Quod cavit Instructio Madriliana anni 1561. cap. 62. sive sententia absolutoria pronuntietur in mortuum, sive in viventem. *Quando defensor memoriæ & famæ alicujus defuncti legitimè causam defenderit, fueritque defunctus ab eâ judicii instantiâ absolvendus, sententia ejus pronuntiabitur in publicâ actione, cum edicta publicata fuerint contra ipsum. Quanquam non debet hoc casu produci statua defuncti qui absolvitur in publicâ actione; neque etiam debent recitari in particulari errores de quibus fuit accusatus, cum probati non fuerint. Atque hoc ipsum debet observari circa illos, qui personaliter fuerunt capti & accusati, & absolvuntur ab instantiâ judicii, si fuerit hoc ab ipsis petitum.*

Nec etiam reus pronuntiari solet immunis ab hæresi, sed quod contra ipsum nihil legitimè sit actum, propter quod possit vel debeat hæreticus judicari, nec suspectus haberi aliqualiter de hæreticâ pravitate; quodque ideò à præsenti instantiâ, Inquisitione & judicio, totaliter relaxatur. Cavent autem sollicitè, ne in sententiâ ponant, quod sit insons, vel immunis; ut si posteà temporis processu iterum deferatur, & legitimè probetur, possit non obstante prædicta absolutoria sententiâ condemnari. Attamen si contingat aliquem penitus insontem pronuntiari, & posteà de eodem crimine deferatur, docent eum non obstante absolutoriâ sententiâ iterum posse judicari & condemnari; quoniam in hoc crimine favore fidei sententiæ quæcunque nunquam transeunt in rem judicatam. Uti definivit Pius V. rescripto quodam, quod hic integrum exhibeo.

Pius Papa V. *Motu proprio, &c.*

Inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis est, prout esse debet, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis, imò, quantum fieri potest, procul exterminatis omnibus hæresibus & pravis erronearum opinionum dogmatibus, tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnibus tempestatum fluctibus & procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit. Cum itaque nos, dum in minoribus constituti sanctissimi officii Romanæ & universalis contra hæreticam pravitatem Inquisitionis negotia pertractaremus, tandem ex longo usu atque experientiâ rerum magistrâ cognoverimus, quod multi rei delati, & in prædicto sanctissimo Officio, seu alibi coram locorum Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus processati, & de hæreticâ pravitate inquisiti, falsos testes ad eorum defensam examinari faciendo, ac compurgatorum de eorum vitâ & doctrinâ minimè informatorum operâ & testimonio se juvantibus, ac diversis aliis illicitis modis, excogitatisque dolosis excusationibus, & malitiis, prædictum sacrum Officium sanctissimæ Inquisitionis, cæterosque judices, & etiam Romanos Pontifices deludendo, & decipiendo, plures etiam veluti innocentes diffinitivas à prædictis processibus & Inquisitoribus absolutorias, & præcedente purgatione canonicâ eorum assertæ bonæ & Catholicæ fidei, vitæ, & doctrinæ, declaratorias sententias seu decreta ab eodem sanctissimo Officio, aliisque locorum Ordinariis, sive delegatis, & etiam Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris obtinuerunt, seu extorserunt: quas sententias & decreta præfati Romani Pontifices etiam cum perpetui silentii impositione, ac inhibitione, ne dictum sanctissimum Officium, aut alii Inquisitores, ad ulteriora procedere possent seu deberent, nec non etiam cum causarum avocatione ad solum Romanum Pontificem, sub cujus protectione submittebatur, aliisque derogatoriarum derogatoriis, & efficacissimis clausulis, ac etiam irritantibus, & aliis decretis etiam in formâ gratiosâ ampliando, per varios & varias eorum motus proprios, ac etiam sub plumbo vel annulo piscatoris expeditas literas, etiam in Consistorio seu consistorialiter emanatas, confirmarunt, unde eveniebat, quod prædicti rei inquisiti, sub velamine & tutamine prædictarum sententiarum declaratoriarum, & literarum apostolicarum, & præsertim vigore clau-

clausulæ inhibitoriæ contra Inquisitores factæ confidentes, clam, & etiam aliquando palam in antiquis eorum erroribus contra fidem Catholicam perseverando, nunquam ad gremium Ecclesiæ verè redibant, imò cum aliis securè, & tanquam Catholici conversando, eorumdem aliorum animos corrumpere & inficere, ac in suas hæreticas opiniones trahere de facili potuerunt, in totius Reipublicæ Christianæ non modicum scandalum & præjudicium, prædictorumque delatorum animarum perniciem & jacturam. Nos huic scandalo adeò pernicioso & contagioso obviare, dictarumque animarum saluti consulere & providere, omnemque jurisperitorum dubietatem & altercationem, ac quæcunque impedimenta & obstacula, propter quæ sancta Inquisitio hæreticæ pravitatis quomodocunque & qualitercunque impediretur, vel retardaretur, tollere volentes, Motu simili, & ex certâ nostrâ scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, imprimis omnes & singulas ac quascunque literas apostolicas, sub quacunque verborum formâ, etiam in prædictis ac quibusvis aliis causis hæresis, etiam motu proprio, &c. ac etiam consistorialiter, &c. & alias quomodolibet emanatas, nec non etiam desuper signatas motuum propriorum & alias cedulas quaslibet ad jus, & justitiam, ac juris terminos reducentes, nec non fisco prædicti sancti Officii Inquisitionis, & aliorum ordinariorum & delegatorum judicum adversus prædictas literas inhibitiones, ac etiam derogatoriarum derogatorias, aliasque clausulas quaslibet os aperientes, & quatenus jurisdictionis dispositioni, vel stylo dicti Officii sint contraria, illas penitus & perpetuò revocantes, hac nostrâ perpetuâ perpetuoque valitura universali Constitutione omnes & singulas, & quascunque etiam ex capite assertæ innocentiæ absolutorias, vel etiam præcedente canonica purgatione sub quacunque verborum forma declaratorias sententias, etiam diffinitivas, & decreta, in eorundem reorum & delatorum favorem, per prædictum sanctissimum Officium, aliosque Judices ordinarios, & delegatos, ac etiam Romanos Pontifices latas, & lata, aut in futurum per nos etiam & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ferendas, & ferenda nunquam fecisse, nec in futurum posse facere transitum in rem judicatam, Apostolicâ autoritate declaramus, decernimus, statuimus & ordinamus, præfatisque sententiis & decretis, & quantumcunque per literas Apostolicas, etiam in forma gratiosa, etiam iteratis vicibus, ac etiam à pluribus Romanis Pontificibus emanatis, confirmatis, vel confirmandis, cum prædictis, vel aliis quibuscunque etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam irritantibus, aliisque clausulis & decretis, nec non inhibitionibus, ac etiam canonicis sanctionibus, quorum omnium & singulorum, aliorumque præmissorum, & inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro expressis, ac totaliter insertis, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque non obstantibus, per prædictum sanctum Officium sanctæ Inquisitionis, ac dilectos filios modernos, & pro tempore existentes S. R. E. Cardinales hæreticæ pravitatis Inquisitores, & super dicto officio nunc & pro tempore deputatos contra eosdem reos delatos & inquisitos, etiamsi fuerint & sint Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, ejusdem S. R. E. Cardinales, Legati, etiam de latere, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Reges & Imperatores, tam de antiquis, quam noviter etiam super eisdem articulis receptis vel recipiendis testibus, aliisque argumentis, probationibus & indiciis, juxta facultates eisdem Cardinalibus Inquisitoribus per nos & quoscunque prædecessores & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac sedem Apostolicam quomodolibet concessas, & datas, ac in futurum respectivè dandas, & concedendas, denuò inquiri & procedi posse & debere, etiam in omnibus & per omnia, perinde ac si prædictæ sententiæ, decreta, & literæ apostolicæ, ac etiam canonicæ purgationes in prædictorum reorum delatorum & inquisitorum, etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Primatum, Cardinalium, Legatorum, Comitum, Baronum, Marchionum, Ducum, Regum & Imperatorum favorem non emanassent, novis præsertim supervenientibus indiciis ejusdem vel alterius speciei hæresis, tempus præteritum etiam respicientibus, vel ubi appareret per aliqua indicia, quod illicitis modis prius ipse delatus vel inquisitus fuisset absolutus, eâdem apostolicâ autoritate volumus pariter & mandamus. Concedentes eisdem Cardinalibus Inquisitoribus, & super dicto sacrosancto Inquisitionis Officio nunc & pro tempore deputatis, plenam, liberam, amplam & omnimodam facultatem, potestatem, & auctoritatem, causas hujusmodi, etiam autoritate œcumenici universalis Concilii Tridentini decisas, revidendi, ac in statu & terminis, in quibus ante prædictas sententias, & decreta, ac etiam canonicas purgationes quomodolibet reperiebantur, reassumendi, fineque debito termi-

nandi, prout in aliis causis pendentibus indecisis per eosdem Cardinales Inquisitores juxta eorum facultates fit, fierique potest & consuevit. &c. anno CIↃ IↃLXVII. Pontificatus primo.

Eodem modo etiam absolvuntur qui delati sunt de receptione, defensatione, seu alias fautoriâ hæreticorum, seu hæreticæ pravitatis, cum nihil probatur contrà eos legitimè.

CAPUT XXVIII.

De terminatione processus contra diffamatum de hæresi, per Purgationem Canonicam.

n. 144. comm. 38. QUando delatus reperitur solummodò de hæresi diffamatus in aliquo pago, civitate, vel provinciâ, & non convincitur nec propriâ confessione, nec facti evidentiâ, nec testium productione legitimâ, nec ulla alia indicia legitimè contra eum probantur, sed sola contra eum præcisè sit infamia; non absolvitur, sed ab Episcopo & Inquisitore conjunctim, non divisim, imponitur ipsi purgatio canonica.

Simancas tit. 56. § 1. „Purgationis canonicæ sæpe fit mentio in jure Pontificum, sed in omnibus „ferè aliis criminibus in usu esse desiit, in crimine tamen hæresis etiam nunc „usitata, & in sacro Inquisitorum foro frequentata est. Quamobrem Godofre„dus laudat Hispaniam his verbis. Puniuntur suspecti hæreseos in religiosissi„mis Hispaniæ regnis, vel hoc maximè his temporibus triumphantibus, & „singulari laude dignis, quod nulla non solum planè hæresis, verum ne suspi„cio quidem hæreseos sine dignâ, vel momento, maneat notâ.

In causâ autem purgationis canonicæ hoc ordine & ritu procedi solet. Conveniunt in unum Inquisitores, Episcopus, aut ejus Vicarius, & Assessores, seu Consultores periti, & excussis probationibus reum condemnant, ut se purget aliquot testibus, Numerus verò testium est arbitrarius, nec præcisè definitus: nam aliquando deputati fuerunt duo Abbates; ut cap. *Cum in juventute.* de purgat. Canon. aliquando quatuordecim compurgatores. eod. tit. cap. *Inter sollicitudines.* Eod. tit. cap. 1. nominantur duodecim. & cap. *Ex tuarum*, septem aut quinque præscribuntur. Judex ergo consideratâ qualitate personæ, criminis, & infamiæ, numerum compurgatorum vel majorem vel minorem definit: potentioribus quippe & magis notis, aut qui majore laborant infamiâ, plures solent præscribi, quam abjectæ sortis & minus notis, quibus non ita facilè est majorem compurgatorum numerum inducere ad se purgandum; quia compurgatores sunt voluntarii, & non possunt compelli ut alii testes. Ordinariè tamen numerus ille definiri solet, ut reus se purget septem plus minus testibus, hoc addito, ut si defecerit in uno, duobus, tribus aut pluribus, exinde convictus plenè de crimine censeatur.

Lucerna Inquisit. in voce purgatio canonica.

Simanc. tit. 56. § 15. „Olim qui deficiebat uno tantum expurgatore ut convictus condemnabatur, „quia non purgabatur ab omnibus. Sed cum id periculosissimum esset, ac for„te ab omnibus purgatus dici posset, qui à majore parte purgaretur, receptum est, „ut eo tempore quo numerus expurgatorum definitur, eodem quoque decerna„tur, ut si defecerit in uno, duobus, vel tribus, aut pluribus, pro convicto hæ„retico habeatur: utrumque enim eâdem omninò ratione in arbitrio judicis est.

Requiritur autem ut testes sint ordinis ipsius delati seu diffamati: hoc est: si sit Religiosus, & illi sint Religiosi; si clericus sæcularis, & illi clerici sæculares; si miles, & illi milites. Ordo autem accipitur in genere, non in specie: Itaque si Episcopus est purgandus, possunt cum Episcopis in purgatione etiam admitti Abbates & Religiosi presbyteri, quia difficulter invenire posset tot Episcopos; & sic in cæteris. Si vero ejusmodi compurgatores non inveniantur, eligendi saltem sunt aliqui viri probi, cives vel alii. Et illi compurgatores debent esse homines Catholici, vitâ probati, & bonæ famæ, qui & illius conversationem & vitam non tam moderno tempore cognoverint, quam præterito, & de

Simanc. tit. 56. § 11.

& de quibus verisimile est, quod neque amore, neque odio, timore, pretio aut prece verum sint occultaturi, aut falsum dicturi. Hæc sententia reo dicenda est, & ab eâ potest provocare; & post appellationem causa referenda est ad Senatum, nisi forte frivola fuerit appellatio; quia tunc ei ab Inquisitoribus deferendum non est, ut generaliter Clemens IV. constituit, & specialiter epistolâ quadâm Senatus Sanctæ Inquisitionis continetur.

Si à sententiâ non fuerit appellatum, vel post appellationem sententia confirmata sit, vel appellatio frivola rejecta fuerit ab Inquisitoribus, tunc reus ad se purgandum debet nominare tot viros bonos, testes expurgatores, quot in sententiâ Inquisitorum continentur. Illi autem testes seorsim vocantur ab Inquisitoribus, & ab eis tria inquiruntur: Primum, an reum cognoscant, & à quo tempore? Secundum, an reus, vel ejus consanguinei, vel affines, dederint aut promiserint aliquid ipsismet testibus, ut reo faverent? Tertium, an testes ipsi se obtulerint ad reum purgandum? Post hæc testes omnes convocantur in auditorium Inquisitorum, & reus ad tribunal ducitur, & ab Inquisitoribus interrogatur, an homines illos cognoscat, & an illi sint, quos ipse in testes purgatores nominavit? Qui respondere solet, se illos cognoscere, & eosdem esse quos nominavit. Fiunt autem hæc omnia coram Inquisitoribus solis, ac tabellione seu Notario, qui literis mandare singula debet; nec alius quispiam præsens esse huic purgationi permittendus est, ne ipse quidem Vicarius Episcopi ordinarii, ut quadam epistolâ Senatus Inquisitionis continetur: à sententiâ verò purgationis excludi non potest Ordinarius, aut ejus Vicarius. Deinde Inquisitor ad expurgatores conversus, talia dicere solet: *Scitote fratres, quod N. reus de hoc & illo crimine accusatus & suspectus est: quam ob rem ab eâ suspicione se purgare tenetur, & vos nominati estis in testes innocentiæ suæ. Tu vero N. per Deum & sacrosancta Euange-* P. 515
lia responde, an ea crimina commiseris? Et super crucem & sancta Dei Euangelia præstito juramento de dicendâ veritate, Inquisitores dicunt ei: *Tu N. fuisti accusatus de tali & tali delicto* (specificatis ei solum illis delictis quæ sapiunt hæresin) *de quibus es vehementer suspectus, meritis processus consideratis: percontamur à te sub debito juramenti quod emisisti, an commiseris, vel feceris, vel credideris hæc delicta, vel aliquid ex eis?* Et habitâ responsione rei in præsentiâ compurgatorum reducitur ad carcerem. Tum Inquisitor interrogat purgatores, an ea omnia probè intellexerint? qui respondent, se intellexisse. Mox testes omnes secedunt; & singulis seorsim vocatis, & ab eis solenni juramento exacto, quærit Inquisitor, an credant N. verum jurasse, vel falsum? & quicquid responderint à Notario fideliter scribendum est. Quæ omnia ita ferè ad verbum continentur Hispalensi quâdam Instructione anni 1500. cap. 4. Olim etiam si quis publicè de hæresi diffamatus fuerat, illi publicè canonica purgatio indicta fuit, ut eis publicè satisfaciat se purgando, quos publicè per ingratum infamiæ offendit odorem: & purgabatur eo in loco, ubi noscebatur diffamatus: & si pluribus in locis diffamatus fuerat, in omnibus illis fidem Catholicam publicè debebat profiteri, hæresinque de quâ ibi noscitur diffamatus detestari. Juramenti formulam, quâ se purgare olim debebant diffamati, præscripsit Concilium Tarraconense: *Ego N. juro per Deum omnipotentem, & per hæc sancta Dei Euangelia, quæ in manibus meis teneo, coram vobis, Domino N. Archiepiscopo vel Episcopo, & coram aliis vobis assistentibus, quod non sum, vel fui, Inzabbatatus, Valdensis, vel Pauper de Lugduno, nec hæreticus in aliquâ sectâ hæresis per Ecclesiam damnatâ: nec credo, nec credidi eorum erroribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ: imò profiteor & protestor, me credere, & semper in posterum crediturum fidem Catholicam, quam Sancta Romana Ecclesia & Apostolica publicè tenet, docet, & prædicat, & vos Domine Archiepiscope, vel Episcope, & cæteri Prælati Ecclesiæ universalis tenent, prædicant publicè atque docent.* Compurgatoribus autem hanc juramenti formulam præscripsit: *Ego N. juro per Deum, & per hæc sancta quatuor Dei Euangelia, quæ manibus meis teneo, me firmiter credere, quod talis non fuit Inzabbatatus, Valdensis, nec Pauper de Lugduno, nec hæreticus, nec credens*

eorum erroribus: & credo firmiter eum in hoc verum jurasse. Præstitâ purgatione sibi indictâ reus debet absolvi, & denuntiari vir boni testimonii, nec potest amplius procedi contra eum vigore præcedentium indiciorum: & sic tollitur infamia, seu effectus infamiæ facti.

Si in purgatione defecerit, hoc est, si purgatores tales & tantos, prout est ei injunctum, qui eum purgent, non invenerit, pro convicto habetur, & sicut hæreticus condemnatur.

Lucerna Inquisit. purg. can. Alii tamen hic distinctione quadam utuntur: Si non potest tot habere testes, quia testes non confidunt ipsum verum jurasse, quod eo casu habeatur pro convicto & deficiente in purgatione canonicâ. Sed si non reperiat, quia est pauper, aut extraneus, ideoque tot notos non habeat in civitate, quod eo in casu ipsi subveniendum sit arbitrio judicis, consideratâ qualitate personæ, criminis, & infamiæ: ita ut, si non possint haberi compurgatores clerici, adhibeantur laïci, etiam fæminæ, si non possint haberi viri: & si etiam laici deficerent ex istâ causâ, tunc credendum sit soli juramento ipsius. Quoniam autem deficiens in purgatione habetur pro convicto, inde colligunt, si alias incidisset in hæresin, quod nunc ob defectum purgationis debet haberi pro relapso, & ut talis tradi curiæ sæculari.

Si autem se purgare noluerit, excommunicatur; quam excommunicationem si per annum sustinuerit animo indurato, ut hæreticus condemnatur. Quod si post purgationem incidit in hæresin jam purgatam, pro relapso habetur, & ut relapsus est tradendus curiæ sæculari: juxta cap. *Excommunicamus* 1. § *Adjicimus.* & versic. *Vel si post purgationem* &c. & cap. *Ad abolendam.* § *Illos quoque.* de hæret. Et præsertim decretum Concilii Narbonensis cap. 11. in hæc verba. *Et illos, qui post abjurationem erroris, seu purgationem, deprehensi fuerint in abjuratam hæresin recidisse, sæculari judicio sine ullâ penitus audientiâ relinquatis animadversione debitâ puniendos; cum sufficiat tales per falsam conversionem semel ecclesiam decepisse; præsertim ubi tanta eorum invaluit multitudo.* &c. *licet eis pœnitentibus nequaquam pænitentia sit neganda.* Hoc autem locum propriè habet, quando quis vehementer de hæresi fuit diffamatus. Vehemens autem creditur infamia, quando quis apud bonos viros, seu pluries, seu passim notetur infamiâ; vel propterea à consortio bonorum virorum repellatur, accedantque etiam indicia & suspiciones infamiam hæresis augentes: aut si statim post magnum aliquod delictum commissum, verbi gratiâ, post deletas Sanctorum imagines, combusta templa, violata sacramenta, & similia, statim adversus aliquem oriatur infamia. Si verò in aliam inciderit hæresin, de quâ se anteà non purgaverat, non censetur relapsus.

Simanc. tit. 56. § 16. Si in purgatione succumbit, & pœnitentiam agere vult, admittendus est, neque tradendus curiæ sæculari, nisi forte relapsus fuerit: cum enim convictus hæreticus, si pœnitens sit, recipitur; multò magis id beneficium ecclesiæ illi impertiendum est, qui præsumtâ quadam seu fictâ probatione convincitur.

§ 17. Apud multos Inquisitores invaluit consuetudo, ut reus vehementer suspectus prius torqueatur, deinde, si nihil confessus fuerit, ut se purgare cogatur, post hæc, si expurgatus sit, ut abjurare quoque teneatur, & tandem post abjura-
§ 18. tionem arbitrariis etiam pœnis puniatur. Alii tamen indignum judicant, ali-
§ 20. quem simul pluribus legibus pro uno crimine condemnari: Et quia unaquæque harum pœnarum efficax est ad quaslibet suspiciones purgandas, ut procul dubio supervacaneum & iniquum sit pluribus simul suspectum reum affligere.

Pegna in Direct. part. 2. comm. 14. Purgatio autem, cum ab aliorum voluntate dependeat, est fallax & incerta, ideò non facilè reis per Inquisitores indicenda est. Sic Instructio Madriliana a. 1561. cap. 47. *Ob malitiam humanam purgatio Canonica periculosissimum est remedium, his præsertim temporibus: ideoque non multum est in usu: quare illo utendum rarò, & cum*
tit. 56. § 1. *magnâ cautelâ.* Hinc Simancas judicat, ad hanc purgationem non esse cogendos qui ex parentibus Judæis aut Mahumetanis nati sunt; quia eos ad purgationem mit-

mittere, tantumdem est, atque rectà in ignem mittere. Quis enim de istis non facilè malè opinetur, aut saltem de illorum innocentiâ non dubitet? Rectius igitur putat abjuratione, tormentis, aut pœnis arbitrariis eos coërcere. Si verò isti ad purgationem fortè condemnati sint, & expurgatores, quales diximus, non invenerint, admittendi erunt alii, quamvis æquè idonei non sint, ne prorsus defensionis facultas eis auferatur. Ac tandem iterum atque iterum monet Inquisitores, ne temerè aut facilè quispiam ad purgationem canonicam ab ipsis condemnetur, hac inter alias allatâ ratione: Quod, ut succumbat reus, satis sit, quod testes respondeant, se nescire, vel dubitare, utrum ille verum vel falsum juraverit. Quis autem anceps non erit, qui sciat, neminem ad purgationem esse damnandum, qui vehementer suspectus non fuerit? Illius igitur sententiâ illi tantum ad purgationem cogendi sunt, quorum fama populo Christiano valdè necessaria est, Episcopi scilicet, Sacerdotes, Prædicatores, & id genus alii.

CAPUT XXIX.

De terminatione processus per Torturam.

QUando delatus non est deprehensus, nec propriâ confessione, nec facti evidentiâ, nec testium legitimâ productione, nec sunt indicia ad talem suspicionem ut condemnari possit ad abjurationem hæresis, solet per sententiam interlocutoriam condemnari, ut exponatur quæstionibus & tormentis, ut si per tormenta interrogatus nihil confessus fuerit, pro immuni & innocente habeatur; & ut errores confessus convertatur & vivat. *Eodem enim fine*, inquit Simancas Cathol. Instit. tit. LXV. § 11. *Paulus tradidit Corinthium Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat.*

Quamvis, ut ait Joannes Royas, Ulpianus egregiè affirmet, Quæstioni fides non semper habenda est; res enim fragilis & periculosa est, & veritatem plerumque fallit: sunt enim aliqui timidi, qui potius mentiri, quam tormenta pati velint, & falsa pro veris proferre: In crimine tamen hæreseos judices ad torturam proniores esse vult Royas, & facilius ad quæstionem venire, quia est crimen suapte naturâ occultum, & facultas probationis deesse solet. Addit Simancas, in criminibus occultis pronior quam in aliis ad inferenda tormenta judex esse debet; & eò magis in hæresi, quò cæteris criminibus solet esse occultior, quippe cum in corde hæretici lateat. Quid quod ejus confessio & ipsi hæretico & universæ Reipublicæ plurimum est profutura.

(part. 2. assert. 31. § 295. 296.) (tit. 65. § 51.)

Casus autem, quibus in processu Inquisitionis ad torturam deveniri potest, varii sunt. Hoc receptum est, ad torturam non esse deveniendum, nisi defectu aliarum probationum, & quando putatur, quod aliter ad explorationem veritatis deveniri nequeat. Hinc tortura adhiberi non solet, nisi postquam processus copia reo data est, ipseque ad omnes articulos responderit, suas defensiones exhibuerit, & tamen judici innocentiam suam plenè probare non potuit, nec per testes aut rei evidentiâ plenè est convictus.

Disputant autem Doctores, utrum reo danda sint indicia quando ex mero officio proceditur: alii affirmant, alii negant. Discordantes opiniones hac ratione conciliat Camillus Campegius in Zanchinum cap. IX. § 9. Quædam omnem inquisitionem præcedunt, & sunt ipsius Inquisitionis origo, utpote quæ ipsum judicem ad inquirendum movent, seu de patrato facinore qualitercunque instruunt; & ista appellantur informationes quæ pro curiâ recipiuntur, ex quibus ipsi judici de diffamatione constat. Et de his putat Doctores intellexisse; cum dixerunt, judicem ex mero officio, & non ad instantiam alicujus, procedentem, non teneri ad tradendam copiam indiciorum. Quod si reus neget, se de illo crimine infamatum esse, debet judex de famâ & infamiâ quærere, quâ re-

pertâ, incipit procedere ad inquirendum de maleficio; non tamen tenetur reo de infamiâ ipsâ fidem facere; sed sufficit, quod ipse judex reum infamatum esse sciat. Si itaque reus in hoc casu petit copiam, judex non tenetur illam dare. Si verò aliquo instigante procedit, tenetur reo petenti copiam etiam de ipsâ infamiâ dare. Ratio differentiæ est, quod quando proceditur ex mero officio, satis sit, si ipsi judici constet de infamiâ; neque eo casu fiat litis contestatio; quia non est cum quo fieri possit, cum ibi nullus adversarius existat, sed fit quasi contestatio inter infamiam, quæ tenet accusatoris locum, & inquisiti responsionem: Adde, quod ex mero officio formari potest inquisitio, nullâ præcedente infamiâ.

Addit porrò, indiciorum copiam dandam non esse, cum reus varius vel vacillans aut trepidans invenitur. Nam varietas, aut vacillatio, vel trepidatio, deficientibus aliis externis indiciis, adeò judicem movere possunt, ut ad torturam ex quolibet eorum deveniat. Alii autem dicunt, non quamvis variationem ad torturam sufficere.

Similia habet Bernardus Comensis in Lucerna Inquisitorum, in voce *Torturâ*, §51.

„In crimine hæresis procedit judex seu Inquisitor ex mero officio suo: quia „non procedit ad accusationem alicujus accusantis, sed ex depositionibus sum-„tis ex officio suo: & ideò non est necesse quod tradat reo copiam indiciorum & articulorum. Contrarium tamen docet Pegna in annot. in vocem *Tradere copiam*, &c.

Si quæstionandus reperitur varius, & in simul sunt indicia alia ad quæstiones sufficientia, ponatur utrumque in sententiâ. Si autem hæc duo non concurrunt, sed unum tantum, utpote varietas sine aliis indiciis, vel alia indicia sine varietate, ponatur in sententiâ ut invenitur.

Observandum insuper est, quod judex omninò debet diligenter & distinctè facere per Notarium in actis extendi, quâ constantiâ aut trepidatione interrogatus responderit, & quæ signa in facie ostenderit, an pallorem, an lachrymas, an risum, an sudorem, an tremorem; quia in casu appellationis judex superior, qui non in facie sed in scriptis tantummodò testes & reos contemplatur, non poterit hæc agnoscere, nisi per primum judicem descripta & extensa fuerint: & secundus non præsumet vacillationem, quia sciebat ipsam in actis exprimendam esse: tum, ne in syndicatu judex ipse arguatur, quod absque indiciis reum torqueri fecerit. Vacillatio autem hæc describenda est præsente teste vacillante, quando eum ob id judex punire intendit.

Idque Campegius potissimum commendat Vicariis aut Commissariis Inquisitoris, vel aliis Sancti Officii deputatis, ut Inquisitor agnoscere possit, quanta fides examinatorum dictis adhibenda sit, quod potissimum ex aspectu cognoscitur. Idem diligenter observandum putat, sive ipse Inquisitor, sive ejus Vicarius examinet, ut periti, quorum consilio utuntur, ea cognoscere possint.

Ex judicis vero arbitrio pendet, an ex tali variatione, titubatione, vacillatione, trepidatione, sudore, &c. delatus torqueri debeat, vel non.

Si sint indicia sufficientia ad inquirendum & arrestandum, sed non ad torturam, potest prudens judex ex vacillatione, & similibus, indicia ad torturam sufficientia colligere.

Casus tamen datur, in quo quis absque indiciis & copiâ datâ torqueri potest; ut si inquisitus præsens existens inquisitioni respondere nollet. Tunc quippe torqueretur, non ad eruendam confessionem, sed responsionem affirmativam vel negativam. Item si inquisitus in debito termino non comparuit, & effectus est contumax, posteà venit contumaciam ipsam purgaturus, poterit absque aliis indiciis torqueri ob præcedentem contumaciam.

Idem addit. in Zanchinum cap. XI. refert sententiam Gand. qui adductis hinc inde

inde rationibus, concludit quod fama de jure canonico semiplenam probationem inducit, dictoque unius testis æquiparatur; & ob eam causam ex famâ solâ posse ad tormenta procedi. Idque ab omnibus Assessoribus communiter observari consuevisse attestatur, quamvis etiam pro & contrà secundum diversas opiniones per judices plerumque observatum esse viderit.

Quando verò fama sit vehemens, aut gravis, vel levis, facti & personarum qualitas attendenda est. Nam si factum grave est, & persona magni pretii, fama requiritur aut totius, aut saltem majoris partis civitatis. Quod si factum angustum & restrictum ad certos homines est, quia verisimiliter id scire debeant, major pars illorum sufficit ad inducendum famam: ut si Episcopus cum suis Canonicis degens de fornicatione diffamatus est, sufficienter talis infamia probabitur per majorem partem illorum Canonicorum. Si factum est parvum, & persona humilis, major pars viciniæ sufficit.

Omnia hæc Pegna in part. 3. Direct. comm. 110. & Lucerna Inquisitorum in voce *Tortura*, distinctius comprehendit. In hac causâ de delicto constare dicitur ad hoc ut tortura possit infligi, cum adest semi-plena probatio, vel sufficiens indicium ad torquendum. Ea autem sunt varia. Primò: Vacillatio, non quæcunque, sed quæ comittitur circa substantialia delicti, & de re circa quam exiguo temporis spatio oblivio cadere non facilè præsumitur (quod arbitrio judicis relinquitur) & reus non est omninò stupidus aut obliviosus. Deinde, Si quis reperiatur de hæresi diffamatus, & prætereà probatur contra se habere unum testem de scientiâ, vel unum aut plura indicia vehementia aut violenta. Porrò: Si habeat contra se unum testem de scientiâ, & cum hoc probantur contra eum unum vel plura indicia vehementia aut violenta. Aut si reperiatur contra se habere plura indicia de hæresi vehementia & violenta, absque aliâ infamiâ, aut teste de scientiâ. Quæ autem indicia vehementia sint ac sufficientia ad torturam judicis arbitrio relinquitur.

Inquisitores autem arbitrio hoc turpiter quandoque abuti, & temerè ad innoxiorum torturam procedere, vel unico exemplo, ne alia commemorem, luculentissimè demonstratur, quod refert Reginaldus Gonsalvius pag. 181. „Ceperunt eodem ferè tempore in eâdem Hispalensi Inquisitione nobilem quandam fœminam Joannam Bohorquiam, uxorem Francisci Varquii, viri imprimis clari ac Higueræ Domini, filiam verò Petri Garsiæ Xeresii Hispalensis civis opulentissimi. Captivitatis causa fuit, quod soror ipsius Maria Bohorquia, spectatæ pietatis virgo, quam posteà ob piam confessionem igni tradiderunt, in tormentis declarasset, se aliquoties cum sorore suâ de eâ doctrinâ contulisse. Quum illam in carcerem conjecerunt, gerebat uterum semestrem fermè, quâ de causâ neque adeò arctè eam recluserunt, neque cum ipsâ agebant eâ sævitiâ, quâ cum aliis vinctis solent, fœtui nimirum consulentes. Octavo à partu die fœtum illi auferunt, quinto decimo verò eam recludunt; eandemque cum aliis vinctis omnibus conditionem cogunt experiri, ac causa ipsius quo rigore quibusque solent artibus agitari cœpta. In tantâ calamitate id tantum solatii afflictæ contigit, quod virgo quædam valdè pia, quam ob pietatem posteà inquisitorius quoque ignis absumsit, tetri illius carceris fortè data est comes. Eam puellam ad torturam quâdam die eductam, atque in carcerem à torturis reductam, adeò quassatam omnibusque membrorum compagibus dissolutam, ut in junceo lectulo ad laborem potius quam ad quietem utrique concesso, vix ac nisi magno cum cruciatu volveretur, summâ animi pietate, quando externis officiis nullus, aut certè perexiguus ibi erat locus, prosequuta est. Vix ista cœperat à torturæ quassatione convalescere, quum ad eundem ludum illa educitur; ibi tanta atrocitate in burro torquetur, ut chordis ad ipsas brachiorum, femorum ac crurum tibias usque penetrantibus carceri moribunda restitueretur, sanguine per os affatim è vestigio erumpente, disruptis haud dubiè visceribus, octavo demum à torturâ die

„mor-

„ mortua ſit. Quum ad eam condemnandam ſufficientia teſtimonia, licet omni-„ bus inquiſitoriis artibus conquiſita ac procurata, defeciſſent, quando accuſata „ eo nata foret loco, ut negotii ipſius apud plebem eſſet omninò aliqua redden-„ da ratio, neque res ullo modo diſſimulari poſſet, in primo triumphi actu qui „ ab ipſius morte fuit indictus, ſententiam ſuam pronuntiari jubent in hæc verba: „ Quoniam hæc domina in carcere obierit (ſuppreſſis haud dubiè cauſis) & ejus „ cauſâ inſpectâ & diligenter examinatâ innocens fuerit deprehenſa, idcircò ſan-„ ctum Tribunal eam ab omnibus gravaminibus per Fiſcalem illi intentatis pronun-„ tiare liberam, liteque prorſus abſolutam in ſua tum innocentia tum exiſtima-„ tione reſtituere, jubereque bona ipſius omnia, quæ in Sequeſtri rationes ve-„ nerant, eis reſtitui ad quos ex jure pertinerent, &c. Ac ita demum poſt-„ quam eam in tormentis belluinâ truculentiâ necaverunt liberam pronuntiarunt.

Simanc. tit. 65. §53. Ubi juris Inquiſitorii ac judiciorum ordine ſervato lata fuerit ſententia, quâ reus ad tormenta damnatur, protinus notificanda eſt Promotori Fiſcali, ut vel appellet ab eâ, vel ejus executionem poſtulet; prout Epiſtolis Inquiſitionis continetur.

Pegna in p. 3. Comm. 110. Olim juxta conſtitutionem Innocentii IV. tortura adverſus hæreticos aut ſuſpectos per judices laicos exercebatur: Cæterum cum hinc ſecreta ſæpius in hac cauſâ revelarentur, & non mediocria in fidem incommoda naſcerentur, commodius poſteà & ſalubrius viſum eſt ſtatuere, ut, cum totum hoc crimen merè eccleſiaſticum ſit, tota ejus cognitio ac plena diſceptatio ad Inquiſitores pertineret; quæ cum fieri ſæpe non poſſit ſine quæſtionibus, ideò cautum eſt, ut Inquiſitores & Epiſcopi poſſint reos hujus criminis torquere; conceſſaque inſuper illis eſt facultas, ut ſi contingeret quandoque irregularitatem contrahere, mutuò ſecum poſſent diſpenſare; ut patet ex reſcripto Urbani IV. incipiente, *Ut negotium.* Et hoc jure nunc utuntur.

Conveniunt itaque Epiſcopus cum Inquiſitore, & per ſententiam interlocutoriam pronuntiant delatum præſenti die & certâ horâ ſupponendum tormentis. Sic Inſtructio Madriliana a. 1561. jubet, cap. 48. *Ad pronuntiandam tormenti ſententiam interveniant Inquiſitores, & Ordinarius, & eodem modo ad ejus executionem, ob varios caſus qui in tortura accidere poſſunt.* Epiſcopus enim ſine Inquiſitore, neque Inquiſitor ſine Epiſcopo, aut ejus Vicario, quenquam torturæ exponere poteſt: videlicet ſi ſui ad invicem copiam habere valeant intra octo dierum ſpatium poſtquam ſe requiſierint. Si autem Epiſcopus ſeu ejus Vicarius requiſitus intra octo dies noluerit intereſſe vel neglexerit, tunc Inquiſitor ſolus poteſt procedere ad torturam: aut ſi alter alterius copiam habere non poſſit, ut quod alter ſit in remotis, tum alter ſolus procedere poterit. Quis autem locus dicatur in remotis arbitrio judicis definiendum relinquunt. Epiſcopus tamen & Inquiſitor poſſunt ſibi invicem committere vices ſuas, vel per literas ſuum indicare conſenſum; idque fieri debet, intra octo dies poſt requiſitionem. In Inquiſitione Cremonenſi Advocatus Fiſcalis etiam torturæ præſens eſt, ſedetque illic Inquiſitor medius inter Vicarium generalem à dextris, & Advocatum Fiſcalem à ſiniſtris. Carena *part.* 1. *tit.* 9. *num.* 41.

Pegna ibid. p. 642, 643. Quod perſonas attinet quæ torqueri poſſunt, quamvis in aliis cauſis & delictis quædam ſint exceptæ perſonæ, veluti, doctores, milites, decuriones, nobiles, horumque filii; in hoc tamen hæreſeos graviſſimo & horrendo crimine nullum privilegium aliquam perſonam tuetur, ſed omnes torqueri poſſunt: Etiam clerici, monachi, & cæteri religioſi; ſed ob periculum excommunicationis ſi gravius torquerentur & læderentur, & ob dignitatem ipſam qua decorantur, eos levius & mitius torqueri volunt, niſi delicti enormitas & indiciorum gravitas acriorem torturam infligendam ſuadeant. Qui verò ob ætatem, ſenectutem, aut partus periculum in aliis criminibus torqueri prohibentur, nec in hoc crimine torqueri debent. Minores verò viginti quinque annis ob hæreſis ſuſpicionem torqueri poſſunt; minor autem quatuordecim annis torqueri non poteſt, ſed terreri

ri & ferulâ cædi. Neque hic ullius loci exceptio eſt, etiamſi illic vel ob antiquam conſuetudinem, vel ob leges municipales nullus ob delicta torqueri ſoleat: Sic in regno Aragonum non poteſt per judicem in delictis imponi tortura; favore tamen fidei etiam in hoc regno quicunque, etiam privilegiati, ob ſuſpiciones hæreſis torquentur.

Poſtquam ſententia de torturâ eſt pronuntiata, mox miniſtri ſe diſponunt ad reum torquendum. „Locus torturæ in Inquiſitione Hiſpanâ ut plurimum ſolet eſſe antrum quoddam ſubterraneum, ac perobſcurum, ad quod multis oſtiis prætergreſſis pervenitur. In eo eſt erectum tribunal, in quo Inquiſitor, & Proviſor, & Scriba ſedent. Accenſis luminibus & ingreſſo torquendo, carnifex, qui alios omnes intus jam exſpectat, inter omnes eſt ſpectaculo & contemplatione dignus. Is totus eſt coopertus nigrâ veſte ex lino ad pedes longâ adſtrictâ undique adhærente corpori: caput habet velatum oblongo nigroque caperone, quo faciem totam contegit, relictis duobus modò parvulis ad viſum feneſtellis. Hæc omnia eò tendunt, ut majore terrore concutiatur animo ac corpore miſellus, hac imprimis diaboli alicujus imagine, cujus manibus torqueri debet. Gonſalv. p. 65, 66.

Dum ſe miniſtri ad torquendum diſponunt, Epiſcopus & Inquiſitor per ſe & per alios bonos viros fidei zelatores torquendum inducere conantur, ut liberè veritatem fateatur: quod ſi fateri noluerit, mandant miniſtris ut eum exſpolient, qui eum expeditè exſpoliant. Clerici verò torqueri non debent à miniſtro ſeu tortore laico, niſi fortè inveniri non poſſent clerici, qui id facere ſciant, aut velint; quia tunc fruſtrà pronuntiarent judices clericum aut monachum eſſe torquendum, ſi id nemo executurus eſſet: quare eo caſu uſitatum eſt, ut à miniſtris laicis clerici torqueantur. Simanc. tit. 65. § 50.

Dum torquendus ſpoliatur, inducitur ad fatendum veritatem; quod ſi renuerit, per aliquot probos viros ſeorſim abductus, inducitur ad confitendum, ipſique dicitur, ſi confiteatur, quod non ſit morti tradendus, ſed tantum juraturus ſe non rediturum ad hæreſin abjuratam: idemque Inquiſitor & Epiſcopus promittunt, niſi agatur de relapſu.

Si nec minis, nec talibus promiſſis inducatur, ut fateatur crimen, torquetur, levius vel gravius, prout exigit crimen delinquentis: & inter torquendum ſuper articulis, ſuper quibus torquetur, interrogatur, & quidem frequenter, à levioribus tamen incipiendo, quia citius creditur confeſſurus levia, quam graviora.

„Rei ab Inquiſitoribus magno effectu ſummaque ope, tempore præcipuè torturæ, monendi ſunt, ut nullo pacto falſum teſtimonium contrà ſe, vel alios, metu pœnarum, vel tormentorum, ſed tantùm veritatem dicant. Nec Inquiſitores promittant veniam ſeu impunitatem delicti, ut reos compellant ad confitenda crimina, quæ non commiſerunt, zelo inquirendæ veritatis; & hujuſmodi confeſſionem delatus impunè poterit revocare. J. Royas part. 2. aſſert. 20. § 226.

Inquiſitores ipſi reos interrogare debent, dum torquentur, neque poſſunt id aliis committere, niſi fortè fuerint vehementer occupati; tunc enim viris bonis & peritis id delegare poterunt. 1. *Inſtruct. Hiſpal. cap.* 18. Quamvis apud alias nationes rei publicè torqueri ſoleant, apud Hiſpanos tamen regiâ lege prohibetur, ne quiſpiam ſit præſens dum rei torquentur, præter judices, tabelliones, & tortores. Eligere etiam debent Inquiſitores tortores idoneos, veteribus Chriſtianis ortos, quos jurejurando adſtringere debent, ne ullo pacto occulta retegant, neque dicta foras eliminent. Ad hæc judices proteſtari ſolent, ut ſi forte reus in tormentis vel ex tormentis moriatur, aut membrorum læſionem patiatur, id ſibi non imputetur, ſed ipſi reo, qui priuſquam torqueatur non vult planiſſimè veritatem dicere. Non tantum de ſe interrogari poteſt hæreticus, ſed etiam generaliter de ſociis & participibus criminis, de magiſtris atque diſcipulis ſuis: eos enim indicare debet, etiamſi non ſit interrogatus; interrogatus autem eos indicare tenetur, multò magis quam aliorum graviſſimorum criminum ſocios. Simanc. tit. 65. § 54. § 55. § 56. § 59.

1560. Quin etiam suspectus de hæresi & plenè convictus torqueri potest in caput alienum, id est, ut socios aut participes criminis retegat. Hoc autem fieri debet, quando vacillavit, vel semiplenè saltem probatum fuerit quod facto intervenerit, vel socios ac participes criminis habeat; quia tum non torquetur ut reus, sed ut testis. Qui verò de se confessus est, in caput alienum non torquetur. Sed si est negativus, etiamsi sit plenè convictus, & semiplenè probatum sit quod socios criminis habet, in capita aliena torquetur, ut socios & alios hæreticos manifestet. *Instruct. Madril.* anni 1561. *cap.* 45. Ratio discriminis inter prædictos casus est; quia qui contra se confitetur, à fortiori si sciret alios esse hæreticos contra eos confiteretur: quod secus est, quando negativus existit.

J. Royas part. 2. Assert. 34.

Dum hæc fiunt, Notarius omnia scribit in processu, quibus tormentis excrucietur, de quibus interrogetur, & quid respondeat. Si illis tormentis non extorqueatur confessio, alia tormentorum genera coram eo ponuntur, diciturque, eum per omnia oportere transire, nisi fateatur veritatem. Si nec hac ratione veritas extorqueatur, potest ad terrorem & ad eliciendum confessionem secunda vel tertia dies assignari, ad continuandum tormenta, non ad iterandum, donec omnia tormentorum genera, ad quæ damnatus est, expertus sit.

Gradus torturæ olim adhiberi soliti fuerunt quinque, qui certo ordine fuerunt inflicti, quos describit Julius Clarus in *pract. crim.* § *fin. qu.* 64. *versic. Nunc de gradibus.* ubi ita ait. *Scias igitur, quod quinque sunt gradus torturæ; scilicet, Primò, minæ de torquendo. Secundò: Conductio ad locum tormentorum. Tertiò, spoliatio & ligatura. Quartò, elevatio in eculeo. Quintò, Squassatio.*

Gonsalv. p. 67. Spoliatio sæpe fit nullo humanitatis vel honestatis habito respectu; non enim viros tantum, sed & fæminas, ac virgines, honestissimas licet ac pudicissimas, cujusmodi plures quandoque in carcere habent, spoliari faciunt ad ipsas usque interulas, quibus postea sublatis (sit verbo venia) ad pudenda usque, stricta linea femoralia illis induunt, denudant deinde brachia usque ad humeros. Quod attinet quassationem, ea est, quando captivus manibus à tergo revinctus, & ponderibus ad pedes alligatis, in altum sublatus, donec caput ipsam contingat trochleam, ipseque aliquamdiu pensilis detentus, ut gravitate ponderis à pedibus pendentis membra omnia atque artus ultra modum distendantur, remisso fune inde præcipitatur, atque in medio aëre repente rursus retento fune prohibetur casus, quo facto juncturæ omnes patientis, cum brachiorum tum crurum, ingentibus cum doloribus, avulsis à se invicem membris, dissolvuntur, pedum pondere ex repentinâ casus prohibitione vehementius atque acrius totum corpus distendente.

p. 70.

In versiculo autem sequente, *Et audivi.* distinctius hæc explicans, tres in torturâ gradus enumerat. *Primus est, terrere: & hic comprehendit non solum minas de torquendo, sed etiam conductionem ad locum tormentorum, & spoliationem, & ligaturam, nisi tamen ligatura esset multum atrox, & stricta, & cum taxillis, ut faciunt plerique judices. Et vide in facto in quodam Medico de loco Olegii, qui plus passus est in solâ ligaturâ, quam alii in torturâ: talis enim possit æquiparari torturæ. Secundus gradus est, ponere in tormentis, vel interrogare in tormentis. Et hoc est elevare, & in suspenso tenere per aliquod notabile spatium. Tertius est, torquere, & hoc est squaßare, & verificatur apud nos in uno ictu funis. Si tamen Senatus jubeat bene torqueri, vel acriter, tunc solent dari duo ictus funis.* Et annotat ad hunc locum Antonius Drogus. *Ut habeas perfectam & modernam practicam, Nota, quod cum Senatus rescribit, interrogetur in tormentis, tunc alciatur sive elevatur, sed non squassatur: Si rescribit, quod torqueatur, tunc intelligitur, quod semel squassetur, factâ prius interrogatione, existente super chordâ, sive eculeo: Si rescribit, quod benè torqueatur, intelligitur, quod bis squassetur, ut hic: Sin autem dicat, acriter torqueatur, intelligitur de tribus squassis, in diversis tamen spatiis per horam durantibus: Si dicat, acerrimè, tunc intelligitur cum taxillis, & ponderibus ad pedes: Senatus tamen ut plurimum exprimere tunc solet taxillos, vel aliam qualitatem, quam intendit. Et hoc casu judex ad libitum citra mortem procedit. Ac*

cum

cum dixerit, acerrimè usque ad mortem, tunc casus est in discrimine rerum.

Similem torturæ modum olim in Inquisitione Tholosanâ usitatum fuisse, ex aliquot Libri Sententiarum locis liquere videtur. Fol. 67. in fine sententiæ Guillelmi Sicredi junioris legitur: *Nec voluit confiteri judicialiter de prædictis, donec fuit detentus in carcere, & in chordâ levatus aliquantulum*, &c. Et fol. 131. legitur Guillelmus Cavallerii ea quæ anteà confessus fuerat, post satis magnum temporis spatium revocasse, *negans se quicquam de hæresi confessum, nisi per violentiam tormentorum.* Ac tandem fol. 132. b. in sententiâ Fr. Bernardi Deliciosi Ordinis Minorum, inter alia crimini illi datur, quod *captos pro hæresi, & etiam de hæresi condemnatos, & immurationis aliisque pœnis addictos, justificaverit, & ipsos, licet veros Catholicos, per tormentorum violentiam de se & aliis confessos super hæresi, & injustè condemnatos fuisse dixerit.*

Torturam Inquisitionis Lusitanicæ hodiernam sævissimam esse, docet nos autor historiæ Inquisitionis Goanæ cap. XXIII. *Mensibus Novembri ac Decembri quotidiè manè audivi clamores & ejulatus eorum, qui quæstioni admoti fuerunt, quæ adeò crudelis est, ut viderim plures utriusque sexus exinde semper fuisse claudos. In hoc tribunali nec ætas, nec sexus, nec personæ qualitas respicitur, sed omnes sine discrimine quæstioni admoventur, quando ut id fiat tribunalis hujus interest.*

Ratio autem torquendi, & tormentorum gradus nunc in Hispanicâ Inquisitione usitati, optimè cognosci possunt ex historiâ Isaaci Orobio Judæi Medicinæ Doctoris, qui à quodam Mauro servo suo, antehac ob furtum jussu suo verberato, delatus fuit Inquisitioni quasi Judæus, & post quadriennium ab alio inimico suo de alio facto unde Judæus agnosceretur iterum delatus fuit, quique se pertinacissimè Judæum negavit. Historiam torturæ, prout eam ex ore ipsius habui, breviter hic adscribam. Postquam integro triennio in carcere Inquisitionis detentus fuit, & aliquoties examinatus, criminaque objecta ipsi indicata, ut ea confiteretur, ipseque ea constanter negaret, tandem ex carcere suo fuit eductus, & per varios anfractus deductus in locum torturæ. Fuit id circa vesperam. Erat locus subterraneus satis amplus, fornice structus, parietes undique velamine nigri coloris tecti; muro affixa erant candelabra, totumque conclave illuminabant candelæ iis impositæ: Ab unâ parte erat locus quidam, cameræ instar, separatus; illic mensæ assidebat Inquisitor cum Notario: ita ut locus hic ipsi visus fuerit domicilium mortis, tetro aspectu undiquaque terribilis. Hic eum Inquisitor denuò monuit, ut veritatem confiteretur, antequam inchoarentur tormenta ipsius. Cum responderet, se veritatem dixisse, Inquisitor graviter protestatus est, quoniam ob pertinaciam ipsius ad torturam deveniendum esset, S. Officium innoxium fore, si inter tormenta sanguinem emitteret, aut animam efflaret. His dictis linteum corpori ipsius obductum est, & ab utraque parte adeò violenter constrictum, ut tandem anhelitus ipsi præcluderetur: cum jam animo deficeret, subitò lintei extremitates sunt remissæ, & cum jam denuò respirare inciperet, maximam ex subitâ illâ mutatione passus est animi angustiam ac dolorem. Hoc tormento superato, eadem monitio repetita fuit, fatere veritatem antequam inchoentur tormenta tua; eaque monitio superato quovis tormento antequam novo exponeretur semper repetita fuit. Itaque cum in negatione persisteret, pollices illius funiculis exiguis arctissimè constricti sunt, adeò ut membra extrema admodum intumuerint, & sanguis inter juncturas unguium expelleretur. Posteà muro fuit applicitus, & exiguo scabello impositus: Muro affixæ erant parvæ trochleæ ferreæ, per quas funes ducti variis in locis corpus ejus ambiebant, præsertim brachia & crura: tortor magnâ violentiâ funiculos hosce trahens corpus ipsius muro applicabat: interim manus ac pedes, digitique manuum ac pedum arctissimè funiculis constricti summo percellebantur cruciatu, non aliter ac si flammis dissolverentur. In mediis hisce cruciatibus tortor subitò scabellum pedibus ipsius subtraxit, adeò ut miser sine ullo fulcimento pependerit funibus undique constrictus, & pondere corporis

funium nodos arctius adstringente. Mox novum tormenti genus succedit. Instrumentum exiguæ scalæ instar, duobus constans lignis erectis, & quinque transversis anterius acuminatis illi ex adverso opposuit tortor, idque motu quodam accommodato maximâ vi in utramque ipsius tibiam impegit, adeò ut utraque tibia quinque ictibus simul validissimè percussa affligeretur dolore intolerabili, adeò quidem ut in animi deliquium inciderit. Mox ad se reverso ultimum tormenti genus inflictum est. Funibus brachia ejus non procul à manu adstricta sunt; illis tortor se implicuit, ita ut dorso ejus corio munito circumducerentur; tum se resupinavit, pedibusque muro oppositis summâ vi funes distendit, donec brachiorum carnem usque ad ossa penitus persciderit: idque tormentum ter repetitum est, funibus illis duorum circiter digitorum spatio à priore vulnere brachio appositis, eademque vehementiâ constrictis. Contigit verò, cum secundò funes constringerentur ut in prius vulnus relaberentur, unde tantâ copiâ sanguis profluxit, ut moriturus videretur. Mox è vicino conclavi advocati sunt Medicus & chirurgus, quos semper præstò esse oportet, ut simili in casu sententia eorum rogetur, an absque mortis periculo tortura continuari possit, ne irregulares fiant judices ecclesiastici si fortè reus in tormentis moriatur. Illi Orobio minimè inimici, respondent, virium satis superesse ad reliqua tormenta sustinendum: & sic eum præservarunt, ne tormenta jam superata denuò ipsi infligerentur; quia sententia fert, ut omnia illa tormenta successivè uno tempore infligantur; si ob mortis periculum desinendum sit, posteà rursus omnia tormenta etiam quæ jam tolerata fuerant, successivè infliguntur, ut sententiæ satisfiat. Itaque idem tormentum tertiò repetitum est; hicque tormentorum finis fuit. Mox vestibus suis involutus in priorem carcerem deportatus est, & septuaginta dierum spatio vix à vulneribus suis sanatus. Quoniam in tormentis nihil confessus fuerat, condemnatus est non ut Judaismi convictus, sed suspectus, ad infamem vestem *Sanbenito* integro biennio gestandum, eoque elapso ad perpetuum è regno Hispalensi exilium.

pag. 19. Aliud tormenti genus narrat nobis ex Gonsalvio Ernestus Eremundus Frisius, in Origine & Historiâ Belgicorum tumultuum. Ligneum scamnum est, quod burrum seu asellum vocant, canalis instar concavum, ut hominem in dorso suo jacentem capere possit, circa medium rotundum baculum transfixum habet, cui compositus hominis dorsus canalem seu ligni concavitatem non sentit; pedes verò ejus capite sublimius eminent. Sic prostrato patiente, brachiorum, femorum tibiarumque ossa duris sed tenuibus chordis seu fidibus circumligantur, quæ palis intersertis intortæ perrupta carne ad ossa penetrant, donec spectantium oculos effugiant. Prætereà tortor tenui lino os ac nares sic miserè jacentis rei obturat, ut spiritum per eas prohibeatur emittere, dum interim aqua per Gonsalv. p. 76. 77. tenue illud linteum certâ mensurâ à judicibus constitutâ non guttatim, sed ad fili modum in jacentis os ex sublimi decidens tenuissimum velum facilè in imum guttur secum trahit, adeò ut nullus sit respirandi locus, os aquâ, nares velo impediente, miserque homo in eo agone sit, in quo moribundi extremos spiritus mox exhalaturi esse solent. Cum verò ex imo gutture velum extrahitur (id verò sæpe fit, ut ad quæstiones respondeat tortus) aquâ & cruore madidum, viscera misero convelli dixeris. Est & aliud huic Tribunali peculiare torturæ genus, quod ignis vocant. Adferri jubent prægrande quoddam prunarium ferreum ignitis plenum carbonibus, ad quod admoveri faciunt torquendi hominis pedum plantas larido perunctas, ut ignis calor penitius possit penetrare.

Hæc est inquisitio per tormenta, quando criminis est solummodò semiplena probatio. Alias etiam tormenta condemnatis ad mortem quandoque infliguntur in pœnam, quæ supplicium mortis præcedat: cujus illustre exemplum habemus in Guillielmo Litgow Anglo, qui, ut ipse refert in Itinerario suo, in civitate Hispaniæ Mallagom captus tanquam explorator, dirissimis tormentis in burro sive asello subjectus fuit. Cum verò nihil ipsi extorqueri potuit, fuit Inquisitioni traditus tanquam hæreticus, utpote cujus itinerarium scateat blasphemiis

miis contrà Papam & Virginem Mariam. Cum se fassus esset Reformatum coram Inquisitore, monitus est, ut se converteret ad Ecclesiam Romanam, & concessi octo dies ad deliberandum. Interim Inquisitor & Jesuitæ aliquoties eum accesserunt, si fortè ad Ecclesiam Romanam converti posset, adhibitis quandoque blandimentis, quandoque comminationibus & convitiis, nonnunquam etiam argumentis. Tandem & blanditiis & promissionibus ipsius constantiam expugnare conati sunt. Sed frustrà. Itaque cum immotus perstaret in proposito, in initio Quadragesimæ fuit condemnatus, ut nocte sequente in carcere undecim tormentis suffocantibus torqueatur, & post festum Paschatis clam Granadam deducatur, ibique circà mediam noctem comburatur, cineresque in aërem projiciantur. Adventante nocte fuit solutus compedibus, omnibus vestibus denudatus, positus in genua, manusque in altum vi sunt sublatæ; & ore ferreis instrumentis aperto, ventrem ejus aquâ repleruntt, donec è faucibus exiret: tum collum ejus vinculo arctè constrictum est, exinde septies circumvolutus per integrum cameræ spatium, donec fermè totus suffocaretur: posteà funem subtilem digitis pedum majoribus alligarunt, ipsumque exinde suspenderunt capite terram versus demisso; tandem disciderunt vinculum, ipseque in eo statu fuit, donec omnis aqua è faucibus effluxisset: Ita ut jam fermè mortuus in terram depositus sit, & compedibus suis adstrictus. Verum præter exspectationem, & casu quodam extraordinario è carcere liberatus, mortem evasit, & feliciter in Angliam enavigavit. At verò hæc torquendi ratio non est hujus loci, ubi agitur de inquisitione criminis nondum plenè probati.

Si decenter tortus nihil confessus fuerit, liberè abire permittendus est: & si requirat judices, ut per sententiam expediatur, non id possunt ei denegare, pronuntiantque, quod de tali crimine, de quo fuit delatus, meritis processus diligenter discussis, non invenitur probatum aliquid legitimè contra eum.

Exstat verò de hoc casu decretum in Instructione Madriliana, a. 1561. *cap.* 54. *Si reus superaverit tormentum, debet tunc Inquisitor arbitrari & considerare qualitatem indiciorum, & quantitatem, & formam seu modum tormenti, & dispositionem seu naturam & ætatem ipsius rei torti: quibus omnibus consideratis si visum fuerit, quod reus sufficienter purgaverit omnia indicia, absolvent eum ab eâ judicii instantiâ. Quod si ob aliquam rationem & causam visum fuerit, consideratis prædictis qualitatibus, tormentum non fuisse inflictum cum debito rigore, tunc imponere ei poterunt abjurationem de levi vel vehementi, aut aliquam pœnam pecuniariam: quamquam hæc fieri non debeant nisi cum magnâ consideratione, & quando indicia non creduntur sufficienter purgata.* Pegna in Direct. p. 122.

Si autem in quæstionibus confessus fuerit, scribitur id in processu, & post quæstiones ducitur in alium locum, ubi non potest adspicere tormenta, ibique illi prælegitur confessio in tormentis facta, & interrogatur pluries, donec confessio habeatur. Observat autem Gonsalvius pag. 73. quando captivus ad audientiam ducitur, quod eum transire faciunt ante ostium conclavis ubi torturæ fiunt, & quod ibi carnifex se videndum in illâ quam diximus diaboli personâ se consultò exhibet, ut vel in ipso transitu præterita tormenta ex illius visu cogatur vinctus delibare: Quantum autem temporis spatium intercedere debeat inter torturam & ratihabitionem, definit Instructio Madriliana a. 1561. cap. 53. *Transactis viginti quatuor horis post tormentum, debet reus confessionem suam ratam habere. Quod si eam revocaverit, utendum est juris remediis. Et quo tempore tormentum infligitur Notarius debet horam scribere, & similiter faciat tempore ratificationis, ne, si sequente die fiat ratihabitio, dubitetur an sit facta post viginti quatuor horas, vel ante. Quod si reus confessionem in tormentis factam ratam habuerit, & Inquisitoribus fuerit satisfactum de bonâ reorum confessione & conversione, poterunt ipsum admittere ad reconciliationem, quamvis in tormentis confessus fuerit: prudenter tamen animadvertere debent, qualiter hujusmodi homines recipiant, & considerare oportet hæresium quas confessi fuerunt qualitatem, an eas didicerint ab aliis, vel eas ipsi alios docuerint, ob periculum quod inde consequi potest.*

Olim in Inquisitione Tholosanâ quantum temporis spatium inter torturam &

& confessionis in tormentis factæ ratihabitionem intercedere debuerit, & an confessione extrà tormenta revocatâ reus dimissus fuerit, haud facilè dixerim. Unicum in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ exstat Guillielmi Cavalerii, mox nominati, exemplum, qui quæ in tormentis confessus fuerat, in judicio constitutus non existens in quæstionibus seu tormentis, sed ab ipsis tam loco, quam ministris, quam etiam tempore, post tres videlicet dies penitus elongatus, denuò confessus fuit, in iisque aliquoties perseveravit: postmodum verò ea revocavit, dicens, se non nisi tormentorum violentiâ confessum: qui tamen aliquot testibus, quorum aliqui erant singulares, factorum quorundam hæreticalium convictus dicitur. Hic per sententiam definitivam pronuntiatur hæreticus, & tanquam talis relinquitur curiæ sæculari. Eâ tamen conditione, ut si intrà quindecim dies, quorum singuli quini ipsi pro totidem terminis assignantur, crimina sua fateatur, & corde bono ac fide non fictâ ad ecclesiasticam unitatem redierit, omnem hæresin abjuraverit, seque simpliciter mandatis Ecclesiæ & Inquisitorum obediturum juraverit, ab excommunicationis vinculo sit absolvendus, & ad perpetuum muri carcerem condemnandus.

Simanc. tit. 65. § 75. Si reus evidentioribus argumentis opprimitur, si nova indicia superveniunt, si crimen objectum atrocissimum sit, & indicia fuerint indubitata, si reus non fuit sufficienter tortus, iterum torqueri potest; sed tum demum, cum in tormenta corpus animusque duraverit.

§ 80. Legitur 1. Instruct. Hispal. cap. 15. *Qui confessionem tormentis extortam alio die revocaverit: abjuret solemniter errores illos de quibus infamatus fuerat: & arbitrio judicum pœnam aliquam pecuniariam solvat, propter infamiam & suspicionem adversus eum adhuc remanentem.* Sed quamvis id ita sit, nihilominus tamen sæpissimè apud Inquisitores videmus quæstionem eo casu repeti.

J. Royas part. 2. Assert. 31. § 300. Solent periti judices protestari in actis processus, quod intendant torturam aliis diebus prosequi, ut possint eam repetere. Sunt tamen nonnulli rei adeò callidi (inquit J. Royas) ut pluries in actu practico vidi, quod positi in torturâ statim delictum confitentur, & tempore ratihabitionis lapsis viginti quinque horis revocant confessionem, & iterum torquentur, & confitentur, & simili modo revocant, & toties quoties torquentur, idem faciunt: quo casu, ne detur processus in infinitum, propter tot variationes, ex quibus sinistræ præsumtiones & indicia oriuntur, pœnâ aliquâ arbitrariâ (& meo judicio) gravi, sunt puniendi. Nam eâ ratione, quâ quis iterum possit torqueri, poterit etiam pœnâ extraordinariâ puniri.

Si non perstiterit in primâ confessione, & sufficienter non est tortus, iterum torturæ potest subjici, non per modum iterationis, sed continuationis tormentorum: quoties autem ob revocatam confessionem in tormentis factam tortura repeti possit, non conveniunt. Quidam semel tantum reperi posse, alii pluries, contendunt. Eymerici sententia est, reum, sufficienter tortum, si extrà tormenta confessionem in tormentis factam revocet, liberè dimittendum esse. Simancas verò ait, tit. LXV. § 67, 68, 69. Reus condemnari non debet ex confessione tormentis extortâ, nisi posteà in eâ perseveraverit. Idem juris est, si confessio extorqueatur timore, aut metu imminentium tormentorum. Tunc autem confessio extorta dicitur metu tormentorum, cum reus trahitur in eum locum, in quo rei torqueri solent, & illic spoliatur vestibus, aut ligatur, aut ita terretur à judice, ut magna probabilitate credat inferenda sibi tormenta fore. Nec enim sufficit ut leviter alibi à judice terreatur, nisi metus ille cadere posset in

In voce Tortura. § 44. hominem constantem. „Hinc & Lucerna Inquisitorum ait: Licet judex existens extrà locum torturæ dicat reo, aut confitearis, aut ducam te ad tormenta, inferendo ei terrorem de hoc quantum poterit, & reus his auditis fuit confessus; in isto casu non dicitur confessio facta metu tormentorum, quia levis „est territio ista.

Si verò perstiterit in confessione, culpam agnoscat, & ab Ecclesiâ veniam po-

postulet, tanquam deprehensus in hæresi propriâ confessione, sed pœnitens, condemnatur. Si autem in hæresi pertinaciter persistat, condemnatur, & traditur brachio sæculari ultimo supplicio afficiendus. Si delatus in hæresin incidisse est deprehensus, vel alias sunt contrà eum indicia probata, propter quæ debeat abjurare ut leviter vel vehementer de hæresi suspectus, propter ea non debet torqueri; sed si ultrà hæc quædam neget quæ non sunt sufficienter probata, sed sunt indicia sufficientia ad quæstiones, & pro talibus torquetur, nihilque confiteatur, iste non absolvitur; sed secundùm probata contrà eum proceditur, & abjurare jubetur velut suspectus, vel deprehensus, prout processus merita exigunt. Si verò per torturam etiam confiteatur, etiam ad illorum abjurationem compellitur.

CAPUT XXX.

De terminatione processus contra Suspectum de hæresi, nec non contra Suspectum ac simul Diffamatum.

QUando delatus de hæresi reperitur tantum suspectus de hæresi leviter, consideratur vel ut suspectus publicè, vel privatim. Si publicè sit suspectus, olim hic abjurandi ritus solebat observari. Inquisitor dominicâ præcedente indicit, se tali diè sermonem facturum de fide, præcipitque ut omnes illi intersint. Cum dies ille advenit, abjuraturus deducitur ad Ecclesiam, in quâ per Consilium determinatum est abjurationem esse faciendam: tum constituitur super tabulato in medio populi juxtà altare erecto, stans, non sedens, ut ab omnibus conspiciatur, capite denudatus, stantibus custodibus circà illum. Facto sermone in Missâ, populo & clero inibi congregato, Inquisitor dicit publicè, illum ibi in tabulato positum ex talibus indiciis & factis suspectum esse habitum de tali hæresi, quæ in publico sermone fuit refutata, & ideò conveniens esse, ut se de illâ purget, eam ut leviter suspectus abjurando. Hisce dictis, liber Euangeliorum coram ipso ponitur, ipseque manibus illi impositis hæresin abjurat. In juramento hoc non tantum jurat, se tenere fidem illam, quam Romana credit Ecclesia, sed & abjurat omnem hæresin se extollentem contrà sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam; & speciatim hæresin de quâ leviter fuit suspectus; hæresinque illam exprimit: Et si aliquid prædictorum in futurum fecerit, pœnis juris ita abjuranti debitis prompto animo se submittit, declaratque quod paratus sit subire omnem pœnitentiam, quam pro his quæ fecit & dixit, & propter quæ meritò de hæresi suspectus fuit, ipsi voluerint imponere, & quod illam pro viribus adimplere studebit. Hac abjuratione factâ, Inquisitor illi dicit: *Fili, suspicionem quam de te habebamus, & non immeritò, purgasti per abjurationem prælibatam; de cætero caveas tibi, ut non incidas in hanc hæresin abjuratam: nam licet, si pœniteres, non traderis brachio sæculari, quia abjurasti tanquam suspectus leviter, & non vehementer; tamen tunc multò fortius punireris, quam si non abjurasses, & pro leviter suspecto habereris vehementer suspectus, & ut talis abjurares; & si denuò prolabereris, pœnâ relapsis debitâ punireris, & absque misericordiâ tradereris curiæ sæculari, ultimo supplicio feriendus.*

Direct. part. 3. n. 161. & seqq. Comm. 40.

Si non publicè fuerit suspectus, secretò in palatio Episcopi, vel camerâ Inquisitoris simili modo abjurat. Hodiè omnes abjurationes leviter suspecti, sive factum sit publicum, sive non, solent secretò fieri. Posteà ipsi imponitur pœnitentia ob ea quæ commisit & propter quæ leviter fuit suspectus.

Si de vehementi sit suspectus, simili modo in tabulato ponitur, & postquam super libro Euangeliorum juramentum præstitit, traditur ipsi in scriptis abjuratio, si legere possit, ut ipse eam coram omni populo legat. Si legere nesciat, Notarius, vel aliquis Religiosus aut Clericus, eam legit per intervalla, & lectis

n. 166. & seqq. Comm. 41.

ctis aliquot verbis quiescit, donec alter ea repetierit; & tum Clericus repetit lectionem, donec tota abjuratio facta sit. In abjuratione autem se submittit pœnis relapsis debitis si in hæresin à se jam abjuratam unquam inciderit. Factâ abjuratione, Episcopus eum monet, quod si in posterum quædam agat vel dicat, unde probetur quod inciderit in hæresin nunc abjuratam, ipsum sine ullâ misericordiâ tradendum curiæ sæculari. Tum imponit ipsi pœnitentiam, mandatque ut eam observet, additâ denuntiatione, quod alias incideret in relapsum, & posset impœnitens meritò judicari. Suspectis autem sive leviter, sive de vehementi non imponuntur cruces, neque perpetuò incarcerantur; quia hæ sunt pœnæ hæreticorum pœnitentium: Quandoque tamen pro delicti qualitate ad tempus hodie Sambenitum gestare jubentur: Ordinariè autem illis imponitur, ut certis diebus solemnibus stent in valvis talium Ecclesiarum, vel circà altare, dum Missarum solemnia celebrantur, habentes in manibus cereum ardentem, certi ponderis; vel ut vadant ad peregrinationem aliquam; nonnunquam etiam ad certum tempus carceri mancipantur, & postmodum, prout videtur, de iis dispensatur.

pag. 192. Talium pœnarum exempla aliquot nobis refert Reginaldus Gonsalvius. „Erat „Hispali homo quidam pauper ac ex sudore suo quotidianum sibi & familiæ vi„ctum parans, cui Clericus quidam uxorem violenter abductam detinebat, nul„lâ intereà neque Inquisitione, neque alterius tribunalis autoritate atrocem in„juriam vindicante. Is pauper, dum inter alios ejusdem conditionis homines „de purgatorio fortè exoritur sermo, excepit ipse rusticanâ potius simplicitate „quam certo consilio, se satis quidem habere purgatorii, cui pessimus nebulo „uxorem violenter averterit, &c. Is sermo ad aures boni Clerici delatus in„geminandi in pauperem injuriam occasionem obtulit, illumque ut male de pur„gatorio sentientem apud Inquisitores accusat. Erratum hoc pauperis sancto „tribunali dignius est habitum in quod autoritate inquisitoriâ vindicaret, quam „scelus Clerici. Itaque ob illud tantulum verbum miser capitur, detruditur in „inquisitoriis ergastulis biennio toto, ac demum in triumphum eductus damna„tur ad gestandum Sambenitum per triennium quod in privato carcere exigat: „eoque exacto, an dimittendus liber, retinendusve adhuc sit in carcere, do„minorum Inquisitorum arbitrium esto. Neque qualibuscunque pauperis alio„quin hominis fortunis est parcitum, ut uxor Clerico, quod verò supererat te„nuissimarum fortunarum post diuturnum illum carcerem inquisitorio cederet „Fisco.

pag. 195. „In illo eodem triumpho tanquam de Lutheranismo suspectus eductus fuit „quoque honestus quidam civis Hispalensis sine pallio & pileo ceream cande„lam manu gestans, nummariâ etiam crumenâ centum ducatis haustâ in expen„sas sancti Tribunalis, postquam annum in Inquisitorio carcere exegerat, & de „vehementi abjuratus, tantum quod dixisse est deprehensus, immoderatos illos „sumtus, qui exigendis Christo scilicet in cœlis jam agenti, die magnâ Jovis „operosissimis illis molibus papyraceis ac carbasaceis (monumenta abusu voca„buli vulgò vocant) illos item, qui in festo panis, quod corpus Christi di„cunt, profundi solent (sunt enim Hispani prodigiosè immoderati) acceptio„res fore Deo, si in egenos, aut in locandas bonis viris orphanas virgines pau-
pag. 196. „peres profunderentur. Auxere eductorum ordinem in illo eodem triumpho „studiosi juvenes duo: alter, quod in albo suo reposuisset quædam carmina in„certo autore confecta eo artificio, ut vel in summam Lutheri laudem, vel vi„tuperium, eadem verba interpretari possent. Is hoc solum nomine post inte„gri anni carceres eductus fuit in triumpho absque pileo & pallio cum candelâ „cereâ, ubi exilii à toto Hispalensi tractu ad triennium, de levi abjuratus, mul„ctam tulit. Alter, quod eosdem versus ob ingeniosum artificium transcripsis„set eandem censuram est expertus, exilio tantum in centum ducatorum mulctam „ad Sancti tribunalis sumptus commutato.

Si sit violenter suspectus, licet fieri possit ut non sit hæreticus, tamen fictione juris hæreticus habetur, & ut hæreticus judicatur. Quale autem hoc judicium sit, mox explicabitur. n. 173. & seqq. comm. 42.

Si reperiatur suspectus de hæresi & etiam diffamatus, condemnatur ut primò se purget cum suis compurgatoribus; & istâ purgatione peractâ ab ipso tanquam diffamato, porrò ut suspectus de hæresi, sive leviter, sive vehementer, sive violenter, abjurationem facere debet, qualis à talibus exigi solet, imponiturque ipsi pœnitentia, gravior vel levior, pro ratione gravioris vel levioris suspicionis. Lata sententia & executioni mandata, potest etiam dispensari, mitigari, vel commutari, prout negotium, & pœnitentis correctio & humilitas id requirunt. n. 181. & seqq. comm. 43.

CAPUT XXXI.

De terminatione processus contra hæreticum Confessum & pœnitentem: ac primò de Abjuratione.

SI delatus sit hæreticus, & medio juramento coram Episcopo vel Inquisitore judicialiter confessus sit hæresin, sed profiteatur se ad informationem Episcopi aut Inquisitoris ab eâ velle resilire, ad Ecclesiæ gremium redire, illamque & unà omnem hæresin abjurare, non traditur brachio sæculari, sed pro gravitate culpæ diversimodè punitur. Primò namque omnes ejusmodi publicè in Ecclesiâ coram omni populo hæresin abjurare coguntur: non autem permittitur ipsis excusare se, vel alio modo innocentiam suam testari, ne populus scandalizetur, putans eum injustè damnatum. Coram abjuraturo ponitur liber Euangeliorum, tum ipse deposito capucio, & genibus flexis, ac manibus ad librum positis, legit, si sciat legere, abjurationem; alias Notarius, vel Religiosus aliquis seu Clericus, & mox subsistit; abjurans quæ lecta sunt, repetit; tunc pergit Notarius, & abjurans semper verba ejus repetit, altâ voce ut ab omnibus audiatur, donec tota abjuratio ad finem usque lecta sit. Direct. part. 3. n. 188. & seqq. comm. 44.

Olim antequam abjurarent violenter suspecti de hæresi, solebat Episcopus vel Inquisitor ita eum alloqui: *Fili, ex his quæ recitata sunt te commisisse, nos te habemus suspectum de hæresi violenter, propter quæ de jure tu es ut hæreticus condemnandus: Consideres ergo & attendas quæ dicam tibi: Si tu vis ab ejusmodi hæresi vel hæresibus sic resilire, quod velis eas hic nunc publicè abjurare, & pœnitentiam, quam tibi injungimus, patienter sustinere, Ecclesia & nos, tanquam vicarii Christi, recipiemus te ad misericordiam; sed injungemus tibi pœnitentiam, quam bene poteris tolerare, & absolvemus te à sententiâ excommunicationis, quâ teneris involutus, & poteris salvus fieri, & habebis gloriam in futurum. Si autem nolueris abjurare, nec pœnitentiam sustinere, statim trademus te brachio sæculari, & insimul perdes animam & corpus. Quid igitur vis, abjurare & salvari; vel renuis abjurare & damnaberis?* Si dixerit nolo abjurare, & in hoc persistat, traditur curiæ sæculari, ut posteà exprimetur: Si autem dixerit, se abjurare velle, abjuratio juxta formulas peragitur. Jam autem tale alloquium Episcopi adhiberi non solet, sed antequam reus ad tabulatum producatur, jam diligentissimè omnia remedia adhibita sunt ad ipsum convertendum, qui si verè conversus fuerit, absque istâ præmonitione abjurabit.

Abjuratio hæc præscribitur omnibus ab hæresi redeuntibus, etiam omnibus quacunque ratione de hæresi suspectis, nec ullus, alias etiam privilegiatus & in dignitate constitutus, excipitur; imo pueri quatuordecim & puellæ duodecim annorum ad eam constringuntur, juxta decretum Concilii Tholosani a. 1229. cap. 11. *Universi tam mares quam fæminæ, masculi à decimo quarto anno & suprà, fæminæ à duodecimo abjurent omnem hæresin extollentem se adversus sanctam & Catholicam Romanam Ecclesiam, & fidem orthodoxam, quibuscunque nominibus censeatur.* Simile est decretum Concilii Biterrensis cap. 31. Quod fortasse idem est, quod citatur in Direct. part. 3. comm. 40.

in libello de formâ procedendi contrà hæreticos. *Ut autem adjuvante Domino hæresis melius exstirpetur, & citius fides plantetur in terrâ, statuta & jura per sedem Apostolicam ejusque legatos ac principes super iis edita faciatis plenissimè observari. Præterea universos, tam mares quam fœminas, masculos à* XIV. *fœminas à* XII. *annis & suprà, faciatis abjurare omnem hæresim, & jurare quod fidem servent, & defendant Catholicam Ecclesiam, & hæreticos persequantur (prout suprà in juramento, quod conciliandi habent facere, de iis planius & latius continetur) conscriptis singulorum nominibus, tam in actis Inquisitionis, quam in parochiis eorumdem, & qui præsentes infrà quindecim dies post suum reditum tale juramentum non præstiterint, suspecti de hæresi habeantur. Hanc autem universalem abjurationem fieri procuretis quam citius per vos ipsos, vel per vestros Notarios seu scriptores, vel per alios ecclesiasticos viros quibus hoc duxeritis committendum: adjecto in juramentis Comitum, Baronum, rectorum, & Consulum civitatum & aliorum locorum, quod fideliter & efficaciter, cum ab eis fuerit requisitum, Ecclesiam contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt juxtà officium & posse suum; & de terris suæ jurisdictioni subjectis bonâ fide pro viribus exterminare studebunt universos hæreticos ab Ecclesiâ denotatos. Post hujusmodi autem abjurationem quicunque lapsi fuerint, & qui non servaverint vel fecerint injunctas sibi pœnitentias, pœnâ relapsis debitâ puniantur.*

Instructio autem Valladolitana facta anno Domini 1488. cap. 12. *Item constituerunt, ut minores ætate discretionis, tam masculi quam fœminæ, non teneantur publicè abjurare, nisi post dictos annos discretionis, qui est annus duodecimus in fœminâ, & quartus decimus in masculo: atque ita intelligatur statutum ordinationum Hispalensium, quod de hoc disponit: cumque prædictos annos excesserint, abjurent quod deliquerint dum essent in minore ætate constituti, si fuerint doli capaces.* Unde colligi videtur, pueros & puellas ante hanc ætatem posse abjurare, non tamen publicè. Tandem etiam decrevit Concilium Narbonense, cap. 6. *Omnes verò faciatis culpas suas, clero & populo convocatis, publicè confiteri & abjurare, atque jurare prout in mandatis Apostolicis, & in statutis domini Romani plenius continetur: nisi ubi culpæ levitas & scandali enormitas* (fortasse legendum *exiguitas*) *rigori etiam huic quicquam ostenderent detrahendum. Et de singulis fiant publica instrumenta continentia culpas, abjurationes, promissiones & pœnitentias eorundem, ne ulterius perire possit vel latere veritas diu celata, nunc autem à Domino tam mirabiliter quam misericorditer revelata.*

Si scribere sciat reus abjurationi à se factæ addere suscriptionem debet: quod si nesciat aut non possit scribere, Inquisitor & Notarius subscribent. Id Inquisitoribus Hispaniæ præscriptum est per Madrilianam Instructionem anni 1561. cap. 42. *Abjuratio, quam rei fecerint, ponatur in fine sententiæ & pronuntiationis illius, cui, si sciunt rei scribere, subscribent, appositis nominibus suis: sed si nesciant, tunc unus ex Inquisitoribus & Notarius subscribent.*

Abjuratione factâ, quoniam omnis hæreticus est excommunicatus, ab excommunicatione solvuntur appositâ conditione, si tamen ad fidei catholicæ unitatem ex corde redierint & fide non fictâ, & injuncta ipsis mandata servaverint; quod expressè additur, ut, si fortè non servaverint, appareat eos non fuisse absolutos.

Qui facta hæreticalia & apostatica committunt, ii juxta praxin in tribunali Inquisitionis receptam ita reconciliari solent. Si sponte compareant, & dicant, se non credidisse ita faciendum esse, sed fidem in corde retinuisse, tunc abjurant ut vehementer suspecti, & aliæ pœnitentiæ salutares ipsis imponuntur. Si dicant, se & fecisse, & ita faciendum credidisse, tunc abjurant ut formaliter hæretici vel apostatæ, & gravius puniuntur, maximè si sponte, aut nullo inducti metu, aut levi metu incusso, hæreticalia aut apostatica facta commiserunt. Quod si non compareant sponte, & facta confiteantur hæreticalia vel apostatica, pravam autem intentionem negent; tunc super intentione torquentur, ut intelligatur, an reverâ ita crediderint, nec ne: & si post torturam legitimè adhibitam in negativâ persistunt, dicentes se non habuisse pravam intentionem, tunc similiter abjurant ut vehementer suspecti. Qui per gravem metum talia commiserunt, de iis statuitur, verisimile esse eos non habuisse pravam in-

intentionem. Si verò intentionem pravam, seu mentis errorem, confitentur, tunc tanquam formales hæretici vel apostatæ abjurare compelluntur, si reverti velint ad Ecclesiæ unitatem, & porrò ut conversi hæretici ad alias pœnas & pœnitentias, quas mox indicabimus, condemnantur. Cæterum ut gravius vel mitius puniantur, consideratur qualitas metus illati, & personæ delinquentis, an juvenis, vel vir; an doctus, vel imperitus; an laicus, vel Clericus seu Religiosus sit; & similes circumstantiæ, quæ delicta solent vel minuere, vel aggravare. Sunt & alii qui verba hæreticalia proferunt, quæ nullam habent excusationem, ludendo, vel iracundè, vel ex fatuâ simplicitate: talibus delinquentibus imponere possunt Inquisitores pœnas pecuniarias. Lucerna Inquisit. in voce Pœna pecun.

Ob facta in quibus nihil apparet de ritu infidelitatis, quæque proinde suspectum tantum aliquem reddunt, non autem hæreticum demonstrant, non proceditur tanquam contra hæreticum, aut hæreticorum credentem; sed solum tanquam suspectum: cum ea facta interdum patrentur ex affectione carnali, interdum precibus amicorum, interdum etiam pecuniâ interveniente.

Formula abjurationis olim in Inquisitione Tholosanâ usitata aliquoties occurrit in Libro Sententiarum; in eâ abjurant *omnem hæresin extollentem se adversus fidem Catholicam Domini Jesu Christi, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ; & omnem credentiam hæreticorum cujuscunque sectæ damnatæ, quibuscunque nominibus censeantur, & omnem favorem, & receptationem, & defensionem, & participationem ipsorum, sub pœnâ quæ de jure debetur relapsis in hæresin in judicio abjuratam*: Promittunt porro, & jurant: *Quod persequentur, & revelabunt, seu detegent, hæreticos, & credentes, & fautores, & receptatores ac defensores eorum, & pro hæresi fugitivos, quandocunque & ubicunque sciverint eos esse, vel aliquem de prædictis: & quod parebunt & obedientes erunt, tenebunt, & servabunt, & defendent fidem Catholicam Domini Jesu Christi, quam sancta Romana Ecclesia prædicat & observat: & quod parebunt & obedientes erunt mandatis Ecclesiæ, & Inquisitorum, & successorum ipsorum, & quod recipient, & pro posse suo complebunt & perficient pœnitentiam, quam ipsis duxerint injungendam, & quod nunquam fugient, nec se absentabunt contumaciter & scienter.* Quæ tamen formula alio in loco paulum est immutata. fol. 100. fol. 145.

In historiâ Ecclesiasticâ duæ nobis occurrunt insignes abjurationis formulæ ab Ecclesiâ Romanâ eximiis quibusdam Doctoribus præscriptæ: Una est Berengarii, altera Hieronymi Pragensis.

Berengarius his verbis abjuravit: *Ego Berengarius, indignus Diaconus Ecclesiæ S. Mauritii Andegavensis, cognoscens veram & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam, de quâ hactenus infamatus sum: Quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus Sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Euangelicâ & Apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit: scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse; & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum frangi, & fidelium dentibus atteri, jurans per sanctam & homousion Trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos verò, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra hæc sentire ac prædicare præsumpsero, subjaceam canonum severitati. Lecto & perlecto sponte subscripsi.*

Hieronymi verò Pragensis abjuratio prolixior est. *Ego Hieronymus de Pragâ, artium liberalium Magister, cognoscens veram Catholicam Ecclesiam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipuè eam de quâ hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt & tenuerunt Johannes Wycleff, & Johannes*

Huss in suis opusculis, libellis seu sermonibus ad Clerum & ad populum, propter quam causam prædicti cum suis dogmatibus & erroribus damnati sunt ab hac Constantiensi Synodo tanquam hæretici, & eorum doctrina prædicta sententialiter damnata, maximè in nonnullis articulis expressis in sententiis per hoc sacrum Concilium contra ipsos latis. Consentio autem S. Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi, & huic sacro Concilio, & ore ac corde profiteor, in omnibus, & per omnia, & præsertim de Clavibus, Sacramentis, Ordinibus, Officiis, & Censuris Ecclesiasticis, Indulgentiis, & reliquiis Sanctorum, & Ecclesiasticâ Libertate, ac etiam de cerimoniis, & aliis omnibus ad Religionem Christianam pertinentibus, prout ipsa Romana Ecclesia & Apostolica Sedes, & hoc sacrum Concilium profitentur; & specialiter, quod prædictorum articulorum plures sunt notoriè hæretici, & dudum à sanctis Patribus reprobati; quidam verò blasphemi, alii erronei, alii scandalosi, quidam verò etiam piarum aurium offensivi, & ipsorum nonnulli temerarii & seditiosi, & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc sacrum Concilium nuper condemnati, & inhibitum omnibus & singulis Catholicis sub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, seu eorum aliquem, aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præsumeret.

Post hæc sequitur prolixa abjuratio figuræ triangularis, ab ipso adhibitæ, & appellatæ *Scutum fidei.* Dein ita pergit. *Præterea ut cunctis pateat quæ fuerunt causæ quare fui reputatus adhærere & favere dicto quondam Joanni Huss, notum facio per præsentes, quod cum multotiens eum audivissem in prædicationibus & scholis, credidi eum virum bonum esse, nec in aliquo obviare traditionibus sanctæ Matris Ecclesiæ, ac sanctorum Doctorum, imò etiam cum nuper in hac civitate mihi fuissent oblati articuli per eum positi, & per hoc sacrum Concilium damnati, primâ fronte non credidi suos esse, saltem in eâ formâ: Cumque ab aliquibus egregiis Doctoribus & Magistris in sacrâ paginâ audivissem affirmari quod sui erant, postulavi pro meâ plenâ informatione mihi ostendi libros manus suæ, in quibus dicti articuli contineri dicebantur; quibus mihi ostensis, manu propriâ ejusdem scriptis, quam ut meam propriam benè cognosco, dictos articulos omnes & singulos, in eâ formâ quâ damnati sunt, reperi esse conscriptos. Unde non immeritò comprehendi & comprehendo ipsum & suam doctrinam cum eorum sequacibus per sacrum Concilium damnatam & reprobatam fuisse tanquam hæreticam & insanam. Et hæc omnia supra-dicta dico purè, & sine conditione, ut jam plenè & sufficienter informatus de prædictis sententiis latis per hoc sacrum Concilium contra doctrinas dictorum quondam Johannis Wicleff & Johannis Huss, & contra ipsorum personas; quibus sententiis tanquam devotus Catholicus in omnibus & per omnia humiliter consentio atque adhæreo.*

Tum porrò abjuratâ quadam opinione de fide quæ locum esset habitura in futurâ vitâ, tandem ita concludit. *Insuper juro & per Sanctam Trinitatem, & per hæc sacrosancta Euangelia, me in veritate Ecclesiæ Catholicæ semper & sine dubio permansurum, & omnes qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Et si ego ipse aliquando, (quod absit) aliquid contra sentire aut prædicare præsumsero, canonum severitati subjaceam, & æternæ pœnæ obligatus inveniar. Hanc autem confessionem & professionis meæ paginam coram hoc sacro Concilio Generali & voluntariè porrigo, & eidem me propriâ manu subscripsi, & hæc singula conscripsi.* Facta est hæc abjuratio xv. Septembris CIↃCCCCXV.

Videtur Hieronymus Pragensis Joannis Hussi condemnatione territus infirmitate naturæ humanæ prolapsus: Mox tamen animo resumto hanc suam abjurationem in Synodo magnâ constantiâ revocavit; fuitque penultimo die mensis Maji anni CIↃCCCCXVI. à Synodo Constantiensi pronuntiatus, declaratus & damnatus hæreticus, & in hæresim relapsus, excommunicatus & anathematizatus; & ut talis brachio sæculari traditus; rogoque impositus mortem summosque ignis cruciatus animo verè heroïco sustinuit.

Atque hac ratione omnibus, quos Ecclesia Romana hæreticos pronuntiat, abjuratio præscribitur, nisi tanquam impœnitentes hæretici tradi velint brachio seu curiæ seculari: præsertim verò Doctoribus, quos dogmatistas, dogmatizantes, & hæresiarchas appellant. Refert nobis Bzovius anno CIↃ CCCCLXXIX. § 9. illu-

illustre exemplum, quod in Hispaniâ contigit. Petrus Uxamensis, qui Salmanticæ Theologicas scholas explicabat, librum vulgarat, quo varia Romanæ Ecclesiæ placitis repugnantia continebantur. Archiepiscopus Toletanus Compluti, ubi multus erat, jussu Sixti Romani Pontificis viris doctissimis in conventum evocatis, re diu multumque deliberatâ, placita ejus reprobavit, autorem, nisi mutaret, anathematis ignominiâ notavit: sententia pronuntiata 9. Calendas Junii. Sixtus Pontifex Toletani sententiam diplomate confirmavit, eique mandavit, ut contra Petri de Osma sequaces, si hujusmodi hæresin, in quam prolapsi sunt, abjurare, & eundem Petrum, prout errantem secuti sunt, errores suos abjurantem & se emendantem sequi recusaverint, aut malitiosè distulerint, tanquam hæreticos procedere non omittat. a. 1479 § 9.

CAPUT XXXII.

De pœnis ac pœnitentiis salutaribus quæ abjurantibus imponuntur.

Abjurantibus, & post abjurationem Ecclesiæ reconciliatis, variæ imponuntur pœnæ & pœnitentiæ, ut vocant, salutares: Illæ ab Inquisitoribus imponuntur pro arbitrio: Extra. de hæret. C. *Ad abolendam.* § *Præsenti.* habetque Inquisitor potestatem illas mutandi & mitigandi: quia talis impositio pœnitentiæ non est definitiva sententia, sed potius injunctio pœnitentiæ, & mandatum seu præceptum purgationis. Secus est, quando Inquisitor aliquem damnavit ut hæreticum, & ut tali pœnam imposuit: quia illa est pœna à jure determinata, quæ non dependet ab arbitrio Inquisitoris; ipseque per talem damnationem protulit sententiam definitivam, & sic desiit esse judex. Zanchin. *de hæret. cap.* 21. Et hæ pœnitentiæ generatim quibusvis imponi solent.

Sacerdotibus & aliis Clericis non solet publica pœnitentia injungi, tum propter ordinis dignitatem, tum etiam ne grex fidelium offendatur, & patiatur scandalum. Sed quamvis hoc in levioribus criminibus servandum sit, in gravioribus tamen Sacerdotes etiam cogendi sunt ad subeundam publicam pœnitentiam, & eò magis in crimine hæresis, quò Sacerdotes gravius quam laici delinquunt. Nec soli Clerici & Presbyteri publicam pœnitentiam agere debent, sed etiam Episcopi, Cardinales, & cæteri, quantâlibet dignitate præfulgeant: par enim omnium conditio est in his quæ ad fidem pertinent orthodoxam. Ad hæc, Clerici hæretici ad Ecclesiam redeuntes, post alias pœnitentias deponendi sunt, saltem degradatione verbali, quâ suspenduntur ab exercitio suorum Ordinum: de quâ in sequentibus. Simanc. tit. 47. § 74. 75. 76.

Communis hæreticorum pœna est bonorum omnium confiscatio: Quanquam enim sponte venientibus, & ultrò antequam accusentur confessis benignè confiscatio remitti soleat; tamen postquam delati & in carcerem conjecti sunt demum confitentibus, aut in sententiâ suâ persistentibus, gratia illa concedi in Hispaniâ minimè solet. Atque in hac confiscatione summus adhibetur rigor, adeò ut Inquisitio Fisco addicat, non tantum bona condemnatorum, sed & omnia ab ipsis administrata, licet manifestè constet, ea aliorum esse. Cujus luculentum exemplum nobis suppeditat Inquisitio Hispalensis. Historiam satis prolixè & circumstantiis suis egregiè vestitam narrat Reginaldus Gonsalvius.

„In Inquisitione Hispalensi captus fuit ob religionem Anglus quidam Nicolaus Burtonus, vir imprimis pius, quem posteà in fidei confessione & ejuratione impietatis immobiliter perseverantem combusserunt. Hujus, cum primum captus est, bonis omnibus ac mercibus, quarum causâ in Hispaniam venerat, in Sequestri rationes, pro more inquisitorio, redactis, inter ea quæ ipsius erant, multas quoque opes mercium involverant, quæ ipsi ab alio Anglo mercatore Londini agente, pro more mercatorum, factoris nomine, ut dicunt, fuerant commendata. Is acceptâ Londini factoris sui ac mercium sua- pag. 175. & seqq.

„rum captivitate, procuratorem, nomine Joannem Phrontomum, cum tabulis in „Hiſpaniam miſit, repetitum res ſuas. Igitur procurator Hiſpalim appulſus, „tabulis ac ſcriptis omnibus apud Sanctum tribunal repræſentatis, petit illarum „mercium ſibi fieri poteſtatem. Reſpondent Domini, ut ſcripto agat, & ad- „vocatum deligat (haud dubiè protrahendæ litis gratiâ) atque illi ipſi, huma- „nitati ſcilicet conſulentes, ei quendam deſignarunt, qui ſupplices libellos & „ſcripta omnia, quæ in Sancto tribunali offerenda forent, illi conficiebat, pro „ſingulis ſcriptis octo realibus avarè exactis, licet tantumdem illi commodi, ac „ſi nulla forent, ſcripta ei præſtitiſſent. Aderat hic homo per totos tres aut „quatuor menſes ſingulis diebus bis, manè videlicet & à prandio, ad fores In- „quiſitoriæ arcis, petens ac obſecrans genubus ad terram flexis Dominos Inqui- „ſitores, ut expediretur, præſertim verò Dominum Epiſcopum Tarraconen- „ſem, qui primarii Inquiſitoris loco Hiſpali tunc erat, ut is, pro primariâ „ſuâ autoritate, juberet res ſuas ſibi reſtitui. Præda verò erat ingens ac opima, „recuperatuque proinde difficilis. Poſt quatuor demum totos menſes in preci- „bus ac inanibus obſecrationibus inſumtos, reſponſum tandem accipit, ſcriptis „quibuſdam, eis quæ anteà attuliſſet amplioribus, ex Angliâ allatis, ut rerum „ſibi fieret poteſtas, eſſe opus. Proficiſcitur continuò Anglus Londinum, & „allatis ſecum quas deſideraverant amplioris fidei tabulis Hiſpalim redit, eiſque „in Sancto tribunali repræſentatis, Domini reſponſum differunt, graviores oc- „cupationes, quibus tum diſtinerentur, cauſantes. Eodem reſponſo ſingulis „diebus repetito hominem diſtinuerunt totos alios quatuor menſes. Exhauſto „jam pecuniâ Anglo, & expediri adhuc inſtanter ſupplicante, rem ipſam ad „Epiſcopum rejiciebant: conſultus Epiſcopus ſe unum tantum eſſe, rem verò „ad alios Inquiſitores quoque ut expediretur pertinere, ajebat: atque eâ arte „ab aliis in alios relatâ culpâ, nullus apparebat liti finis. Tandem die quadam „expedire hominem ipſius victi importunitate decreverunt. Expeditio verò fuit: „Licentiatus Gaſcus, unus ex Inquiſitoribus, homo inquiſitoriis fraudibus appri- „mè ſtrenuus, jubet eum à prandio adeſſe: ejuſmodi nuntio lætus Anglus, de „reſtituendis ſibi rebus ſuis, deque ſe ad vinctum putandarum rationum cauſâ „introducendo, quemadmodum ab ipſis Inquiſitoribus, licet non bene intelle- „ctis, ſcilicet opus fore, ut vinctum ipſum conveniret, ſæpe audierat, eos jam „ſeriò cogitare credens, ad veſperam rediit: reverſum jubent cuſtodi carceris, „ut in quodam carcere, quem illi nominarunt, recludat. Anglus ad conferendas „rationes cum alio ſe introduci primum credens, haud multò poſt vinctum ſe „atque in tenebroſo ergaſtulo, præter ſuam exſpectationem deprehendens, in- „tellexit demum, aliter rem habere quam cogitarat. Poſt tres aut quatuor dies „educunt eum in audientiam; & quando juxta ipſorum artes haud malè id qua- „draret, res ſuas ab Inquiſitoribus repetente Anglo, abſque ullâ aliâ præfatio- „ne Ave Mariam recitare eum jubent. Recitat ille ſimpliciter in hunc modum: „Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & be- „nedictus fructus ventris tui Jeſus. Amen. Excipiuntur ſcripto omnia, & de „repetundis rebus omni ſermone omiſſo, neque enim opus erat, jubent eum in „carcerem ſuum reduci, & actionem adverſus eum, ut hæreticum, inſtituunt, „qui juxta Romanæ Eccleſiæ morem Ave Mariam non recitaret, quin potius „in ſuſpecto loco eam finiret: deberet enim addere, Sancta Maria Mater Dei „ora pro nobis peccatoribus: quâ præciſâ caudâ Divorum interceſſionem non „probare haud obſcurè videretur: atque ita demum, juſtâ occaſione inventâ, „manſit captivus per complures dies: eductus poſteà fuit in triumphum palu- „datus, fortunis omnibus, pro quibus, licet non ſuis, utique certabatur, exu- „tus, & inſuper ad annuum carcerem damnatus.

Sed verò ſuſpectos & ſponte venientes uſitatum non eſt, bonorum confiſca- tione mulctari; itaque aliæ illis pœnæ, quas pœnitentias ſalutares vocant imponi ſolent. Pœnæ autem & pœnitentiæ ad quas hujuſmodi pœnitentes condemnan-

tur

tur variæ sunt. Pœnitentiæ quas Dominicus illis imponere solitus fuit, ut eos Ecclesiæ reconciliaret, colligi possunt ex Formulis ipsius, quæ adhuc exstant. Harum una ita sonat. *Universis Christi fidelibus, ad quos præsentes literæ pervenerint, Fr. Dominicus Oxomensis Canonicus, Prædicator minimus, Salutem in Christo. Autoritate Domini Abbatis Cisterciensis, Apostolicæ Sedis Legati, qui hoc nobis injunxit officium, reconciliavimus præsentium latorem Pontium Rogerium, ab hæreticorum sectâ Deo largiente conversum; mandantes in virtute præstiti sacramenti, ut tribus Dominicis festivis diebus ducatur à Sacerdote nudus in femoralibus, ab ingressu villæ usque ad Ecclesiam verberando. Injungimus etiam ei, ut à carnibus, ovis, & caseo, seu omnibus quæ sementinam trahunt carnis originem, abstineat omni tempore, exceptâ die Paschæ, & Pentecostes, & die Natalis Domini; in quibus ad abnegationem erroris præstini, præcipimus, ut eis vescatur. Tres Quadragesimas in anno faciat, à piscibus abstinens. Tribus diebus in hebdomadâ semper à piscibus, & ab oleo, & vino abstineat, & jejunet; nisi corporalis infirmitas, vel labores æstatis exegerint dispensationem. Religiosis vestibus induatur, tum in formâ, tum etiam in colore, quibus in directò utriusque papillæ singulæ cruces parvulæ sint assutæ. Quotidiè, si opportunum fuerit, Missam audiat: & diebus festivis ad vesperas in Ecclesiam pergat. Alias horas, tam nocturnas quam diurnas, ubicunque fuerit, Deo reddat, scilicet septies: in die decies Pater noster dicat: mediâ nocte, vigesies. Castitatem observet, & manè apud Cererim villam chartam illam Capellano suo per singulos menses ostendat. Capellano etiam præcipimus, ut de vitâ ejus curam diligenter habeat: hæc omnia diligenter observet: donec alias super his Dominus Legatus suam nobis exprimat voluntatem. Quod si ea observare contemserit, tanquam perjurum, & hæreticum, & excommunicatum ipsum haberi præcipimus, & à fidelium consortio sequestrari.* Exstat alia brevior ejusdem Dominici, in hæc verba. *Universis Christi fidelibus, ad quos literæ præsentes pervenerint, Fr. Dominicus, Oxomensis Canonicus, Prædicationis humilis minister, salutem & sinceram in Domino charitatem. Discretio vestræ Universitatis præsentium autoritate cognoscat, quod nos Raymundo Guillelmo de Altâ ripâ Pelaganirio licentiam concessimus, ut Guillelmum Ugotionem hæreticali quodam habitu, ut idem coram nobis asseruit, investitum, secum in domo sua apud Tolosam teneat, more aliorum hominum conversantem; quousque super hoc nobis, vel sibi expressius mandatum faciat Dominus Cardinalis, & quod sibi non cedat, videlicet Raymundo Guillelmo, ad infamiam, sive damnum.* Bzovius an. 1215. § 13.

In Synodo verò Tarraconensi hæ pœnitentiarum formulæ sunt definitæ. *Hæretici perseverantes in errore relinquantur curiæ secularis judicio. Perfecti verò hæretici, si converti voluerint, & dogmatizantes, absolutione præhabita, & abjuratione facta, perpetuo carceri intrudantur.*

Credentes autem hæreticorum solemnem faciant pœnitentiam; hoc scilicet modo: Quod in festo omnium Sanctorum proximè venturo, & in prima Dominica adventus, in die Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Febr. S. Eulaliæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos Quadragesimæ sint in processionibus ad Sedem, seu Ecclesiam Cathedralem, & ibi discalceati in braccis & camisia; præterquam in die S. Mariæ Febr. & in Ramis palmarum, ut reconcilientur in Ecclesia parochiali, in processionibus publicè disciplinati per Episcopum vel Sacerdotem Ecclesiæ. Item in quarta feria in capite jejunii veniant simul ad sedem, & sint eodem modo, & secundum formam juris discalceati in braccis & camisia, & expellantur ab Ecclesia, & sint extra Ecclesiam per totam Quadragesimam: sic tamen ad fores Ecclesiæ, quod ibi audiant Officium. Et in die Cœnæ Domini sint discalceati in braccis & camisia ante fores Ecclesiæ, & tunc secundum Canonica instituta publicè reconcilientur Ecclesiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de die Cœnæ, faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus Dominicis Quadragesimæ facta reconciliatione exeant Ecclesiam: & stent ad fores usque in diem Cœnæ, & portent duas cruces perpetuò ante pectus, quæ non sunt ejusdem coloris cum vestibus; & portent ita, ut videri possint solemniter pœnitentes: ita tamen, quod non abstineant ab ingressu Ecclesiæ in Quadragesima, ultra decem annos.

Pœnitentia illorum qui sunt relapsi in fautoriam similiter erit solennis, ut de credentibus proximè dictum est, in diebus omnibus supradictis: hoc excepto, quod cruces portare, & pœnitentiam de quartâ feriâ cinerum, & sancto die Jovis faciant simili modo per decennium.

Pœnitentia illorum, qui non sunt relapsi in fautoriam, sed sunt fautores, & vehementissimè suspecti, erit eodem modo solennis in festo omnium Sanctorum, Natalis Domini, Epiphaniæ, S. Mariæ Feb. per omnes dies Dominicos Quadragesimæ, Et aliam pœnitentiam de feriâ quartâ Quadragesimæ, & de stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, ut supra dictum est, faciant per septennium.

Pœnitentia illorum qui sunt fautores, & vehementer suspecti, erit solennis eodem modo in festo omnium Sanctorum, Natalis Domini, S. Mariæ Februarii, in Ramis palmarum; & aliam pœnitentiam de quartâ feriâ Quadragesimæ, & de stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de reconciliatione in die Cœnæ, ut suprà dictum est, faciant per quinquennium.

Pœnitentia illorum, qui sunt fautores, & suspecti, erit solennis eodem modo in festo omnium Sanctorum, S. Mariæ Februarii, Ramis palmarum; & aliam pœnitentiam de feriâ quartâ Quadragesimæ, & stando extra Ecclesiam per totam Quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium. Intelligitur tamen, quod mulieres vestitæ veniant, & disciplinentur.

Hanc autem pœnitentiam faciant omnes prædicti in festivitatibus & diebus præordinatis, in civitate istâ vel loco, & non alibi, usque ad festum Paschæ; illi scilicet qui sunt cives. Forenses autem faciant eam in parochiis suis, & non alibi: præterquam in feriâ quartâ in capite Quadragesimæ, & in die Cœnæ Domini, in quibus veniant omnes ad sedem, vel ad locum Ecclesiæ suæ: In sequentibus verò temporibus Quadragesimalibus, decennalem pœnitentiam, septennalem, quinquennalem, & triennalem, quam debent facere in quartâ feriâ in introitu Quadragesimæ, & in die Cœnæ Domini, secundum diversitatem culparum, ut jam definitum est, faciant omnes tam cives, quàm forenses, in sede Civitatis suæ, & non alibi, nisi ex justa & rationabili causa, & de speciali licentia Episcopi vel Vicarii sui, & tunc in locis, ad quæ de licentiâ Episcopi iverint, faciant coram Episcopo illius loci, vel locum ejus tenente, eandem poenitentiam, portantes literas Episcopi vel Vicarii sui, continentes poenitentiam, quam facere debent. Et reportet etiam ille, qui poenitentiam fecerit, literas Episcopi illius loci ad N. talis dioecesis de peractâ poenitentia testimonium continentes. Quod si forte casu fortuito, sine fraude tamen & dolo, in illis duobus diebus non possent ad cathedralem Ecclesiam pervenire; cum redierint in duabus aliis solemnitatibus, assignatis eis, juxta arbitrium Episcopi publicè disciplinentur apud sedem N. secundum formam illorum duorum dierum.

Ex hisce liquet, pœnas ad quas hujusmodi pœnitentes condemnari solent, esse plures ac diversas. Primò enim sunt quas strictè vocant pœnitentias salutares, ut jejunia, orationes, eleëmosynæ, frequens Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usus; & tandem peregrinationes ad loca quædam. Sic in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ foll. 99. 6. quibusdam injungitur, *ut visitent singulis annis quamdiu vixerint Ecclesiam St. Stephani Tholosæ in festo inventionis ejusdem; & Ecclesiam St. Saturnini Tholosæ in Octavis Paschæ.* Et fol. 102. a. *Item injungimus vobis omnibus & singulis superius nominatis peregrinationes beatæ Mariæ de rupe Amatoris, & de podio de valle viridi, & de tabulis in Monte pessulano, & de Serinhamo, St. Guilielmi de deserto, Sti. Ægidii in Provinciâ, Sti. Petri de monte majore, St. Marthæ apud Tarasconem, Stæ. Mariæ Magdalenæ apud Sanctum Maximinum, Sti. Antonii Viennensis, Sti. Martialis & Sti. Leonardi in Lemovicinio, Sti Dionysii, & Sti. Ludovici, & beatæ Mariæ de Carnoto in Franciâ, Sti. Severini in Burdegalâ, & Beatæ Mariæ de Solaco, Stæ. Fidis de Conchis, Sti. Pauli Narbonensis, & St. Vincentii de Castris.*

Illa autem peregrinatio indicitur pœnitenti cum habitu nigro, quem deferat cum literis Inquisitoris, ad locum illum quem in peregrinatione visitare debet; & requiritur, ut in testimonium veritatis reportet literas testimoniales Fratrum Prædicatorum, aut aliorum illic commorantium.

Non-

Nonnunquam peregrinatio præscripta fuit ad militiam in terrâ sanctâ contrà Saracenos. Ita definit Concilium Biterrense, *ut fidem vel Ecclesiam quam taliter offenderunt defendant ad tempus pro vestro arbitrio definitum, per se vel per alios magis idoneos, ultra mare vel citra, contra Saracenos vel hæreticos, & fautores eorum, aut aliter fidei & Ecclesiæ rebellantes.* Et mox. *Quibus autem fuerint peregrinationes injunctæ, teneantur dictas testimoniales literas ostendere in singulis peregrinationibus ei, qui præfuerit Ecclesiæ quam visitaverint; & easdem literas de peregrinatione illâ peractâ vobis reportare: qui verò transfretaverint, cum fuerint ultra mare, ut citius poterunt præsentent se cum vestris literis venerabilibus Patribus Patriarchæ Herosolymitano & Aconensi, vel alii cuicunque Episcopo, vel eorum cujuslibet locum tenenti, & reportent vobis cum redierint de suâ peregrinatione laudabiliter ibi completâ literas cujuslibet Episcopi transmarini.* Et exemplum istiusmodi sententiæ habemus in volumine Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ *fol.* 142. b. *& seqq.* pronuntiatæ in Magistrum Guilielmum Garrici legum Professorem Carcassonæ, qui condemnatus fuit, ut in terram sanctam militatum abeat; aut, si legitimè fuerit impeditus, suis sumptibus & expensis alium idoneum bellatorem in subsidium terræ sanctæ mittat. Ipse autem, intereà dum aliqui in Asiam transfretaturi exspectantur, intra trigesimum diem regno Franciæ egrediatur, & in loco quem ipsi assignaturi sint moretur; additâ pœnâ perpetui carceris si pœnitentiam hanc implere recusaverit.

Secundò, sunt honorariæ, & cum infamiâ sustinentium conjunctæ: quales sunt, quod discalceati in braccis & camisiâ debeant esse in processionibus, in iisque publicè disciplinari per Episcopum vel Sacerdotem, expelli ab Ecclesiâ; & stare ante fores Ecclesiæ magnæ in solemnibus diebus Missarum tempore nudis pedibus super pallio corrigiam ad collum tenentes. Hodiè autem solummodò stant præ foribus Ecclesiæ, cum candelâ accensâ in manu, tempore Missæ solemnis in die festivo, prævio sono campanæ.

Præter illas hodiè etiam in usu est pœna relegationis: relegantur autem rei, non tantum in locum subjectum jurisdictioni Inquisitoris relegantis, sed etiam in loco aliis Inquisitoribus subjecto: quia nimirum omnia loca eidem subsunt Summo Pontifici, à quo omnes Inquisitores delegantur. Etiam pœna exilii. His accedit, pœna detrusionis in Monasterium, quæ hodiè rarius adhiberi solet; sed olim magis fuit in usu. Illius exemplum nobis refert Bzovius ad annum CIↃCCCCLXXIX. § 8. „Hoc anno condemnatus fuit apud Moguntiam „Joannes Ruchard de Wesaliâ superiore, Sacræ Theologiæ Doctor, & ad re„vocationem quorundam articulorum, quos in Ecclesiâ Wormatiensi publicè „prædicasse ferebatur, per Inquisitorem coactus; cujus volumina ipso inspectan„te omnia igni tradita & combusta sunt, & ipse pro pœnitentiâ peragendâ ad „Conventum Fratrum Augustinensium ibidem relegatus, mœrore consumptus brevi obiit. Recenset porrò articulos ejus Bzovius, plerosque Papæ autoritatem impugnantes, quorum primus recenseri meretur: *Quod Prælati Ecclesiæ non haberent autoritatem condendi, vel aliquid addendi ad ea quæ Christus & Apostoli præcepissent, imò quod nec Apostoli, nec summi Pontifices talem potestatem à Christo acceperunt.*

Bzovius an. 1479. § 8.

Est & alia pœna, fustigationis, seu verberationis; quâ rei ad ictus flagellorum aut virgarum condemnantur: Si verò sint viri Religiosi virgis in suo Monasterio ab aliis Religiosis præsente Notario S. Officii cæduntur. Tale supplicium, teste Paramo, Laurentius Valla luit, qui hæreseos damnatus Neapoli regis beneficio ignis supplicio liberatur, eâ tamen conditione, ut publicè ab eo prolata cum revocasset & damnasset, scopis crimen lueret. Itaque in Prædicatorum cœnobio manibus revinctis ductus per claustra, & spatulas & tergum religiosis viris scopis cædendas præbuit. Paramus *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 4. *n.* 31.

Nonnunquam imponuntur mulctæ pecuniariæ, juxta rescriptum Alexandri IV. *Super exstirpatione.* eamque potissimum divitibus & avaris imponi cupiunt. De eâ autem ita disponit porrò Alexander IV. *Pecunia verò, quæ de hujusmodi pœ-*

pœnis, vel ex tertiâ parte mulctarum vel condemnationum, exigendarum à quibuslibet personis & locis, seu bonorum apprehendendorum occasione hæresis, vel hæreticorum, secundum tenorem Constitutionum nostrarum forte pervenerit, penes tres viros fide probatos à vobis & à Diœcesano, vel ejusdem Vicario, si idem præsens non fuerit, eligendos, deponatur fideliter conservanda, & de illâ vobis & singulis vestrum necessariæ ad prosecutionem negotii contrà hæreticos expensæ sine difficultate aliquâ de ipsius Diœcesani consilio ministrentur, & eidem Diœcesano de iis quæ expendi contigerit rationis plenariè fidelis computatio exponatur.

Hic verò observandum, quod docet Zanchinus cap. XIX.

„Si Inquisitor damnat aliquem tanquam hæreticum, non potest eum damnare in certâ pecuniæ quantitate, duplici ratione. Prima: Quia ex quo damnat eum tanquam hæreticum, omnia bona sunt illi auferenda: Unde ex quo ei aufert totum, frustrà quæretur de auferendo sibi partem, vel aliquid extra illud. Secunda; quia ex quo damnat eum de hæresi, & tanquam hæreticum, non potest mitigare pœnas, commutando eas in pecuniam: quia contra hæreticos pœnæ sunt determinæ à jure, & sunt certæ. Unde non est in potestate judicis seu Inquisitoris, eas convertere seu commutare in pecuniam.

„Si verò Inquisitor non condemnat tanquam hæreticum, sed vult inobedientem punire vel suspectum, seu redeuntem corrigere & purgare, tunc poterit indicere mulctam pecuniariam, sicut & posset pro suo motu alias pœnas injungere. Caveat tamen, ne volens imponere pecuniariam pœnam, auferat sibi omnia bona, quia hoc non licet.

Nonnunquam tamen contingit, Inquisitores contra hanc Zanchini monitionem per imprudentiam aut inadvertentiam peccare: Quod colligere licet ex exemplo, quod refert Reginaldus Gonsalvius. „In Inquisitione Hispalensi animadversum est censurâ inquisitoriâ in civem quendam religionis ergò. Inter alias mulctæ partes, bonorum omnium ac proventuum, ex quibus honestè satis anteà vivebat, proscriptionem tulit; utque in quodam privato carcere ad decennium fortunis omnibus exutus recluderetur. Exactis in eo carcere diebus aliquot, in quo in summâ paupertate ex piis hominibus collecto stipe sustentabatur homo aliàs minimè sordidus, Notarius quidam inquisitorius eum adiit, mandatum ex scripto adferens Sancti tribunalis, quo centum & triginta ducatorum summam expensarum ac victus nomine, dum in arce inquisitoriâ fuerat, numerare jubebatur. Respondit ad mandatum id, quod erat verum, nempe expilatis ab eisdem ipsis fidei patribus ac direptis ex integro bonis suis omnibus, unde eam pecuniam solveret nihil sibi fuisse reliquum. Responsum hoc Dominis haud fecit satis, ac Notarium secundò mittunt, jubentes, ut intrà paucorum dierum spatium, quod assignarunt, pecuniam illam solveret, alioqui ut ex privato illo carcere eductus in publicum civitatis carcerem deduceretur, ibique detineretur quousque numeraret. Improvidi videlicet homines relaturi in Fiscum hominis bona omnia, sibi ipsis anteà pro expensis satisfacere non adverterunt.

Verum mulctæ pecuniariæ non solent ob quævis crimina injungi, sed ob certum quoddam criminum genus. Observant enim Doctores Pontificii, quod qui circa fidem delinquunt bifariam possunt Ecclesiam offendere; primò, malè solum credendo, ac etiam hæreses evulgando: secundò, cum præter malam credentiam alia quoque facinora adjungunt; ut si Ecclesias comburant, imagines deleant, Catholicos interficiant, & his similia perpetrent. Si primo modo delinquant, & revertantur, priusquam ab excommunicatione absolvantur potest Inquisitor, si vult, exigere ab ipso redeunte non modò juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, verum etiam cautionem & fide-jussores sub pœnâ pecuniariâ de parendo mandatis, & pœnam exigere si non pareat. Uti hoc in terminis cavit Alexander IV. rescripto incipiente, *Super exstirpatione*. Honestius tamen est ab hujusmodi recipiendis cautionibus sub pœnâ pecuniariâ abstinere, ne quid potius

Direct. part. 2. n. 19. com. 7.

tius avaritiæ occasione, quam religionis amore facere videantur; ut monuit Concilium Narbonense cap. 17. *Ab hujusmodi enim pecuniariis poenitentiis & exactionibus vobis est abstinendum pariter & parcendum, propter vestri ordinis honestatem.* Si secundo modo deliquerint, de strictâ juris ratione non prius recipiuntur nec absolvuntur, quam præstiterint sufficientem damni dati valorem & reparationem juxta proprias facultates. C. *Porro.* & C. *parochianos.* de sentent. excom. *Eos monere debes ac inducere, ut iis quos læserunt congruè satisfaciant.* & : *Ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec læsis congruè satisfaciant.* Si statim præstare non possint illati damni reparationem, vel ob inopiam, vel ob alias causas, datâ cautione idoneâ, pignoratitiâ videlicet, aut fidejussoriâ de satisfaciendo ubi poterint, aut pervenerint ad pinguiorem substantiam, sunt absolvendi. Etiam ubique hodie Inquisitores observant, ut redeuntes, quos absolvunt, virgâ molliter percutiant, quamvis nullo jure cautum inveniatur.

Talibus porrò omnis ad publica officia gerenda, tanquam infamibus, via præclusa est. Publica autem officia sunt, qualiacunque & quocunque nomine censeantur secundum varios ritus & consuetudines diversarum provinciarum. In Concilio Tholosano cap. 14. etiam officium Medici inter hæc refertur : *Statuimus etiam, ut quicunque fuerint infamati de hæresi, vel suspicione notati, officio medici de cætero non utantur.* 3. part. n. 34. com. 8.

Tandem etiam pœnitentibus ac reconciliatis Ecclesiæ ab hæresi revertentibus, ac filiis & nepotibus damnatorum, non modò interdicitur, ne publica officia gerant, aut beneficia & dignitates habeant; verum etiam ne argento, auro, aut pretiosis vestibus & ornamentis utantur, juxta Concilii Biterrensis cap. 28. *Et ne ballivias seu administrationes teneant; nec sint in Consiliis seu familiis potentum; neque utantur vel medici vel notarii officio; nec ad alia officia publica vel ad actus accedant legitimos; nec portent aurifrisia; nec sericum, vel similia ornamenta; vel vittas croceas; vel corrigias auro vel argento membratas; vel sotulares incisos seu pictos; & ubi expediens visum fuerit, ejiciantur de villa in qua conversati fuerant, in alia certa villa seu provincia moraturi ad tempus.* Etiam iis inhibetur, ne phaleratis equis instar nobilium utantur, quod & ad mulas trahi debet. Sed in his post aliquod tempus dispensari solet.

Omnium autem usitatissima poena est gestatio crucium in vestibus pœnitentialibus, quæ non tantum olim in usu fuit, sed & nunc in Hispaniâ & Lusitaniâ frequentissimè pœnitentibus imponitur. Ea autem non exigua pœna est. Tales enim omnium ludibrio & contumeliis exponuntur, easque, licet atrocissimas, & à vilissimis hominibus sibi illatas, devorare coguntur; omnibus enim per cruces tanquam ob hæresin, aut nunc in Hispaniâ & Lutaniâ ob Judaismum ita notati significantur. Atque ita notati ob omnibus vitantur, & tantum non omni societate humanâ penitus sunt exclusi. Exemplum habemus in Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ fol. 177. in Arnaldo Ysarni de Villamuro, qui cum cruces deposuisset, & postea denuò captus, hanc coram Inquisitore depositionis crucium causam reddidit; *quia non inveniebat ubi & cum quibus posset lucrari victum suum portando cruces : & sic stetit sine crucibus apud Moysiacum decem annis, eundo & redeundo versus Burdegalam cum navibus lucrando victum suum donec fuit captus.*

In gestatione autem crucium aliqua diversitas locum habuit; non enim semper eodem modo vestibus pœnitentialibus affixæ fuerunt. Primò enim ita de iis definivit Concilium Tholosanum anno Domini CIↃ CCXXIX. contrà hæreticos celebratum : *In detestationem quoque veteris erroris duas cruces portent de cætero altius præminentes, alterius coloris, quam sint vestes eorum, unam à dextris, & alteram à sinistris: nec propter cruces excusetur aliquis, nisi habeat literas sui Episcopi testimoniales de reconciliatione ipsius.* Illæque cruces ita dispositæ erant, ut unaquæque suæ papillæ responderet; uti exstat in Dominici literis : *Religiosis vestibus induatur, tum in formâ, tum etiam in colore, in quibus in directo utriusque papillæ singulæ cruces parvulæ sint assutæ.* Sed posteà, ut pœnitentes patentius & manifestius omnium oculis obji-

cerentur, sive adversi sive aversi essent, decretum ut unam ante pectus, alteram retrò inter spatulas gestarent. Sic legitur in Actis Concilii Biterrensis cap. 26. *In detestationem veteris erroris portent in superiori veste duas cruces coloris crocei longitudinis duorum palmorum & dimidii, latitudinisque duorum, & in se trium digitorum habentes latitudinem; unam anterius in pectore, & aliam posterius inter spatulas: vestes in quibus cruces portaverint coloris crocei non habentes, superiore veste intellecta, supra quam, in domo vel extra, alia non portetur. Et si fuerint vestiti hæretici, vel damnati, portent crucem tertiam competentis quantitatis, seu coloris ejusdem, in capucio, vel in velo. Et si forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum, portent in superiore parte duarum crucum (quas portare habent in pectore & inter spatulas) brachium transversale palmi unius, vel circa. Qui autem transfretare debebunt, portent cruces prædictas, donec applicuerint ultra mare, & eas ulterius non teneantur portare donec in litore transmarino navem ad redeundum intrantes, easdem circa mare & in mari, & in insulis eas perpetuò portent.* Vestis illa olim erat livida ad modum scapularis monachi sine capucio facta; & cruces illi impositæ erant erectæ, unum scilicet brachium rectum, alterum transversale, hujus figuræ † : aliquando, pro gravitate delicti, erant duo brachia transversalia, ad hunc modum, ‡. Nunc verò in Hispaniâ palliamentum hoc est coloris crocei, & cruces illi impositæ sunt obliquæ, quæ S. Andræ cruces solent appellari, hujus figuræ X, suntque coloris rubei. Palliamentum illud Itali *Abitello* vocant, Hispani *Sant benito*, quasi *sacco benito*, hoc est saccum benedictum, propterea quod sit aptus ad agendum pœnitentiam, per quam benedicimur & salvamur. Simancas autem dicit, esse vestem sancti Benedicti. Ejusque gestatio præcipitur 4. *Instruct. cap.* 9. Hujus vestis fundamentum exstare volunt in S. Literis; nam qui pro impietatibus olim pœnas luebant, ad implorandam divinam misericordiam, & reddendum benevolum Deum quem offenderant, præter cæteras pœnitentias sacco quandoque induebantur, ut exemplo Achabi ostendunt, 1. *Reg. cap.* XXI.

Direct. part. 3. comm. 42.

Ludovicus verò à Paramo altiorem illius originem indagat: quod sicut Deus in signum confusionis ac perpetuæ ignominiæ tunicis pelliceis primos parentes induit: Sic hodiè Inquisitores ad exemplum Dei saccis benedictis crucibus transversis appositis induunt convictos de hæresi, ad propriam gestantium ignominiam & confusionem. Cur autem vestes ignominiosæ *sacci benedicti* nomine appellentur, hanc adfert rationem: Quod olim saccus benedictus peccatoribus in signum publicæ pœnitentiæ imponebatur, & à pœnitentibus ex voto spontaneo assumebatur; quæ consuetudo labente tempore exolevit. Et quia antiquitus istiusmodi sacci benedicebantur in primitivâ ecclesiâ, ideò *sacci benedicti* vocabantur. Inquisitio verò ob hæresis criminis detestationem illius publicæ pœnitentiæ & sacci benedicti consuetudinem innovavit. Cur verò cruces, quæ olim rectæ fuerant, nunc obliquæ in vestibus pœnitentialibus depingantur, illius rationem reddit satis ridiculam: quod *crux signum sit exterius, quo fidem Catholicam Christicolæ omnes profitentur: cum ergò, qui in fidem Catholicam delinquunt à fidei rectitudine declinent, in hujus obliquitatis signum Catholicæ fidei Inquisitores induere solent pœnitentes his notis transversis, ut omnibus pateat obliquæ crucis figurâ interior gestantis status declarari, qualis fuerit, quam à fidei & Religionis Christianæ rectitudine alienus.*

lib. 1. tit. 2. cap. 4, 5.

Cruces hæ illis imponuntur, qui hæresibus crediderunt, ac nonnunquam etiam illis qui eas dogmatizaverunt, sed qui continuò ut ab Episcopis seu Inquisitoribus deprehensi sunt & informati, à suis erroribus resiliunt, & ut eos abjurent consentiunt. Cum his enim mitius agi volunt, & facilius circa pœnitentiam ipsorum dispensatur. Nam aut cruces illis tantum ad tempus aliquod imponuntur; aut si ad totam vitam impositæ sunt, post annorum aliquot gestationem in alio sermone seu actione fidei, rursus deponuntur; vel ob infirmam valetudinem, vel etiam ob insignem pœnitentis humilitatem & veram conversionem. Sed in illis difficilius dispensatur, quia deportatio crucium publica potest esse deferentibus multum satisfactoria, imo esse multum meritoria propter verecundiam.

diam quam deferentes sustinent satis magnam, & potest esse, & est cæteris plurimum in exemplum.

Vestitum hunc qui abjecerit, aut occultaverit, puniendus est ut impœnitens. Simancas
Nec ipsi Inquisitores hodiè in Hispaniâ moderari possunt præfinitum à se tem- tit. 47.
pus ad hunc vestitum ferendum; tum quia functi sunt officio posteaquam de § 11, 12.
tribunali pronuntiarunt; tum etiam, quia id reservatum est Inquisitori generali atque Senatui. 4. *Instruct. cap.* 9.

Vestitus ille pœnitentium & saccus hæreticorum damnatorum suspendendus est § 13.
in eâ ecclesiâ, in cujus parœciâ habitarunt; ut ea insignia monumentum sint ad memoriam impietatis eorum sempiternam: inscribenda enim sunt & renovanda in illis nomina hæreticorum, & quam ob rem damnati sint: (ut habetur in *Instructione Madriliana* anni CIↃ IↃLXI. cap. 81.) ad exemplum scilicet Mosis, qui ducentorum & quinquaginta virorum qui Domino incensum obtulerant thuribula in laminas produxit, & altari affixit, ut cernant ea pro signo & monumento filii Israel. *Numer.* XVI. Si quis autem insignia ista furatus est, communis est § 14.
opinio, eum arbitrio judicum puniendum esse non quidem ut furem aut sacrilegum, sed ut contemtorem religionis & judicum, ac propterea fustibus sive flagellis castigandum, aut ei mulctam irrogandam, aut ipsum in exilium ejiciendum.

Tandem gravissima pœna est condemnatio ad perpetuum muri carcerem ad peragendum ibidem in pane doloris & aquâ tribulationis pœnitentiam salutarem. Quæ solet injungi credentibus hæreticorum, & ægrè pœnitentiam agentibus; aut qui in judicio constituti diu negaverunt veritatem, ac se perjurio obstrinxerunt.

Quia enim non sponte & voluntariè tales converti videntur, dimitti liberos nolunt, ne si forte fictè conversi fuerint, quod facilè est præsumendum, alios corrumpere possint. Hac de re exstat Concilii Tholosani decretum cap. 10. *Hæretici autem, qui timore mortis, vel aliâ quacunque causâ, dummodò non sponte, redierint ad Catholicam unitatem, ad agendam pœnitentiam per Episcopum loci, in muro cum tali includantur cautelâ, quod facultatem non habeant alios corrumpendi.* Et Con- Direct.
cilii Biterrensis: *Si aliquis de professis vel consolatis timore pœnæ reverti voluerit ad fi-* part. 3.
dem, debet per Episcopum perpetuo carceri mancipari, ne sub prætextu boni simulati delu- p. 556.
datur Ecclesia. Et Frederici Imperatoris in l. *Commissi.* § 2. Nec modò hi qui Tr. Tr. f. 417.
valdè difficulter ab hæresi convertuntur in perpetuum carcerem detruduntur, verum etiam & alii quidam, quorum insignia sunt delicta in causâ fidei commissa, quos singillatim enumerat Concilium Narbonense paucis post Tholosanum annis celebratum *cap.* 9. in hæc verba.

De hæreticis autem seu credentibus, præfatâ immunitate, quia veritatem de se vel de aliis suppresserunt, vel quia infrà tempus indulgentiæ non venerunt, seu alias indignis, paratis tamen absolutè mandatis Ecclesiæ obedire, & recognoscere quam vel suppresserant, vel negaverant, veritatem; quamvis tales procul dubio sint, secundum statuta Domini Papæ, in perpetuo carcere detrudendi: quia tamen intelleximus vos de his tantam in pluribus partibus multitudinem invenisse, ut nedum expensæ, sed vix etiam lapides aut cæmenta sufficere possint ad carceres construendos; consulimus ut eorum immurationes, ubi expedire videbitur, differatis; donec ipse Dominus Papa de illorum multitudine plenius sit consultus; nisi forte aliqui essent tam facinorosi, ut de ipsorum impœnitentiâ, vel fugâ, vel relapsu, vel corruptione seu turbatione aliorum nimium timeretur: tales enim sine ulla prorsus dilatione firmo & perpetuo carceri deputetis. Hodiè rarus vel nullus antiquæ immurationis, seu carceris perpetui usus relictus esse videtur; sed Episcopi & Inquisitores eum sæpe in detrusionem in monasterium commutant.

Quamvis autem nostris sæculis non soleat carcer perpetuus in eam formam Direct.
constitui, quâ olim solitus erat fabricari, judicat tamen Pegna procurandum part. 3.
esse, ut certa aliqua domus velut carcer perpetuus destinetur, in quâ habitent Comm.
illi qui sunt immurandi: aliter enim non potest intelligi, quomodò pœnitentes 108.
adimpleant pœnitentias sibi injunctas. Qualis in his ordo observari debeat,

cautum est *Instructione Madrilianâ anni* 1561. *capp.* 79, 80. *Damnati ad perpetuum carcerem custodi carceris perpetui consignabuntur, injungendo eidem ut custodiat reos, & curet ut adimpleant impositas pœnitentias, atque ut certiores reddat Inquisitores de illorum negligentiâ, si qua fuerit: item curet ut subveniatur eis in suis necessitatibus, procurando ut afferatur illis materia juxta officium seu artificium cujuslibet, ut inde aliquid lucrantes alantur, & præsentem miseriam & paupertatem ferant: Inquisitores autem aliquoties in anno perpetuum carcerem visitabunt, ut videant qualiter vivant, quomodò tractentur, & quam vitam degant: & quoniam in nonnullis Inquisitionibus non est carcer perpetuus, cum sit res valde necessaria, debent emi domus ut carcer talis fiat: quoniam deficiente carcere non potest intelligi quomodò adimpleant reconciliati suas pœnitentias, nec possint custodiri qui fuerint custodiendi.* Cura autem observandi an pœnitentias injunctas impleverint, olim demandata fuit propriis Sacerdotibus, in Concilio Narbonensi cap. 8. *Observationis etiam pœnitentiarum curam propriis eorum Sacerdotibus committatis, ita ut ipsi Sacerdotes penes se habentes pœnitentias singulorum parochianorum suorum, & circa earum observationes sollicitè vigilantes, contemtores si qui fuerint vobis, seu quibus statueritis, denuntient sine morâ, processuris in eos juxta formam inferius designatam.*

Ritum hujus immurationis definit Concilium Biterrense cap. 23, 24, 25. *Curetis ut talibus immurandis fiant, juxta Sedis Apostolicæ ordinationem, separatæ & occultæ camarulæ, sicut fieri poterit in singulis civitatibus diœcesum corruptarum, ut alterutrum vel se vel alios pervertere nequeant: & eos enormis rigor carcerum non extinguat: quos ab illis, qui bona eorum tenuerint, fieri, & in necessariis provideri faciatis eisdem, secundum statuta Concilii Tholosani.* (Illa autem ita sonant cap. 10. *Quibus* (scilicet immuratis) *ab illis qui bona eorum tenuerunt, provideatur in necessariis secundum dispositionem Prælati. Si verò bona non habuerint, eis provideatur per Prælatum.*) *Hæc autem perpetui carceris pœna, seu pœnitentia, nulli ab initio de præfatis culpabilibus remittatur, aut in aliam commutetur: nisi vel hæreticos redderet, vel propter ejus absentiam evidens mortis periculum ejus liberis, vel parentibus, immineret; vel propter aliam causam, quæ multum justa & rationabilis videretur. Sit autem liber accessus uxori ad virum immuratum, & è converso, ne cohabitatio denegetur eisdem, sive ambo immurati fuerint, sive alter.* Et in hac immurationis pœnâ difficulter admodum dispensatur; uti decrevit Concilium Biterrense cap. 24. & luculentius Concilium Narbonense cap. 19. *Circa incarcerandos etiam duximus hoc addendum, ut à carcere nec vir propter uxorem, licet juvenem, nec uxor propter virum, nec quisquam propter liberos seu parentes, seu aliter necessarios, aut propter debilitatem vel senium, vel aliam similem causam, excusetur, absque indulgentiâ Sedis Apostolicæ speciali.* Attamen Inquisitores cum Ordinariis nunc potestatem habent dispensandi; excepto quod Inquisitori-
Com. 108. bus in Hispaniâ id denegatum est per privatas ejus Inquisitionis sanctiones; sed solus Inquisitor Generalis in hoc dispensat, sicut & in depositione vestis crucibus signatæ. Post quantum autem tempus dispensatio fiat, Inquisitorum arbitrio relictum est, qui spectatâ pœnitentium humilitate & pœnitentiâ, intra minus tempus hanc pœnam possunt remittere, aut in leviorem commutare: remitti autem solet post triennii lapsum. Si vero pœna carceris irremissibilis sit imposita, elapso octavo anno solet relaxari. Verum totum id arbitrio Inquisitorum permissum est.

Hæc autem remissio fieri debet de consilio Diœcesanorum; uti dicitur lib. 6. decret. de hæret. *Illorum qui vestris humiliter obedientes mandatis stant propter hæresin in carcere vel in muro reclusi, pœnam unà cum Prælatis quorum jurisdictioni subsunt mitigandi vel mutandi, cum videritis expedire, plenam concedimus facultatem.*

Possunt & hæ remissiones obtineri pecuniâ, quâ carcer ac reatus indumenta redimuntur: „eaque redimendi ratio in Hispaniâ frequentior esse consuevit, „quod rege aulicis puellis puerisve, aut aliis, quibus ob gratiosa obsequia gra-„tificari constituit, aliquot Sambenitorum redemtiones dono dante, is qui ac-„cepit donum solerter investigat, ubi & qui eâ pœnâ mulctati sunt, quibus il-

„ lam majoris redimendi & facultas & voluntas suppetat, cum quibus posteà de „ pretio paciscitur, prout potest commodius, pluris minorisve, tum personæ „ coementis, tum etiam ipsius Sambeniti ratione habitâ: qui enim erant irremissi- „ biles, carius; qui cum carcere perpetuo erant adjuncti, minoris; qui ad certum „ tempus & Inquisitoris voluntatem, viliori; qui ad Inquisitoris voluntatem tan- „ tum, adhuc minoris vendi solent. Consuevit etiam Rex eâdem munificentiâ „ uti ergà nonnullos, qui ad redimendos ex Turcicâ aut Mauricâ captivitate fra- „ tres aut affines suos eâ pecuniâ Sambenitorum juvari orant. Ei verò qui Sam- „ benito exui curat, ut vel apud Regem ipsum voti fiat compos, benevolentiam „ Inquisitorum atque etiam Scribarum ut sibi anteà conciliet, omnium maximè „ est opus: alioqui vel concedente Rege, & pecuniâ numeratâ, omni operâ ab „ ipsis eludi solet, vafricè ac malignè efficacia opponentibus obstacula, vel uno „ hoc verbo, oportere videlicet Regem (atque etiam Papam ipsum, si is forte „ fuit qui absolutionem concessit) melius edoceri de eo negotio. Quod si eò „ res fuerit deducenda, facile est ipsis anteà minus studiosè cultis commini- „ sci, hominem non esse à reatu suo adeò perpurgatum, ut tutò fuerit dimit- „ tendus.

Condemnationi ad perpetuum carcerem nonnunquam aliæ pœnitentiæ adjunguntur; aliquando, ut cum veste cruce signatâ stent in portâ talis Ecclesiæ, tali & tanto tempore, scilicet in quatuor festis principalibus gloriosæ Virginis Mariæ talis Ecclesiæ; vel talibus & talibus festivitatibus in valvis talis & talis Ecclesiarum. De quo exstat Concilii Biterrensis decretum *cap.* 26. ubi, cum præmisisset, pœnitentes singulis diebus dominicis & festivis interesse debere divinis officiis, ita subdit: *Et in Missâ cujuslibet diei Dominicæ, ac festivæ, inter Epistolam & Euangelium, veste superiori & velo sive caputio depositis (nisi & in velo seu caputio portent cruces) sacerdoti Missam præsente populo celebranti, cum virgis in manu publicè se præsentent; ibique datâ illis disciplinâ exponat sacerdos, quod propter culpam labis hæreticæ pœnitentiam illam agunt.* Aliquando antequam in carcerem detrudantur publico spectaculo exponuntur; induti nimirum veste cum crucibus in portâ alicujus Ecclesiæ scalæ prælatæ imponuntur ut ab omnibus evidenter conspici possint, ibique stent usque ad horam prandii; & post eâdem veste induti reducantur ad eundem locum à primâ pulsatione vesperorum, ibique stent usque ad solis occasum: solentque ea spectacula aliquot diebus dominicis & festis in diversis Ecclesiis, quæ singulæ in sententiâ exprimuntur, iterari. Nullius tamen hujusmodi spectaculi propter hæresin sententia in libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ occurrit, sed tantum duorum ob falsum testimonium condemnatorum. Quod si è carcere aufugiant, aut alias sibi impositas pœnitentias non adimpleant, tanquam impœnitentes, culpisque adstricti prioribus condemnantur; & si denuò in manus Inquisitorum incidant, nisi suppliciter veniam orent, & se mandatis Inquisitorum parere profiteantur, ut impœnitentes traduntur curiæ sæculari. Ita sancitum est in Concilio Tholosano, cap. *Porro illos hæreticos seu credentes, qui, postquam juraverint mandatis Ecclesiæ obedire, & absolutionis beneficium fuerint vel non fuerint consecuti, injunctam sibi pœnitentiam carceris vel non intrando, vel post ingressum exeundo, seu quamcunque aliam pœnam servare seu perficere renuentes, vel se ab eâ recipienda contumaciter absentantes, rebelles existunt, & sic suam impœnitentiam fictamque conversionem apertè ostendunt, sæculari judicio sine ullâ penitus audientiâ relinquatis, animadversione debitâ puniendos, cum sufficiat tales per falsam conversionem semel Ecclesiam decepisse.*

Nunc etiam ad pœnas triremium damnantur, quoniam antiquæ immurationis jam vix ullus amplius est usus. Idque etiam confirmat Joannes Royas *parte* 2. *Assert.* 15. § 202. „Praxis vero nimis frequens atque usitata in Inquisitionis foro versatur, cum „ damnato ad perpetuos carceres post lapsum triennii Inquisitorem Generalem „ solitum esse dispensare; sed si ad perpetuos & irremissibiles carceres quispiam „ fuerit condemnatus, si humilis & verus pœnitens apparuerit, lapsis octo annis di- Pegna p. 528.

„dispensatur. Hodiè verò loco perpetui carceris hæretici ad triremes condemnantur, dummodò debiles aut senes non sint; & hujusmodi condemnatio „fit non minus quam ad triennium, ne fiscus propter expensas plus incommodi quam commodi secum afferat. Ita supremus & generalis Senatus Inquisitionis decrevit. Hæ sunt pœnitentium pœnæ.

Alii ab erroribus resilire nolunt, sed diu contumaciter persistunt, & tandem fortasse plus metu mortis, quam amore veritatis, resiliunt, seu resilire se fingunt, & abjurant; ideoque non multum fidunt eorum abjurationibus: & tales ordinariè condemnati sunt ad perpetuum carcerem stricti muri, cum vinculis & catenis ferreis, ubi panis doloris in cibum & aqua tribulationis in potum solummodò ipsis ministretur. Et huc facit decretum Concilii Biterrensis cap. 23. *Curetis tamen ut talibus immurandis fiant juxta Sedis Apostolicæ ordinationem separatæ & occultæ camarulæ, sicut fieri poterit in singulis civitatibus Diœcesum corruptarum, ut alterutrum, vel se vel alios pervertere nequeant.*

Possunt etiam Inquisitores pœnitentias aggravare ob conversorum indevotionem, malitiam & contentionem, quæ mentem & animum eorum indicant parum obedientem Dei legi, & injunctis sibi mandatis. Hinc est quod Concilium Narbonense cautum voluit Inquisitoribus cap. 7. *Illâ semper retentione cautè adhibitâ, ut liceat vobis, seu aliis Inquisitoribus, seu quibus hoc Romana Ecclesia, vel illi cui ex officio competit, duxerit committendum, pro vestro & illorum arbitrio ac voluntate, injunctis pœnitentiis addere vel detrahere ex causâ rationabili quandocunque.* Imo Concilium Biterrense cap. 22. ulterius cavet: *Ac semper vobis potestate retentâ, ut si videritis negotio fidei expedire, sine novâ etiam causâ possitis ad carcerem reducere supra dictos.* Hinc etiam in Libro sententiarum Inquisitionis Tholosanæ ordinariè Inquisitores hanc sibi potestatem reservant. Si verò Inquisitor per oblivionem, aut alias causas, hanc potestatem expressè sibi non reservaverit, nihilominus tamen pœnitentias augere, mutare, tollere vel minuere potest; juxta C. *Ut commissi.* de hæret. lib. 6.

CAPUT XXXIII.

Quousque ad Pœnitentiam quis admitti possit.

QUæstio autem vehemens & acris est inter Pontificios Doctores, & admodum intricata, quo tempore, & quomodo hæretici pœnitentes admitti debeant. Ut ea distinctius intelligatur, trium celebrium in hac materiâ Doctorum sententias hic referam. Primus est Simancas, qui in quæstionis hujus solutione multiplicem adhibet distinctionem; „Aut enim occultus hæreticus, à „nemine indicatus, seipsum ad Inquisitores defert, & errores suos plenè fatetur; & is procul dubio recipiendus est, nec debet ei publica pœnitentia imponi, sed secretò absolvendus est. Aut alio in regno publicè apostata vel hæreticus fuit, & antequam adversus eum quispiam testimonium dixerit, ipse ad „sanam mentem sponte rediens veniam & absolutionem ab Inquisitoribus postulat: Et is quoque admittendus est, sed errores abjurare publicè debet, & salutarem pœnitentiam agere: Cæterum nec pœnam carceris patietur, nec habitum „pœnitentium induet. 1. *Instruct. cap.* 8.

tit. 47. § 27. (margin, beside "rum sententias hic referam")

§ 28. (margin, beside "poni, sed secretò absolvendus est")

§ 29. „Aut metu imminentium probationum ad Inquisitores venit, & consceleratos indicat, & errores suos plenè fatetur: Et is quidem, si testes contra „eum supervenerint, Ecclesiæ reconciliandus est, sed mitius cum eo agi debet: „nec enim ad perpetuum carcerem damnandus est, nec habitum pœnitentium
§ 30. „diu portabit. Aut jam comprehensus, in carcerem conjectus, fatetur hære-
§ 31. „ses: & hujus confessio dicitur spontanea. Quin imò, qui admonitus confitetur hæreses, priusquam ei dicta testium edantur, benignè recipiendus, nec ad

„ad perpetuum carcerem damnandus est; quia confitetur antequam testibus con-
„victus est. 1. *Instruct. cap.* 11. Aut confitetur post editam accusationem: hic § 32.
„quidem admittendus, sed severius puniendus est; quià non ante confiteri vo-
„luit, quam ex accusatione instrueretur, & planè intelligeret quarum hæresium
„accusaretur. Aut postquam testibus convictus est, id est, publicatis testimo- § 33.
„niis, confitetur. Quamvis enim sponte redire non videatur, qui squalore
„carceris fatigatus, & sæpe monitus, post accusationem, post edita testimonia,
„post sexcenta perjuria, post menses plures, vix tandem confitetur errores, &
„supplicium deprecatur; tamen quoniam in carcere constitutus suo judicio &
„voluntate fatetur errores, nullâ vi adhibitâ, sponte suâ confiteri censetur. § 44.
„Quin etiam eum sponte confiteri censent, cui confessio vi adhibitâ, hoc est, § 45. 46.
„tormentis extorquetur: Licet enim prior illa confessio tormentis extorta sit,
„ea tamen efficax non est ad probationem & condemnationem, nisi sponte po-
„steriore confessione rata habeatur: cum autem reus confessionem violentam
„ultrò ratam facit, eum dicunt, non esse censendum invitum; nec illam rati-
„habitionem vi adhibitâ extorqueri, sed omninò esse voluntariam, ac proinde
„si justa sit, & talem admittendum. Justa autem censetur, quando pœnitens
„eam testatur fletu, gemitu, & humilitate.

„Quæritur autem an etiam ad Ecclesiæ gremium recipiendus sit, post senten- § 46.
„tiam definitivam, donec tradatur curiæ sæculari. Leges quidem sanciunt,
„pœnitentes usque ad sententiam definitivam admitti posse, deinceps autem veniæ
„ac clementiæ non esse locum.

Altera est sententia Joannis Royas: Qui eam ità proponit & dissolvit.

„Non parva inter juris professoris solet esse controversia, usque ad quem ter- part. 2.
„minum & tempus hæretici conversi recipiendi sint: Alii dicunt, si continuò Assert.
„post deprehensionem erroris sponte redierint: Alii, quod etiam post senten- 15.
„tiam possunt hæretici redire ad fidem, & sunt admittendi, & pœnam relaxa- § 192.
„tionis evadunt: Alii, quod usque ad prolationem sententiæ tantum recipian-
„tur. De quâ re est *Instruct. Hispal. cap.* 12. *&* *Madriliana a.* 1561. *cap.* 4. Quod
„si in publico Actu fidei hæretici negativi convertuntur, eorum conversio ficta
„& simulata præsumitur, & quod metu mortis potius, quam fidei Catholicæ
„zelo convertuntur, ob id perquam raró, aut nunquam, hujusmodi conversio
„admittenda est, nisi urgentissimæ causæ subeant, veluti, si quis multis lachry-
„mis, & signis, suos confiteatur errores, non solum de quibus est accusatus;
„sed etiam de aliis, & detegat alios complices, præsertim personas sibi conjun-
„ctas, & dilectas; ex his & ex aliis, quæ Inquisitorum fidei arbitrio relinquun-
„tur, vera vel ficta conversio perpendi potest. Vide hic cap. *Ut officium.* § *Si*
„*vero.* versic. *Proviso solerter.*

„Quamvis in omni judicii parte hæreticorum conversio & eorum confessio § 197.
„sit exspectanda, tamen qui in limine judicii ante accusationem confitetur, ad
„carcerem temporalem cum habitu poenitentiali pro brevi tempore est conde-
„mnandus: si verò post accusationem, augenda erit poena & poenitentia: qui
„verò post publicationem testium hæreses confitetur, ad perpetuum carcerem
„damnandus est, quia præsumitur, quod metu probationum confitetur, & ta-
„lis conversio non caret suspicione; *Instruct. Hispal. a.* 1484. *cap.* 14. In omni-
„bus casibus supradictis bona publicantur; quod ità communiter ab omnibus
„Inquisitoribus servatur. Nam in arbitrio Episcopi & Inquisitorum est poe-
„nam mitigandi vel mutandi potestas, latâ etiam sententiâ, cap. *Ut commissi.*
„§ *Nec non.* de hæret. 6. 1. *Instruct. Hispal. c.* 8. *&* 11. Quod arbitrium ante sen-
„tentiæ prolationem hodiè locum habet; latâ verò sententiâ solus Inquisitor gene-
„ralis dispensare & mutare poterit: 5 *Instruct. Hispal. c.* 7. *&* 4. *Instruct. Tolet. c.* 7. In
„confiscatione verò bonorum nullum unquam Inquisitorum arbitrium est, sed jus
„commune omni tempore servandum; cum à tempore commissi criminis ipso jure
„hæreticorum bona sint confiscata; ideò jus illud fisci tollere minimè possunt.

Tertia est Camilli Campegii, qui tamen magis aliorum sententias referre, quam suam proponere videtur.

Campeg. in Zanch. c. 16. „Quidam dicunt, in admissione ad poenitentiam distinctione esse utendum. „Vel enim judex deprehendit aliquem simplicem esse juvenem, aut mulierem, „vel alium quempiam alias virum bonæ conditionis & famæ in hæresis crimen „lapsum: talibus revocatio usque ad sententiam denegari non debet, & præci- „puè, si melioris futuræ vitæ spes aliqua de his concipitur: Vel, aliquem es- „se malæ conditionis & famæ, & aliàs inventum criminosum, vel quod in „hoc crimine diu perseveravit, aut alias de eo suspectus vel leviter fuit, de „quo nulla futuræ correctionis spes habetur: Illius serotina poenitentia ad- „mitti non debet. Quibus circumstantiis & qualitatibus consideratis, pote- „rit judex nunc citius, nunc tardius illos ad abjurationem & poenitentiam ad- „mittere.

„Tandem non desunt, qui statuunt nullos recipiendos, nisi qui sponte re- „deunt, non coactè; illos vero sponte redire, qui misericordiam petunt infra „tempus gratiæ, quando nondum sunt præventi per alium accusantem; aut „dum res adhuc omninò est integra, ut, quia non sunt corporaliter capti, nec „probationibus adhuc convicti: Nam his casibus non videntur sponte redire, „sed metu detentionis & probationum. Sed hæc opinio ab aliis, tanquam ni- „mis rigida rejicitur; quia exinde sequeretur, quod non posset mitius agi cum „isto redire volente, quam cum pertinace; cum iste esset omninò damnandus „sine spe veniæ, perinde ac pertinax, & quia textus Extra. de hæret. C. *Ad* „*abolendam.* & C. *penult.* expressè dicit, quod hæretici recipi possint post depre- „hensionem erroris.

Ex quibus sententiis inter se collatis liquet, omnes requirere, ut quis ad poenitentiam admittatur, ut eam testetur ante sententiæ pronuntiationem. Maximè exigunt, ut eam testetur ante latam sententiam, vel saltem antequam in publicum producatur. Si verò impoenitens exstiterit, non modò antequam producatur, verum etiam & in ipso tabulato, inducitur, ac sæpissimè & instantissimè commonetur, ut errores deponat & abjuret: idque hoc ordine fieri solet: Poenitentium & conversorum sententiæ prius pronuntiantur, si tales affuerint, & ultimo loco impoenitentium, si qui fuerint; sed priusquam proferantur, monentur coram omni populo ut resipiscant, & tandem convertantur, quoniam adhuc durat tempus misericordiæ. Si converti se velle dixerint, ad carcerem reducuntur, & ad poenitentiam admittuntur: si in suâ pertinaciâ & impoenitentiâ perseveraverint, legitur sententia, & traduntur curiæ sæculari, ut igne in conspectu populi combusti debitas impoenitentiæ poenas luant. Sed tamen illos, qui non nisi in tabulato & cum sententia est pronuntianda se convertunt, non nisi cum exquisitissimis considerationibus ad poenitentiam admittendos, admonet *Instructio Madriliana a.* 1561. *cap.* 44. quia potius metu mortis instantis, quam amore veræ poenitentiæ converti videntur.

n. 204. Eymerici certè ea est sententia, ut & tales ad poenitentiam admitti debeant; Pegna verò licet Eymerici sententiam tutiorem agnoscat, justiorem tamen eam statuit, quæ reis solum misericordiæ locum relinquit donec è carceribus Inquisitorum educantur, & posteà nullo modo audiantur. Zanchinus Ugolinus dicit, talem eatenus esse recipiendum, ut evitet poenas animæ, id est, poenam gehennalem, ut admittatur ad ecclesiastica Sacramenta, & absolvatur ab excommunicatione, quâ tenebatur astrictus, si modò ostendat signa veræ poenitentiæ: at quoad evitandam corporalem sive temporalem poenam nullatenus admittetur, quia tardè venit, qui sententiam exspectavit; ut Extra. de hæret. c. *Super eo.* lib. 6. Alii dicunt, hoc esse arbitrarium, & in mero judicis arbitrio consistere. Aliis autem minimè tutum videtur, ut vita poenitentium ex judicum pendeat arbitrio.

Zanchin. cap. 16. § 4.

Post pronuntiatam autem sententiam non amplius est veniæ locus. Unum ni-

nihilominus in Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ exstat exemplum Stephanæ de Proaudo, fol. 3. quæ pridiè judicata hæretica, & tanquam hæretica relicta curiæ sæculari (unde liquere videtur non usitatum tunc fuisse relictos curiæ sæculari ignis supplicio afficere eodem die quo sententia pronuntiata est, prout hodie fit in Hispaniâ & Lusitaniâ) sequenti die lunæ videns sibi paratum ignis supplicium imminere, ipso die dixit, se velle converti ad fidem Catholicam, & redire ad ecclesiasticam unitatem. Cumque ambigeretur an hoc dixerit fictè, an sincerè, an metu mortis, ipsique responsum esset, gratiæ tempus esse elapsum, cogitaret de salute animæ, & quæcunque de facto hæresis de se aut aliis sciret plenè revelaret, promisit se hoc facere & dicere, & in fide sanctæ Ecclesiæ Romanæ velle mori. Quarè Inquisitor & Vicarii Episcopi Tholosani sequenti die Martis convocaverunt Consilium, & tandem fuit conclusum, ut sequente die dominicâ fidem Ecclesiæ Romanæ confiteretur, errores suos revocaret, & sic reduceretur ad murum, ubi probaretur an ejus conversio vera esset vel ficta; & ita sollicitè custodiretur, ut non posset alios erroribus suis inficere. Refert etiam Eymericus exemplum Barcinone in Cataloniâ hæreticorum trium n. 204.
impœnitentium, non relapsorum, traditorum brachio sæculari; & cum unus eorum, qui erat sacerdos, fuisset igni expositus, & ex uno latere jam aliqualiter adustus, clamavit ut educeretur, quia voluit abjurare, & pœnitebat; & sic factum est. Idem tamen posteà inventus est in hæresi permansisse continuò, & multos infecisse, nec converti voluit, sed ut impœnitens & relapsus iterum est relictus brachio sæculari & ignibus consumtus.

Autor historiæ Inquisitionis Goanæ aliud refert exemplum alicujus prædivitis cap. 38.
Christiani novi in Lusitaniâ, nomine Ludovici Peçoa, qui cum totâ familiâ suâ à quibusdam inimicis suis accusatus est occulti Judaismi, quique unà cum uxore, duobus filiis & filiâ, aliisque consanguineis domi ipsius morantibus, in Inquisitionis carcerem conjectus fuit. Cum negaret crimen sibi objectum, & satis bene refutaret, peteretque testes, qui contrà ipsum deposuerant, sibi indicari, ut eos falsitatis convincere posset, nihil obtinere potuit; sed tanquam negativus condemnatus fuit, ut traderetur brachio curiæ sæcularis: eaque sententia ipsi indicata fuit quindecim ante ejus pronuntiationem diebus. Dux de Cadaval, ducis d'Aveira Inquisitoris Generalis amicus intimus, accuratè inquisivit, quo in statu negotium ejus versaretur: Et cum ex Inquisitore Generali intellexisset, nisi ante egressum suum è carcere confiteretur, quoniam legitimè erat convictus, non posse ipsum ignis supplicium evitare, orare non destitit Inquisitorem generalem, donec ab ipso obtinuerit, si Ludovicum Peçoa etiam post latam sententiam & egressum ipsius in actione fidei, inducere posset ad confitendum, quod non esset moriturus, licet institutis & consuetudini actionis fidei adversetur. Die itaque solemni, quo actio fidei esset celebranda, aliquot suos & Ludovici Peçoa amicos mittit ad portam Inquisitionis, ut, si fieri possit, ipsum ad confitendum inducant. Processit ille indutus infami Samarrâ, & capite carochâ seu infami mitrâ tectus: Amici multis profusis lachrymis ipsum orant nomine ducis de Cadaval, & per quicquid ipsi charum est, ut vitæ suæ consulat; significantque ducem, si confiteatur & pœniteat, ab Inquisitore Generali vitam ejus obtinuisse, quin & plura, quam ipsi ablata essent, donaturum. Verum frustrà hæc fuerunt, Ludovico continuò se innocentem esse protestante, crimenque hoc falsò ab inimicis suam perniciem quærentibus effictum. Finitâ processione, cum jam actio fidei fermè ad finem esset perducta, lectis nimirum sententiis eorum, qui ad pœnitentias quasdam damnantur, & jam instante vesperâ sententiæ eorum qui curiæ sæculari tradendi essent legi inciperent, amici preces suas iterarunt, quibus tandem amici sui constantiam expugnarunt, adeò ut audiri postulaverit; & surgens ut audiretur, ait, Eamus ergò & confiteamur falsum crimen, ut amicorum nostrorum desiderio satisfaciamus. Et cum confessus esset crimen, reductus fuit in carcerem. Biennio elapso missus est Evoram, & in Actione fidei pro-

cessit indutus Samarrâ in quâ depictus fuit ignis inversus, pro more in Inquisitione Lusitanicâ recepto; & postquam quinque adhuc annis in carcere Inquisitionis fuit detentus, ad triremes per quinquennium damnatus fuit.

tit. 47. § 73. Tandem & quæstionem de alio casu proponit & dissolvit: Simancas An nempe „ Hæreticus post sententiam definitivam conversus, qui dixerit se pœnitere velle, „ & alios hæreticos judicibus indicare, si ob eam rem à judice sæculari restitutus „ sit Inquisitoribus, & coram illis plenissimè confessus fuerit, relinquendus sit „ iterum eidem judici sæculari. Quæ quæstio cum superiore sæculo apud Inqui„ sitores Conchenses ex facto agitata esset, consulti supremi judices multique „ periti unanimi sententiâ responderunt, pœnitentem ejusmodi non esse curiæ „ sæculari iterum relinquendum: tum quia veram confessionem fecerat coram „ Inquisitoribus, & ab illis tradi non debebat; tum etiam quia sæcularis judex „ juri suo renuntiasse visus est, qui hæreticum sibi relictum Inquisitoribus tradi„ dit: Adde, quod nec bonum nec æquum patitur, ut qui jam nec impœnitens „ nec relapsus est, sæculari potestati ullo modo tradatur.

CAPUT XXXIV.

De terminatione processus contra Relapsum pœnitentem.

Direct. part. 3. n. 197. Comm. 45. SI delatus propriâ confessione deprehendatur relapsus, sed pœnitens, & profiteatur se Catholicè credere, & reverti velle ad Ecclesiæ unitatem, Episcopus & Inquisitor ad eum mittunt duos vel tres probos viros, & præsertim Religiosos, vel Clericos, fidei zelatores, illi non suspectos aut ingratos, qui captatâ horâ competenti ad eum intrant; & postquam primò locuti sunt de contemtu mundi, vitæ præsentis miseriis, & gaudiis ac gloriâ paradizi, mox nomine Episcopi & Inquisitoris illi indicant, ipsum, quoniam est relapsus, non posse evadere mortem temporalem; quarè studeat saluti animæ suæ, ac disponat de peccatorum suorum confessione, ac sacramenti Eucharistiæ receptione. Hæc monita aliquoties iterant, donec peccata confessus fuerit, & Eucharistiæ sacramentum sibi conferri humiliter petierit: quia Ecclesiastica sacramenta relapso pœnitenti, si ea humiliter petat, non sunt deneganda. cap. *Super eo.* de hæret. lib. 6. Quibus sacramentis receptis, eoque hac ratione ritè ipsorum judicio ad salutem disposito, Episcopus & Inquisitor mandant Ballivo loci, vel Potestati curiæ sæcularis, ut tali die & horâ sit cum suâ familia in tali plateâ seu loco, ad recipiendum de foro suo quendam relapsum quem ei tradent; & ut eâdem die, seu pridiè, manè voce præconis per civitatem omnibus in locis & vicis, in quibus ejusmodi publicationes fieri solent, denuntiet, quod illo die, & tali horâ & in tali loco Inquisitor sermonem faciet pro fide, & quod Episcopus & Inquisitor quendam relapsum condemnabunt, tradendo eum curiæ sæculari.

Hic dissentiunt, an condemnatus possit die dominico vel festo tradi curiæ sæculari. In multis Europæ urbibus hæc servatur consuetudo, ut Inquisitores relapsos aut impœnitentes non tradant curiæ sæculari diē festivo, sed alio; ideoque duobus etiam vel tribus diēbus antequam reus comburatur solet è domibus seu carceribus Inquisitorum ad carceres judicum sæcularium transferri. In Hispaniâ verò & Lusitaniâ solent omnia quæ fidei actionem spectant, ad tantò majorem populi terrorem, die festo peragi.

Similiter non omnes consentiunt, an, quando rei tradendi sunt curiæ sæculari, actio fidei in Ecclesiâ, an extrà Ecclesiam celebrari debeat. In Hispaniâ & Lusitaniâ hujusmodi publicæ fidei actiones extrà Ecclesiam celebrantur, & ut plurimum in amplâ & latè patenti plateâ seu foro, ac in prææltis tabulatis, ut cunctus populus facilius & apertius hæc intueatur, quod intrà Ecclesias adeò commodè fieri non potest.

Hisce ità dispositis, si tradendus curiæ sæculari sit in sacris Ordinibus constitutus, Sacerdos, vel cujuscunque Ordinis, antequam tradatur, est totius Ordinis Ecclesiastici prærogativâ nudandus, seu degradandus (uti loquuntur) ut ita omni dignitate, quæ ipsum potestati sæculari exemit, spoliatus illi tradi possit. n. 198.

Degradatio autem est duplex, verbalis una, actualis altera. Verbalis est, quando Episcopus pronuntiat sententiam contra Clericum, per quam privat illum Ordinibus clericalibus, seu verius Ordinum ministerio sive executione, quæ potius depositio est: Actualis est, cum Clericus non modò per sententiam privatur, verum etiam actualiter & personaliter privatur, exuitur seu spoliatur Ordinibus Ecclesiasticis. Et hæc in crimine hæresis locum habet, si sit tradendus curiæ sæculari: Si verò carceri perpetuo includendus, sola adhibetur degradatio verbalis.

Ad degradationem actualem faciendum olim requirebatur certus numerus judicum; nam ad audiendum Episcopum duodecim Episcopi, ad Presbyterum sex Episcopi, ad Diaconum tres Episcopi requirebantur. At quia in casu hæresis ad exauthorandum Religiosum jam per judices fidei judicatum difficulter tot Episcopi convenire poterant, juxtà potestatem à Gregorio IX. datam, convocat Episcopus Prælatos, Abbates, & viros Religiosos suæ diœcesis, ut ad diem ipsius traditioni destinatum adsint: ipseque Episcopus Pontificalibus indutus, & Prælatis suæ diœcesis ipsi assistentibus, ipsum degradandum omnibus suis vestimentis indutum, non aliter ac si ministraturus esset, coram se constituit, & à suo Ordine degradat, incipiendo à superiore, & per gradus descendendo ad infimum: Et sicut conferendo Ordines utitur Episcopus verbis ad hoc per Ecclesiam ordinatis: ita degradando in quâlibet depositione, & casulæ, & stolæ, & aliorum, utitur quibusdam verbis planè contrariis, quibus se illi hunc ordinem auferre testatur.

Ita ut collatio Ordinum, & degradatio fiat ordine & ritibus directè sibi invicem oppositis: Ordines enim quando conferuntur, initium fit ab infimo, & tandem per gradus confertur supremus. Primò confertur ordo Ostiarii his ritibus & verbis. Episcopus claves ex altari acceptas ei tradens quem Ostiarium vult constituere: *Sic age*, inquit, *quasi Deo redditurus rationem pro his rebus quæ his clavibus recluduntur*. Lectorem ordinat Episcopus hoc ritu: præsente populo in ejus ordinatione librum, quo descripta sunt quæ ad hanc functionem pertinent, illi tradens, inquit: *Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei benè ministrarunt ab initio.* Exorcistam Episcopus instituit, illi porrigendo librum in quo exorcismi continentur, usus eâ formulâ verborum; *Accipe & commenda memoriæ, & habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* In Acolythi ordinatione hic ritus servatur: Postquam Episcopus ordinandos officii sui diligenter admonuit, lumina eorum singulis tradit in hunc modum: *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini*: Deinde etiam urceolos vacuos, quibus aqua & vinum in sacrificio ministratur: *Accipe urceolos, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini.* Subdiaconos ordinaturus Episcopus, legem perpetuæ continentiæ huic ordini impositam esse admonet, edicitque neminem in Subdiaconorum ordinem cooptandum esse, cui ultrò hanc legem accipere non sit propositum: Deinde post solemnem litaniarum precationem, quæ Subdiaconorum munera & functiones sint enumerat atque exponit. His peractis eorum singuli qui ordinantur ab Episcopo quidem calicem & sacram patenam accipiunt; ab Archidiacono verò, ut intelligatur Subdiaconum Diaconi officio subservire, urceolos vino & aquâ plenos, unà cum lebete & linteolo, quo manus absterguntur, dicente Episcopo: *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur; ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Adduntur prætereà aliæ preces. Ad extremum, cum Episcopus sacris vestibus Subdiaconum ornavit, ad qua-

rum singulas propria verba & cæremoniæ adhibentur, tradit ei Epistolarum librum, ac dicit: *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesiâ sanctâ Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* In Diaconi ordinatione pluribus & sanctioribus precibus utitur Episcopus, & alia addit sacrarum vestium ornamenta: Præterea manus ei imponit: Denique Euangeliorum librum ei tradit his verbis: *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesiâ Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Sacerdos hisce ritibus ab Episcopo ordinatur: Primò, manus ei, unà cum omnibus Sacerdotibus qui adsunt, imponit; deinde stolam humeris aptans eam ante pectus in crucis formam componit: posteà manus sacro oleo inungit, tum calicem cum vino, & patenam cum hostiâ tradit, dicens: *Accipe potestatem sacrificium offerendi Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis.* Ad extremum manibus iterum capiti ejus impositis, *Accipe*, inquit, *Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retenta sunt.*

Degradatio fit verbis & ritibus planè contrariis: Exemplum illius habemus in Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ, fol. 137. in Joanne Philiberto Presbytero, qui Valdensium se communioni adjunxerat, quemque jussu Papæ Archiepiscopus Tholosanus (quoniam Episcopus Auxitanus cujus Diœcesi subjectus erat obierat) præsentibus aliis Abbatibus, Prælatis aut eorum Vicariis, omnibus suis Ordinibus degradatum curiæ sæculari tradidit. Postquam enim constitutus fuit in vestibus sacerdotalibus, omnia illi ornamenta, certis quibusdam adhibitis verbis, ablata sunt. Calix & Patena: *Auferimus tibi calicem & patenam, teque exuimus & privamus officio & potestate offerendi Deo sacrificium, & Missam quamlibet celebrandi.* Stola Sacerdotalis. *Auferimus tibi orarium sive stolam sacerdotalem, cum jugum Domini suave repræsentatum in illâ portare contemseris & stolam innocentiæ observare.* Dalmatica. *Auferimus tibi Dalmaticam diaconalis officii ornamentum, cum ipsam non portaveris in indumentum lætitiæ & vestimentum salutis.* Liber Euangeliorum. *Auferimus tibi librum Euangeliorum, teque in Ecclesiâ Dei legendi officio & potestate exuimus & privamus.* Stola Diaconalis. *Auferimus tibi stolam diaconalem, teque exuimus & privamus potestate diaconale officium exercendi.* Calix, patena, urceolus, aqua, manile, manutergium. *Auferimus tibi calicem, patenam, urceolum, aquam, manile, manutergium, subdiaconatus officii instrumenta, teque illorum usu exuimus & privamus.* Tunica subdiaconalis. *Auferimus tibi tunicam subdiaconalis officii ornamentum, cum illâ usus usus non fueris ad justitiam & salutem.* Manipulus. *Auferimus manipulum subdiaconatus officii ornamentum, teque exuimus & privamus ministerio designato in illo.* Liber Epistolarum. *Auferimus tibi librum Epistolarum, teque exuimus & privamus potestate legendi eas in Ecclesiâ sanctâ Dei.* Ceroferarium. *Auferimus tibi ceroferarium, teque exuimus & privamus officio luminaria in Ecclesiâ accendendi.* Urceolus. *Auferimus tibi urceolum, ne de cætero eo utaris ad suggerendum vinum & aquam in euchariſtiam sanguinis Christi.* Liber exorcismorum. *Auferimus tibi libellum exorcismorum, teque privamus & exuimus potestate manus super energumenis, sive baptizatis, sive catechumenis, imponendi.* Liber cum quo fuit Lector. *Auferimus tibi codicem quem cum lectoratus ordine suscepisti, teque exuimus & privamus potestate illum legendi de cætero in Ecclesiâ sanctâ Dei.* Claves. *Auferimus tibi claves Ecclesiæ, teque exuimus & privamus officio & potestate custodiendi res quæ ipsis clavibus recluduntur, & portas etiam Ecclesiæ aperiendi sive claudendi. Auctoritate Dei Omnipotentis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ac etiam potestate nobis, ut præmittitur, in hac parte commissâ, auferimus tibi habitum clericalem, & te ab omni Sacerdotali & alio quolibet ordine deponimus ac etiam degradamus, teque spoliamus & exuimus ab omni honore, beneficio, ac privilegio clericali: & nihilominus pronuntiamus & dicimus nobili viro Domino Guiardo Guidonis Seneschallo Tholosano hic præsenti, ut te in forum recipiat degradatum: Ipsum tamen instanter requirimus & rogamus, ut citra mortis periculum & membri mutilationem suam circa te sententiam moderetur.* Post hæc radatur sibi caput, antequam ipsum recipiat curia sæcularis.

De-

Degradatione factâ pronuntiatur sententia in eum ut relapsum, ipseque ut relapsus, licet pœnitens, de foro Ecclesiastico projicitur, & traditur brachio sæculari. Talibus autem sententiis, quibus relapsus, aut hæreticus impœnitens, aut quivis alius, traditur brachio sæculari, solet hujusmodi addi clausula: *Rogamus tamen, & efficaciter, dictam curiam sæcularem, quod circa te citra sanguinis effusionem & mortis periculum sententiam suam moderetur.* Idque juxta cap. *Novimus*, de verb. sign. ubi postquam mandatum est ut clericus degradatus tradatur curiæ sæculari, additur: *pro quo tamen Ecclesia efficaciter debet intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.* Ne scilicet Inquisitores, quando reos judicibus sæcularibus tradunt, sanguinis effusioni consentire videantur, & irregulares efficiantur.

Quando talis sententia in relapsum est conclusa, Episcopus & Inquisitor eam reo non indicant, ne contra eos animo moveatur; sed aliquos viros probos, præsertim Religiosos seu Clericos ei non ingratos, ad eum mittunt, qui sententiam in eum pronuntiandam & mortem ei infligendam indicent, eum in fide confirment, ad patientiam hortentur, & post sententiam eum comitentur, consolentur, & cum eo orent, & ab eo non recedant, donec spiritum reddiderit creatori. Sollicitè autem illi sibi cavere debent, ne quid agant seu dicant, unde mors relapsi posset accelerari; qualia sunt; si hortetur condemnatum ut caput carnifici offerat, aut in furcarum scalas ascendat; aut carnifici dicat, ut ita aptet vindicem gladium, ut uno ictu reum jugulet, ne pluribus ictibus feriatur, aut his similia faciat, vel dicat seu persuadeat, unde celerius mors consequatur, quamvis subsecuta fuisset, etiamsi hæc facta vel dicta non intercessissent: Quia per ea irregularitatem contrahunt. Quis non credat homines hos ab omni sanguinis effusione toto animo abhorrere, qui tam efficaciter pro damnatis intercedunt; & tam sollicitè sibi cavent, ne quid dicant vel faciant per quod condemnati mors acceleretur? Hic quidam putant, ejusmodi pœnitentibus relapsis concedendum esse ecclesiasticam sepulturam, perinde uti cæteris Catholicis omnibus. Sed hoc à jure & consuetudine alienum est, quia illorum corpora comburuntur igne. Hoc tamen cum eis mitius agitur, quam cum pertinacibus & impœnitentibus, quod hi vivi in ignem mittuntur, illi verò ante ignem strangulari solent; quod & humanius est, & ad pœnitentiam ducit, ut ait *Simancas, tit. XLVII.* § 17.

n. 100.

CAPUT XXXV.

De terminatione processus contra hæreticum Impœnitentem, & contra Relapsum Impœnitentem.

Si delatus sit hæreticus impœnitens, non relapsus, asservatur in arcto carcere, compedibus & catenis ritè constrictus, ne possit evadere & alios inficere; nec ullus ad eum intrare permittitur, nec cum eo loqui, nisi custodes, qui sint probi viri, & de fide non suspecti, nec faciles decipi. Interim omnia adhibentur media ad ejus conversionem, juxta decretum Concilii Biterrensis, cap. 17. *Converti nolentes, ubi commodè poteritis, damnare tardetis; ipsos frequenter tam per vos, quam per alios, ad conversionem monentes, ac tandem in suâ malitiâ pertinaces, faciatis errores suos ad eorum detestationem publicè confiteri; & sic eos damnatos præsentibus Potestatibus sæcularibus, eorumvè Baillivis, secundum mandatum Apostolicum relinquentes.* Cui consonat *Instructio Madriliana a.* 1561. *cap.* 43. *Cum reus extiterit negativus, & legitimè fuerit de crimine hæresis, de quo fuit accusatus, convictus; vel exstiterit pertinax, manifestum est in jure, quod debet tradi curiæ sæculari: cæterum in tali casu Inquisitores multum debent ejus conversionem procurare, ut saltem in gratiâ Dei moriatur: in quo Inquisitores facient quicquid piè poterunt.*

Direct. part. 3. n. 201. & seqq. com. 46.

terunt. Itaque Episcopus & Inquisitor frequenter, modò simul, modò singuli seorsim, eum coram se sisti faciunt, ut opiniones ejus refellant, & fidem Ecclesiæ Romanæ persuadeant. Si illorum informationi non acquiescat, ad eum mittuntur decem vel duodecim informatores, homines literati, diversarum Religionum Clerici, & sæculares juristæ, qui sæpius cum ipso colloquantur, ut ostendant, sententiam ipsius adversari S. Scripturæ & decretis Ecclesiæ Romanæ. Si non convertatur, non traditur mox brachio sæculari, etiamsi id petat; sed diu, dimidio vel integro anno in carcere duro & obscuro compedibus constrictus detinetur, ut eâ miseriâ ac calamitate carceris ejus constantia expugnetur; intereà frequenter admonetur, si persistat, eum hic fore comburendum, & post hanc vitam perpetuò in inferno arsurum. Si nec hac calamitate permoveatur, ducitur in carcerem minus tetrum, ità tamen ut non possit evadere, & lautius aliquantum habetur; adduntur promissiones, si se convertat, quod misericordiam judicum sic experturus. Si nec sic à sententiâ suâ resiliat, permittunt ad eum accedere uxorem, & liberos, præsertim parvulos, si quos habet, aliosque propinquos, qui constantiam ejus frangant. Si hisce omnibus adhibitis mediis in sententiâ suâ persistat, tandem Episcopus & Inquisitor se disponunt, ad eum curiæ sæculari tradendum. Quando itaque sermo de fide habitus est, Inquisitor culpas & hæreses illius per Notarium, vel alium clericum, prælegi facit; illisque lectis eum interrogat, an ab hæresibus velit resilire, easque abjurare? Si consentiat abjurare, admittitur; & factâ abjuratione, quia creditur facta esse magis metu mortis, quam amore veritatis, temporibus Eymerici ad perpetuum muri carcerem condemnabatur; & si sit Clericus, prius à suis Ordinibus degradabatur, degradatione solummodò verbali, hoc est, à functione ministerii sui deponebatur.

Si verò in illo statu nec pœnitere, nec opiniones suas abjurare vult, uti communiter à talibus fieri solet, condemnatur ut hæreticus pertinax, & ut talis traditur curiæ sæculari. Cap. *Ad abolendam.* § *Præsenti.* Extrav. de hæret. Et dum curia sæcularis officium suum exequitur, poterunt aliqui viri probi & fidei zelatores ipsum comitari; & inducere ad fidem Catholicam, & exhortari adhuc, ut resiliat ab erroribus. Et Eymerici quidem sententia est, si & tunc converti velit, eum ad pœnitentiam esse admittendum. Pegna autem tutius judicat, ut nullo modo recipiatur, etiamsi millies promittat veram conversionem; tum quia nullo jure id videtur cautum; tum quia experientia docuit hos ita receptos rarò bonos evasisse.

Si hæreticus impœnitens vel relapsus præsens sit, Episcopus & Inquisitor præsente potestate curiæ sæcularis, ut habetur in cap. *Excommunicamus* 1. in princip. & cap. *Excommunicamus.* 2. Extrav. de hæret. declarant eum impœnitentem vel relapsum esse, expelluntque eum de foro ecclesiastico, & relinquunt eum brachio sæculari, seu foro curiæ sæcularis. Et curia sæcularis, quæ ibi est, ipsum recipit, ut suo foro ac brachio relictum. Si absens sit & fugitivus, per sententiam declaratur impœnitens vel relapsus, & expulsus de foro ecclesiastico, & relictus brachio sæculari; & quandocunque eum curia sæcularis habere poterit, in eum, ut jam suo foro obnoxium, pro qualitate facinoris ultionem exercet. Cap. *Ad Abolendam.* § *Præsenti.* Extrav. de hæret.

n. 205. Si delatus sit hæreticus impœnitens & relapsus, omnia quidem remedia adhibentur ut convertatur, & arctè & sollicitè custoditur, ut nulli ad eum aditus pateat; non tamen à morte liberari potest. Quare eum adhortari solent, quoniam mortem evadere nequit, ut saltem saluti animæ consulat, confiteatur, & Eucharistiæ sacramentum recipiat. En stupendam Patrum horum charitatem, qui reum pœnitentem ad mortem tradentes adeò de animæ salute solliciti sunt! Sed sive pœniteat sive non, traditur curiæ sæculari, cum efficace deprecatione, ut citra sanguinis effusionem & mortis periculum sententiam suam circa illum moderetur.

CAPUT XXXVI.

De terminatione processus contra Hæreticum convictum Negativum.

SI delatus sit in hæresi deprehensus vel facti evidentiâ, vel testium productione legitimâ, ipse tamen minimè eam confiteatur, & in negativâ persistat, vocatur hodie hæreticus convictus Negativus, & censetur impœnitens. De illis ità definivit Concilium Biterrense *capp.* 6, 7, 8, 9. *Illos qui cum sint culpabiles, contemnunt comparere intrà tempus gratiæ, aut malitiosè supprimunt veritatem, citetis suo tempore nominatim: Eisque, si veritatem contra se inventam confiteri noluerint, exponatis capitula super quibus inventi sunt culpabiles, & dicta similiter testium publicetis: Ac datis dilationibus competentibus, & defendendi facultate concessâ, benignè admittatis exceptiones & replicationes legitimas eorumdem: Et siquidem in suâ defensione defecerint, nisi culpam probatam gratis confiteri voluerint, assignato ad sententiam termino peremtorio competenti, damnetis eosdem: non enim sunt ad misericordiam admittendi, dum in suâ negatione persistunt, quantumcunque voluntati Ecclesiæ se supponant.* Et Concilium Narbonense *cap.* 26. *Si quis tamen culpam suam, ex quâ possit credens vel hæreticus judicari, de quâ plenè per testes seu aliam probationem constat, pertinaciter negare non metuit, quamdiu in hujusmodi negativâ persistit, licet alias conversionem prætendat, hæreticus absque dubio est censendus: evidenter namque impœnitens est, qui peccatum nec vult etiam confiteri.* In Hispaniâ *primâ Instructione Hispalensi* a. 1484. *cap.* 14. apertissimè declarata est eadem sententia, simulque provisum, ut quoties talis casus occurrerit, Inquisitores vitam & mores testium diligentissimè perscrutentur. Censetur autem hæreticus & impœnitens, licet protestetur se credere, non tantum quando convincitur de hæresi quam dixit; verum etiam de facto aliquo hæreticali, ex quo possit vel hæreticus, vel credens hæreticorum judicari. Idque intelligendum est de eo, qui negat factum hæreticale, de quo legitimè convincitur; non autem de illo, qui confitetur factum hæreticale, pravam autem intentionem negat. Rationes autem, cur talis ut hæreticus impœnitens condemnetur, hæc allegari solent. Quoniam si hæresis hujus negativi plenè ac legitimè probata est, jam Ecclesiæ constat hunc hæreticum esse, qui nisi errores suos confiteatur ac detestetur, velut impœnitens hæreticus meritò tradendus est curiæ sæculari. Porrò, qui legitimè contra se probatos errores non concedit, quamvis protestetur se rectam fidem tenere, nihilominus non satisfacit Ecclesiæ, quæ imprimis satisfactionem postulat de probatis hæresibus, quas ipse se dixisse diffitetur: quam ob rem cum non sit correctus, velut impœnitens erit damnandus, quoniam peccati venia non datur nisi correcto. Tandem, quia ad veram pœnitentiam necessaria est confessio, nec veniam consequi meretur qui peccatum non agnoscit: cum itaque Negativus peccatum non confiteatur, impœnitens putatur, ac curiæ sæculari propterea meritò est relinquendus. *Nec quisquam dicat* (ait Pegna) *injustè se hac ratione condemnari, nec conqueratur de judicibus Ecclesiasticis, vel de judicio Ecclesiæ ità statuentis, quæ de occultis non judicat; sed si fortassis per iniquos testes est convictus, ferat id æquo animo, ac lætetur, quod pro veritate mortem patiatur.* Ut autem sententia hæc locum habeat, docent requiri: Primum, ut sit convictus de verâ & formali hæresi, veluti, non esse purgatorium; non de assertione scandalosâ, temerariâ, malè sonante, & similibus; aut de factis, ex quibus insurgit hæresis, vel apostasia; in quo multâ prudentiâ est opus. Alterum est; ut verba hæreticalia, de quibus Negativus convincitur, sint certa & clara, non dubia vel ambigua, habentia duplicem sensum, hæreticum unum, Catholicum alterum; quia enim dubia in meliorem partem interpretanda sunt, tunc relicto sensu hæretico Catholicus accipiendus est. Tertium est: ut reus de hæresi, quam negat, convincatur per testes legitimos & idoneos, seu omni exceptione majores,

Direct. part. 3. n. 207. & seqq. comm. 48.

Pegna in Direct. part. 3. p. 565.

non per inimicos aut singulares, aut alias inhabiles. Quartum est, ut illud factum seu dictum hæreticale, de quo reus convincitur, sit recens, non vetustum, ità ut verisimiliter reus credatur ejus fuisse oblitus; cum in facto antiquo oblivio præsumatur. Postremum est: quod is Negativus per testes convincatur asseruisse, se illa credere, & credenda aliis esse.

Ejusmodi Negativus duro carcere detinetur, compedibus ac catenis constrictus, ab Episcopo, Inquisitore, aliisque sæpius admonetur ut confiteatur veritatem, propositâ spe misericordiæ si confiteatur, & additâ comminatione, quod tradendus sit curiæ sæculari si persistat in negativâ. Si perstet in negativâ, Episcopus & Inquisitor, vel singuli, vel uterque simul, examinant testes secretò, etiam per alios probos viros, monentque ut secretò ipsis dicant veritatem, ne delatus moriatur injustè. Si testes perstent in affirmativâ, & delatus in negativâ, majori cum curâ examinantur. Non tamen testes coram delato producuntur, ut inter se conferantur; solummodò commendatur Inquisitoribus prudentia in inquirendâ veritate, ne fortè innocens, qui se plenè defendere nequit, injustè damnetur. Ita disponit *Instruct. Madril. a.* 1561. c. 38. *quod in reorum defensionibus Inquisitores omninò considerent, quod rei in carceribus secretis detenti se defendere commodè nequeunt, eorumque impedimentum suâ diligentiâ & prudentiâ suppleant, inquirendo præcipuè de vitâ, moribus, inimicitia seu conspiratione testium.* Si testis aliquis vacillare videatur, aut alia adsint contra eum indicia, ea observantur, ut veritas investigari possit. Si testes deprehenduntur falsi, aut ipsi testimonium suum revocant, delatus innocens pronuntiatur & dimittitur, ipsi verò condemnantur ad perpetuum muri carcerem, & in scalâ aliquoties ante Ecclesiarum aliquot valvas in spectaculum exhibentur, & sola vita eis ex misericordiâ conceditur. Si autem testes perstent, ipseque justo temporis, anni videlicet, spatio in carcere asservatus, etiam in negativâ persistat, tandem sententiâ Episcopi & Inquisitoris ut hæreticus pertinax & impœnitens à foro Ecclesiastico projicitur, & traditur brachio sæculari. Si itaque contingat ipsum per falsos testes esse delatum, ac reverâ innocentem, miser falsò condemnatus potestati curiæ sæcularis traditur vivus igne comburendus; nec licitum ipsi est, sine peccati mortalis commissione, uti Doctores Romani sentiunt, falsâ criminis non commissi confessione vitam suam redimere. (Pegna p. 567.) Quare in hoc casu, quamvis huic Negativo durissimum videatur innocentem mori, & propterea fortassis credat sibi licere ad mortem evitandam crimina objecta fateri; nullo tamen modo id est permittendum: quamobrem eorum Theologorum & Confessariorum, qui Negativum talem consolantur, & ad supplicium comitantur, munus est eum inducere, ut veritatem prodat: sed caveat omninò ne sibi crimen, quod non commisit, imponat, ut temporalem mortem evitet; memineritque se, si patienter eam injuriam & supplicium toleret, velut martyrem esse coronandum.

Manifestum tamen est, si Inquisitionis Lusitanicæ praxis consideretur, Inquisitores non tam de æternâ à se condemnatorum salute esse sollicitos, quam per reorum confessiones, etiam falsorum criminum, honori suo consultum velle. Vidimus exemplum Ludovici Peçoa, in historiâ Inquisitionis Goanæ, cap. ult. qui jam in solemni actionis fidei processione eductus, tandem continuis amicorum suorum precibus ac lachrymis victus ait, *Eamus ergò, & confiteamur falsa crimina, ut amicorum nostrorum desiderio satisfaciamus:* & factâ confessione à sententiâ mortis liberatus fuit. Eadem historia cap. præced. aliud nobis non minus illustre exemplum exhibet Lusitani nobilis è novorum Christianorum stirpe oriundi, qui Judaismi accusatus fuit. Cum verò ille constantissimè crimen sibi objectum negaret, nihil omissum fuit quo ad crimen confitendum induci posset: non tantum enim vita, sed & omnium bonorum restitutio promissa est, si confiteretur; si verò in negatione persisteret, minæ additæ mortis cruentæ. Cum hæc frustrà essent, Inquisitor Generalis, cui erat haud ingratus, blandimentis aliisque argumentis ejus constantiam expugnare conatus est, cum verò criminis à se

non

non commissi reum se fateri constantissimè negaret, tandem Inquisitor Generalis hac ejus constantiâ irritatus, ait? Quid ergo intendis? putasne nos permissuros nos mendacii postulari? hisque dictis abiit. Hæc judicis hujus verba, ait historia, sensum valdè alienum involvunt, & excitant considerationes sancto Officio satis ignominiosas: tantumdem enim fermè est, ac si diceret; nos potius te tanquam nocentem igni trademus, quam ut permittamus quemquam credere te à nobis injustè fuisse detentum. Appropinquante actione fidei, lata in eum fuit sententia mortis, & datus Confessarius, qui ipsum ad mortem præparet. Hic tandem metu instantis tam atrocis supplicii succubuit, & cum ipso die Actionis fidei crimen falsò sibi impactum fassus esset, mortem evitavit, sed bona ejus fisco sunt addicta, ipseque per quinquennium ad triremes damnatus.

Observat *Carena part.* 2. *tit.* 1. § x. nonnunquam contingere, ut hæreticus Negativus, ab Inquisitoribus brachio sæculari relaxatus, eos ad vallem Josaphat, seu tribunal Dei, citet & provocet. Verum si judici constet se in condemnatione Hæretici Negativi justè processisse, citationem Negativi eum non debere pertimescere ait: Si verò judex non esset certus de justitiâ suæ sententiæ; sed aliquam in eâ ferendâ sensit animi sui perturbationem, tum illius officium esse omnia maturiori judicio rimari, ut prior sententia vel retractetur, vel confirmetur. Interim ajunt, si talis citatio & appellatio fiat non odio & vindictâ, sed bono fine, ut innocentia appareat, & infamia à familiâ arceatur, eam esse licitam.

Quoniam Negativi crimen hæreseos constantissimè negant, seque Catholicos esse & semper fuisse profitentur, ac in fide Ecclesiæ Catholicæ velle mori, prius strangulantur, antequam comburantur.

Sousa verò *lib.* 3. *cap.* VI. § 11. ait, quod hæretici convicti & Negativi, si postquam judici sæculari traduntur, coram illo non confiteantur fidem Catholicam, vivi comburuntur. Quia cum constet ipsos esse hæreticos, tacendo, cum respondere teneantur, pertinaces reputantur. Ita de facto judicatum fuit ab omnibus Prætoribus Senatus Supplicationis in civitate Olyssiponensi anno CIƆIƆCXXIX. dominicâ secundâ Septembris die IX. ejusdem mensis, cum in actu fidei tunc celebrato tres homines de genere Hebræorum, Christiani novi nuncupati, ab Inquisitoribus curiæ sæculari traditi sunt propter Judaismum, de quo erant convicti: qui persistentes in negativâ, affirmabant coram ipsis Inquisitoribus se esse Christianos: at verò coram judicibus sæcularibus positi, & interrogati de fide, noluerunt respondere, & sic traditi sunt ministris ut vivi comburerentur, & vivi combusti sunt.

CAPUT XXXVII.

De terminatione processus contra Hæreticum Fugitivum.

SI delatus sit fugitivus, postquam tempore congruo est exspectatus, citatur per Episcopum vel Inquisitorem in Ecclesiâ cathedrali illius Diœcesis in quâ deliquit, & in aliis Ecclesiis illius loci ubi domicilium habuit, & specialiter unde fugit, ut ad certum diem in tali Ecclesiâ cathedrali talis Diœcesis personaliter compareat certâ horâ coram ipsis definitivam sententiam auditurus; adduntque, sive compareat, sive non, quod contra ipsum sint processuri ad definitivam sententiam prout jus & justitia suadebunt. Eaque citatio Ecclesiæ istius cathedralis valvis affigitur. In hac citatione dilatio conceditur verbi gratiâ triginta dierum; eaque est peremptoria, ita ut una sit pro tribus, in quâ citatur reus ad omnia & singula judicii acta. Direct. part. 3. n. 212. & seqq. Comm. 49.

Si reus non comparuerit, accusatâ ejus contumaciâ in singulis edicti terminis;

Fiscalis Inquisitionis libellum accusatorium edit, quo exhibito ordine judiciario proceditur, observatâ Sancti Officii consuetudine & legibus; quibus absolutis, si de crimine verè constiterit, sententia in reum pronuntiatur, quandocunque processus ritè & legitimè fuerit absolutus. Si fuerit delatus de hæresi, declaratur hæreticus pertinax, & ut talis relinquitur brachio sæculari. Si ut suspectus de hæresi, & quia comparere noluit fuit excommunicatus, & excommunicationis sententiam per annum sustinuerit, ille non pronuntiatur hæreticus, sed condemnatur tanquam hæreticus. Si verò expleto anno compareat, auditur quantum attinet ad excusandum crimen & innocentiam suam testandum; non verò ut bona recuperet, nisi vel de innocentiâ ejus, vel de justo impedimento legitimè constiterit. Si sit in sacris Ordinibus constitutus, prius degradatur, sed degradatione tantum verbali, quoniam actuali, quia est absens, non potest. Sentit autem Eymericus, ita degradatum non relinquendum brachio sæculari, ut, si adhuc voluerit pœnitere, possit liberè & absque quæstione admitti ad misericordiam, & abjurare.

Pegna in Direct. part. 3. com. 91. Res hæc tota Hispalensi quâdam primâ Instructione cap. 19. præscripta est Inquisitoribus Hispaniæ. *Similiter decreverunt, ut contra culpabiles in dicto hæresis crimine, si absentes forent, Inquisitores procedant, citando præfatos absentes per publica edicta, quæ publicari faciant & affigi januis Ecclesiæ principalis illius loci, vel locorum, in quibus morabantur. Possunt autem Inquisitores fabricare processus contra absentes, uno ex tribus modis. Primò, secundum formam cap. Cum contumacia. de hæret. lib. 6. Videlicet, citando & admonendo absentes, ut compareant ad se defendendum, & respondendum de jure suo super certis articulis fidei causam contingentibus, & super certo hæresis crimine, &c. sub pœnâ excommunicationis, cum suis admonitionibus in formâ. Quod si non comparuerit, jubebunt Promotori Fiscali, ut accuset ejus contumaciam, & petat literas seu libellos magis aggravantes, quibus denuntientur: Quod si per spatium unius anni perseveraverint in suâ pertinaciâ, declarent illos hæreticos in formâ juris. Et hic processus est magis tutus & minus rigidus. Secundus modus est: Quod si Inquisitoribus visum fuerit delictum contra aliquem absentem debere plenè probari, citent illum per edicta, sicut dictum est, ut veniat responsurus & dicturus super jure suo, & ostensurus suam innocentiam intra triginta dies in tribus terminis divisos, unicuique termino decem dies tribuendo: vel concedant illis aliud longius tempus, si expedire viderint juxta distantiam seu locorum intercapedinem, in quibus præsumitur, vel præsumi debet, habitare prædictos citatos; quos citare debent ad omnia processus acta usque ad sententiam definitivam inclusivè; quo casu si reus non comparuerit, accusabitur ejus contumacia in omnibus edicti terminis: recipiantque Inquisitores ejus denuntiationem & accusationem à Fiscali, conficiantque processum in forma: quibus absolutis si delictum visum fuerit sufficienter probatum, poterunt absentem condemnare, eo amplius non exspectato. Tertius modus, qui in conficiendo processu contra absentem observari potest, hic est; ut si in investigatione processus facti in Inquisitione reperitur præsumtio hæresis contra absentem, tametsi delictum non videatur plenè probatum, possunt Inquisitores decernere edictum contra talem absentem notatum & suspectum de crimine hæresis, & jubere ei ut intra certum tempus compareat ad se liberandum & canonicè purgandum à dicto errore seu delicto: eo addito, quod si non comparuerit ad recipiendam & præstandam prædictam canonicam purgationem, vel non se liberaverit, vel purgaverit, habebunt ipsum pro convicto, procedentque ad faciendum, quod jure fieri debeat. Atque hæc processus forma est aliquantulum magis rigida; cæterum jure rectè nititur, & Inquisitores prudentes & literati eligent modum, quem magis tutum judicaverint, & melius viderint in practicâ posse usurpari, juxta diversitatem causarum, quæ sese offerre poterunt.*

Pegna ibid. p. 574. Ne autem sententia contra fugitivos frustra lata videatur, coram omni populo publicari solet, & imago absentis, quam *Statuam* vulgò dicunt, in publicum producitur, cui titulus affigitur, continens nomen & cognomen absentis contumacis qui damnatur, eaque statua sæculari potestati traditur, in quam combustionis sententiam & pœnam exercet, ac facturus esset in absentem ipsum si præsens

ſens affuiſſet (niſi converti voluiſſet) aut alias eſſet relapſus. Ita (narrante Ludovico Paramo *lib. 2. tit. 2. cap. 1. n. 6.*) ſtatua Sigiſmundi Malateſtæ ad fores divi Petri igni tradita eſt: & ſtatua Lutheri, poſtquam eſſet citatus, nec comparuiſſet, ab Aſculenſi Epiſcopo & Sylveſtro Prieriate, Leonis X. juſſu, unà cum libris, cremata eſt.

Quando hæc reorum abſentium ſtatuas comburendi conſuetudo inceperit, incertum eſt. Pegna credit non eſſe valde antiquam, cum nec Eymericus, qui diligentiſſimè cuncta ad praxin ſpectantia in hoc crimine complexus eſt, nec alii ex veteribus, qui de ordine procedendi contra hæreticos ſcripſerunt, hujus conſuetudinis meminerint; nec in codice illo Vaticano, nec in illo Illuſtriſſimi Cardinalis Sirleti, ubi plurima ſunt, etiam minutiſſima de ordine judicandi ac puniendi hæreticos, aliquod reperiatur hujus conſuetudinis veſtigium. Eam tamen valdè laudabilem cenſet, & aptiſſimam ad incutiendum terrorem, ac propterea omninò exercendam.

CAPUT XXXVIII.

De ratione procedendi contra Mortuos.

TAndem & proceſſus in crimine hæreſis inſtituitur contra mortuos. Variis autem modis contingere poteſt, ut quis poſt mortem hæreticus judicetur: Primò: Si antequam moriatur cœpta fuerit Inquiſitio contra eum, & de ejus crimine conſtitit aut per propriam confeſſionem, aut per facti evidentiam, aut per teſtium legitimam probationem, & antequam proceſſus finiatur, reus moriatur, vel confeſſus & impœnitens, vel negativus, vel etiam relapſus. Secundò, qui cum in carceribus eſſet pro hæreſi detentus ſeipſum occidit, ille enim ſe interficiendo crimen confiteri videtur. Tandem, quando cum viveret de ejus hæreſi non conſtitit, aut de eâ non fuit accuſatus; poſt mortem tamen ejus quocunque tempore conſtitit eum hæreticum deceſſiſſe, ſive per aliorum dicta & atteſtationes, ſive per facta, vel opera ſeu libros ab eo compoſitos, ſive per quamvis aliam rationem legitimam. Proceditur autem contra defunctos in hoc tribunali triplicem potiſſimum ob finem; ut memoria eorum damnetur; ut bona illorum per fiſcum ab hæredibus defunctorum ſeu à quibuslibet aliis poſſeſſoribus auferantur; ac tandem, ut defunctus exhumetur, ut extra locum ſacrum projiciatur, & comburatur; uti ſtatuit *Inſtructio prima Hiſpalenſis a.* 1484. *cap.* 20.

Direct. parr. 3. Quæſt. 43. Comm. 92.

Hæc actio contra defunctos, cum agitur ad effectum confiſcationis bonorum, dicitur durare per quadraginta annos: Ita *cap. 2. § 1. de præſcriptio.* lib. 6. ſancitur, bona hæreticorum defunctorum præſcribi per filios vel hæredes Catholicos ſpatio quadraginta annorum, dummodò ea poſſederint bonâ fide. Idemque ſtatuitur *Inſtructione Hiſpalenſi* a. 1484. *cap.* 20. Filii verò vel hæredes defuncti tunc bonâ fide dicentur poſſediſſe bona defuncti, cum & tempore mortis ejus, & toto quadraginta annorum ſpatio, crediderunt & intellexerunt defunctum Catholicum deceſſiſſe: Si verò intra hos quadraginta annos quandocunque intelligant defunctum hæreticum deceſſiſſe, cum jam incipiant eſſe in malâ fide, nunquam præſcribent: itaque ſi malâ fide poſſederint, etiam poſt quadraginta annos fiſcus Officii Inquiſitionis talia bona occupabit. Quod verò attinet effectum damnandi memoriam defunctorum, actio illa nullis temporum ſpatiis impeditur aut finitur; imò etiam poſt quadraginta & plures annos, quocunque tempore detectum fuerit ac legitimè conſtiterit quempiam hæreticum deceſſiſſe, poſſunt Inquiſitores agere contra eum ad memoriam ejus damnandam, & ut declarent excommunicatum deceſſiſſe, atque ut inhibeant ne quiſquam pro illo oret, & ut extumulentur oſſa ejus, ſi fieri poſſit, & comburantur: Nam cui vivo commu-

municare non licet, nec mortuo licebit. Licet autem filii bonorum confiscationem evitent, si bonâ fide per annos quadraginta possederint, cæteras nihilominus juris pœnas incurrunt, quas filiis damnatorum jura decernunt, nempe infamiam & inhabilitationem ad officia publica & beneficia.

Olim pater præsumebatur in hæresi defunctus, quando decumbens & æger ab Albigensi quodam petiit consolamentum per impositionem manuum: Quarè filii, ne paternâ hæreditate excluderentur, sæpius exceperunt, patres suos sanæ mentis non fuisse cùm consolationem illam peterent. Inde orta fuit quæstio, an talis excusatio admitti debeat.

Ea deciditur cap. *Filii.* de hæret. lib. VI. *Filii, vel hæredes illorum, qui dum in ægritudinis lecto decumberent, petierunt hæreticos consolaturos, ut ab eis per manus impositionem consolationem reciperent, secundum pessimam consuetudinem eorundem, sicque viam fuerint universæ carnis ingressi; ad probandum, quod ipsi defuncti consolationem illam, imò verius desolationem, non sanæ mentis effecti susceperint, vel post perditam jam loquelam (cum tamen moris sit (ut dicitur) apud eos, quod nullum taliter consolentur, qui non sit sanæ mentis, & memoriam habeat ordinatam) admitti non debent; si dum vivebant, diffamati erant de hæresi, vel suspecti, aut legitimè constiterit, quod sanæ mentis existentes hujusmodi hæreticos petierunt. Alioquin admitti poterunt prædicti filii, vel hæredes ad probandum præmissa. Non tamen per uxores, filios, familiares, vel de suis aliquos, sed per testes alios fide dignos, & specialiter fidei zelatores.*

Ubi duplex modus tales excusandi proponitur. Primus: Si probetur eum defunctum dum viveret non fuisse de hæresi suspectum, nec diffamatum, imò laudabiliter vixisse, & sacramenta Ecclesiæ more Christianorum debito tempore recepisse, & cætera peregisse quæ à veris & Catholicis Christianis fieri solent. Secundus: si ostendatur eum non fuisse sanæ mentis cum petivit hæreticorum consolationem. Quod altero horum modorum fieri debet: Aut, ostendendo quod aliquando fuerit furiosus, & quod præsumendum sit quod furor duraverit, & tempore furoris id delictum commiserit; & eo casu Fiscalis, vel judex, si procedat ex officio, probare debet, delictum esse factum tempore sanæ mentis: Aut ostendendo, quod vi morbi mente fuerit motus & judicio privatus; sicut aliquando, præsertim in gravi senectute, in morbo homines delirare solent, qui dum sani erant, mentis bene erant compotes. Probationes autem illæ non debent fieri per uxores, filios, vel alios familiares, sed per testes omni exceptione majores; quales in postremo hoc casu potissimum sunt periti medici. Si in hac probatione filii deficiant, illorum excusatio non admittitur.

Direct. part. 2. comm. 25.

Porrò, quoniam reus in articulo mortis constitutus, si confiteatur, & paratus est obedire mandatis Ecclesiæ, absolvi debet sacramentaliter, juxta Concilium Arausicanum primum, cap. 2. *Hæreticos in discrimine mortis positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à presbyteris cum chrismate & benedictione consignari placet*: sæpius factum est, ut moribundi hæresin sacerdoti sint confessi, & ab eo absolutionem acceperint. Cum autem actio institui non posset in mortuos, nisi impœnitentes decessisse præsumantur, olim in Concilio Tarraconensi enata fuit quæstio, an credi debeat sacerdoti, asserenti se aliquem absolvisse ab hæresi. Quæ quæstio illo tempore magni fuit momenti: Si enim sacerdoti id testanti credi debeat, non possunt Inquisitores post mortem contra talem procedere. Ea sic fuit decisa in Concilio Tarraconensi: *Item quæritur; quid si quis ante inquisitionem inceptam fuit confessus sacerdoti suo de hæresi, vel fautoria, & vocatur modò ab Inquisitoribus? In casu isto credatur confessori suo: & si inventus fuerit bene confessus per confessionem Sacerdotis, licet Sacerdos male fecerit, quia ipsum non remisit ad Episcopum, ille tamen confitens per talem confessionem evitet pœnam temporalem: nisi inveniatur in falsa pœnitentia, vel relapsus post pœnitentiam, vel publicè diffamatus.*

Concilium Narbonense de hoc casu ita statuit, cap. 28. *Utrum autem soli confessori credi debeat de absolutione, seu pœnitentia defuncti, seu vivi, licet satis videatur quod non, ne quid tamen Ecclesia possit impingi, Domini Papæ responsio exspectetur.* Nunc autem

autem quæstio hæc cessat, cum Confessores non habeant potestatem absolvendi hæreticos: potest tamen casus istiusmodi contingere; ut cum quis absolvitur virtute alicujus Jubilæi, in quo summus Pontifex concedit facultatem absolvendi à tali crimine: seu cum quis hæreticus omninò occultus vel mentalis absolutus est, & posteà detegitur ejus hæresis, & proceditur contra eum: Similis casus contingere potest in hæretico, qui jam jam moriturus pœnitet, & cum non sit locus, ut judiciario ordine servato Ecclesiæ reconcilietur, absolvitur à privato quolibet sacerdote in articulo mortis, & deinde convalescit; aut si non convalescit, post mortem defertur ad sanctum Officium.

In hisce & similibus casibus docent, si quis uti vellet testimonio Confessoris, non debere tamen Inquisitorem propter talem testem judiciarium ordinem omittere. Gregorius XIII. in Bullâ quâdam Jubilæi anno 1572. declaravit, quod absoluti in foro pœnitentiali solum intelligantur absoluti quoad illud forum sive judicium, & quod propterea debeant in foro exteriori sive judiciali satisfacere. Ac proinde hodiè talis non juvatur exceptione receptæ pœnitentiæ in foro interiori. Ratio est: quia pœna pœnitentialis in foro interiori imposita tendit, ut per eam pœnitens satisfaciat Deo & animæ suæ: temporalis verò pœna, spectat ad punitionem corporis, & pro vindictâ publicâ, ut ità etiam Reip. satisfaciat, qui malo exemplo delinquendo eam offendit. Et sicut duplex pœna est, ità & duplex est judex: Unus qui imponit pœnitentiam, ut per eam delinquens liberetur à pœnâ æternâ & spirituali; & hic est sacerdos proprius: alter qui imponit pœnam temporalem; & est judex loci in quo delictum committitur, seu etiam judex ordinarius delinquentis. Unde sequitur, quod, cum Sacerdos non sit judex hujus criminis, sed Inquisitor & Episcopus, absolutio à Sacerdote facta non possit impedire processum judicis competentis. Zanchin. c. 34.

Actio autem contra defunctum non est instituenda, seu potius illius memoria non est condemnanda, nisi plena probatio habeatur; uti sancivit Instructio Abulensis a. 1498. *cap.* 4. in fine: *Nec vocetur in judicium defunctus aliquis, nec procedatur contra ejus memoriam & famam, nisi plena probatio habeatur, ut inde possit condemnari.* Cum ergò præcesserunt tales probationes, Fiscalis petit instanter, exhibito libello, ut contra ejusmodi reum procedatur. Hæc accusatio filiis, vel hæredibus, vel aliis quorum interest memoriam defuncti non damnari exhibetur, & si sint aliqui defuncti descendentes personaliter citantur ad defendendam illius memoriam; uti habet Instructio Madriliana a. 1561. *cap.* 61. Atque ita olim præscripsit Concilium Biterrense cap. 18. *Ad hæreticorum seu credentium condemnationem, qui non fuerunt canonicè reconciliati ante mortem, citatis eorum hæredibus, sive aliis qui de jure citandi fuerint, & concessâ eis opportunâ copiâ defendendi, similiter procedatis.* Nè quis autem accusationem aut ignorantiam causari possit, per publica edicta, addito legitimo termino ad comparendum, citantur quoque filii aut hæredes defuncti, aut quicunque alii quorum interesse possit, ut ad defensionem legitimam proponendam accedant. Eo termino elapso, si nullus ex præcitatis comparuerit, Inquisitores defensorem causæ constituunt; virum pium, fidelem, & negotio idoneum, qui pro defuncto legitimas excusationes & defensiones proponat: atque huic similiter accusatio & testificatio contra defunctum communicatur, eique injungitur ut secretum observet, negotiumque cum Advocatis Sancti Officii solum conferat: & ità fiet processus jure & ordine debito observato. Si verò aliquis comparuit, admittitur ad memoriam defendendam: Nec refert, an is qui comparuit ad defendendum in hac causâ sit etiam de hæresi notatus, aut inquisitus, aut in carceribus detentus: quia cum fieri possit, ut & defunctus, & hic qui comparet inquisitus, liberari possint ab eâ judicii & accusationis instantiâ, ne cui præjudicium fiat, illi conceditur (cum suâ quoque intersit) ut ad reum defunctum excusandum admittatur, quod Madriliana Instructio præcitato loco constituit. Instructio porrò Abulensis a. 1498. *cap.* 4. sancit, ut processus contra defunctum brevi tempore conficiatur, nec in causâ

super-

superſedeant Inquiſitores ob defectum probationum; niſi forte ſit veriſimile intra breve tempus alia probationum genera ſuperventura: Cum verò plenâ probatione reus convictus non fuerit, protinus eſt abſolvendus: Rationemque hujus decreti addit præcitata Inſtructio: quoniam, niſi ità fieret, filii forte & filiæ ejus defuncti, cujus cauſa agitur, ſi diu in eâ ſuperſederetur, interim non invenirent cum quibus matrimonia contraherent, nec poſſent diſponere de bonis à defuncto relictis. Quod ſi fortaſſis poſt abſolutum defunctum alii contra eum teſtes ſuperveniant, tractari denuò cauſa poteſt: nam in hoc crimine favore fidei ſententiæ latæ non tranſeunt in rem judicatam. Priora verò teſtimonia vim ſuam integram conſervabunt, & cum his quæ ſupervenerunt conjungi poterunt ad faciendam plenam probationem.

Quando omnia hæc ritè obſervata ſunt, ſi defunctus deprehendatur eſſe abſolvendus, ſententia abſolutoria publicè pronuntiatur, quia quando contra eum cœptum eſt procedi publica edicta propoſita fuerunt; ut ergò quoquo modo fieri poteſt famæ reſtituatur, publicè nuntiandus eſt abſolutus. Si verò memoria ejus damnanda fuerit, pronuntiatur in hæreſi deceſſiſſe, memoria ejus damnatur, bona fiſco addicuntur, ejus oſſa extumulari jubentur, ſi ab aliis Catholicorum oſſibus ſeparari poſſint, & publicè comburi.

Bzovius a. 1199. § 39. Atque ita plurium hæreticorum oſſa & cadavera exhumata, & aut abjecta aut concremata leguntur. Petrus Joannis Diœceſis Biranenſis Joachimi Abbatis Florenſis errores ſecutus eſt & docuit, eâque de re aliquot libros in D. Joannis Apocalypſim & Matthæi Euangelium edidit. Hi poſteà ſummi Pontificis autoritate multorum in S. Theologiâ Doctorum acri diligentique examine diſcuſſi, in curiæ Romanæ ſolenni conventu damnati exuſtique ſunt. Petrus quoque ejuſdem Antiſtitis juſſu è loco ſacro exhumatus, & hæreticus omnium calculo ac ſententiâ declaratus, rogoque impoſitus, flammis devotus eſt. (Idem a. 1233. § 11.) In Italiâ in agro Brixienſi ante aliquot annos quidam vixerat tantâ vitæ integritate & aſperitate, ut viventem Joannis Baptiſtæ in locum ſucceſſiſſe affirmarent, & mortuum ſummâ veneratione proſequerentur. Fidei Inquiſitor, à teſtimonio fidelium doctus illum hæreſi imbutum, extra communionem credentium defunctum diem obiiſſe, conſulente Epiſcopo, cadaver ejus exhumari & igni tradi juſſit. (a. 1207. § 8.) Faventiæ in Æmiliâ, in templo S. Hippolyti Martyris, quendam hæreticorum Abbas ad ſepulturam receperat. Præcipiebat Innocentius Abbati & Monachis, ut cadaver illud exhumaret, ut interdictum in ſuâ Eccleſiâ propterea poſitum obſervaret. (a. 1209. § 11.) Magiſter Almericus de cœmeterio ejectus & in campo ſepultus eſt.

Et ne hic antiqua anxiè conquiramus exempla, illuſtre talis condemnationis exemplum habemus in Synodo Conſtantienſi, contra Johannem Wicleff, ſeſſione octava. *Quia autoritate ſententiæ, & decreti Romani Concilii, & mandato Sedis Apoſtolicæ, datis dilationibus debitis, proceſſum fuit ſuper condemnatione Joannis Wicleff & ſuæ memoriæ, edictis propoſitis, denuntiationibuſque, ad vocandum omnes, qui eundem, vel ejus memoriam defendere vellent, ſi qui penitus exiſterent, nullus comparuit, qui eundem vel ejus memoriam defenderet: examinatis inſuper teſtibus ſuper impœnitentiâ finali pertinaciâque dicti Wicleff, per commiſſarios deputatos, ſervatiſque ſervandis, prout in tali negotio poſtulat ordo juris, & ejus impœnitentiâ, & finali pertinaciâ per evidentia ſigna teſtibus legitimis comprobatâ, fuit legitimè facta fides: propterea inſtante Procuratore Fiſcali, edictoque propoſito ad audiendam ſententiam ad hanc diem, hæc ſancta Synodus declarat, & diffinit, eundem Johannem Wicleff notorium hæreticum fuiſſe, & pertinacem in hæreſi deceſſiſſe, anathematizando ipſum, pariter & ſuam memoriam condemnando; decernitque ejus corpus & oſſa, ſi ab aliis fidelium corporibus diſcerni poſſunt, exhumari, & procul ab Eccleſiæ ſepulturâ jactari, ſecundum canonicas & legitimas ſanctiones. Et judices interrogati, an ità placeret: Reſponderunt, quod placeret; Et approbaverunt omnia prædicta.*

Bzovius a. 1556. § 36. è Thuano. Simile in Angliâ editum eſt contra cadavera Buceri & Fagii: Cum enim poſt Mariæ inaugurationem Cardinalis Polus, Papæ in Angliâ Legatus, ad Academiam Cantabrigienſem ad omnia reſtituendum profectus eſſet, mox de exhu-

matione

matione Buceri & Fagii cadaverum actum. Citati mortui primo atque altero edicto, productique contra illos semel atque iterum testes. Cum nemo compareret qui eorum defensionem suscipere vellet, tandem tanquam contumaces damnati sunt, dieque dictâ coram Academiæ Ordinibus sententia pronuntiata fuit, & mortuorum cadavera effodi, ac Magistratui regio tradi jussa. Aliquot dierum spatium intercessit, dum Londinum missâ sententiâ à Magistratu regio mandatum veniret, quo pœna infligebatur. Tandem VIII. idus Febr. cadavera effodiuntur, & paratâ ad in foro areâ palus magni ponderis in terram defigitur, cui cadavera alligantur, comportatâ magnâ lignorum strue quibus exurerentur: tum tabulata eriguntur inclusis cadaveribus, & utrâque ex parte sudes defixæ, circumdatâ longâ catenâ ferreâ; injectique libri Protestantium undique conquisiti magno numero, qui flammâ diffundente se unà concremati sunt. Nec multò post Oxonii à Broco Glocestrensi Episcopo eâdem ratione cum Catharinâ, Petri Martyris Vermilii uxore, actum est, quæ ante quadriennium itidem defuncta in æde Christi juxta B. Frisuidæ, quæ illis locis in summâ veneratione erat, condita fuerat. Nam convicta, quod mariti hæresin amplexa esset, damnata est, ejusque cadaver effossum, bajuli humeris impositum, in sterquilinium dejectum.

Hodie etiam statua ejus in publicum producitur, cui majoribus characteribus descriptum affigitur nomen illius defuncti cujus memoria damnatur; & præterea coram illâ, ac si defunctus ipse vivens & præsens esset, recitantur omnes articuli erronei seu hæreticales, facta etiam seu opera hæreticalia, quæ legitimè probata fuerint contra defunctum, eo modo quo ab illo gesta sunt. Statua autem hæc curiæ sæculari traditur, quam judex sæcularis deinde comburit, prout combussisset defunctum, si vixisset & pertinax decessisset.

Celebre admodum sententiæ in mortuum hoc sæculo ab Inquisitione Romanâ pronuntiatæ exemplum habemus in Marco Antonio de Dominis, prout nobis illud narrat Bzovius ad annum CIↃCCCCLXXIX. § 12. & seqq. Hic anno CIↃ IↃCXVI. relictâ Romanâ Ecclesiâ & Archiepiscopatu Spalatensi in Angliam profectus est, librosque de profectionis suæ consilio, ac tandem etiam de Republicâ Ecclesiasticâ edidit. Libri hi Romæ tanquam hæretici fuerunt condemnati, & ipse ad se intra sex menses coram Congregatione universalis Inquisitionis sistendum & purgandum vocatus: Cum non compareret, servatis quæ in illo Officio servari solent, pronuntiatus est hæreticus, excommunicatus, quibuscunque dignitatibus, beneficiis atque officiis excutus, atque in omnes alias incidisse pœnas quæ à sacris canonibus præscribuntur.

Post annorum aliquot decursum, abjuratis privatim hæresibus, & edito scripto, quo reditus sui ex Angliâ consilium exponit, in gratiam à Papa Gregorio XV. est receptus, ac domo, commeatu, pecuniâ, aliisque ipsi ac familiæ pro Archiepiscopi statu in singulos annos necessariis, ac insuper opulentâ ecclesiasticâ pensione donatus est: quam Papæ liberalitatem plurimi invidis oculis aspexerunt. His accessit honorum redintegratio, ità ut in cultu ac dignitatis insignibus, in sessionibus, ac cæteris omnibus, perinde ac si gradu nunquam excidisset, tractatus deinceps fuerit. Hisce honoribus in arrogantiæ tumorem (ut ait Bzovius) sublatus, in incessu, in supercilio, in colloquiis, tantam animi elationem præferebat, veluti non ad misericordiam receptus, sed ad agendum triumphum vocatus esset.

Non multò post, à Religiosis quibusdam aliisque ad universalis Inquisitionis auditorium delatus est, quod abjuratos à se errores insusurrare non vereretur, commendaretque quandam à se inter Catholicos & hæreticos decantatam concordiam, & contra Conciliorum, præcipuè Tridentini autoritatem, illiusque circa fidem definitiones, verba evomeret; & aliquoties monitus neutiquam ab ejusmodi sermonibus abstineret. Quamobrem receptis circa denuntiata secundum juris sanctiones testibus, & præsertim quod moliri fugam, & repetendæ patriæ

prætextu vasa colligere diceretur, comprehensus fuit, ac traditus in custodiam, non illam quidem hæreticorum consuetam, sed, qualis primariorum hominum esse solet, intra molem Adriani; & nonnulli ex ejus domesticis ad consueta ei servitia præstanda admissi sunt.

In custodiam hoc modo Marco Antonio dato, ejusque scripturis de more sedulò perquisitis, unà in iis reperta est, de Matrimonii sacramento, in quâ complures hæreticæ propositiones continebantur. Tum à F. Desiderio Scaleâ ex Ord. Prædicatorum, Cardinale de Cremona nuncupato, uno ex Generalibus Inquisitoribus, quem ad inquisitionem prosequendam totamque causam cognoscendam Papa delegaverat, alii idonei omnique exceptione superiores testes sunt recepti; ac mox ipse Marcus Antonius coram eo constitutus pleraque quæ manifestè abjuraverat confessus est. Adjecitque, credere se Ecclesiam Romanam ac Protestantes consentire in universis articulis fundamentalibus; reliquorum in quibus dissentiunt non eandem esse necessitatem; sed Protestantibus posse concedi, ut in sensu suo abundent, quousque saltem plenius examinarentur, cum dubitari posset, sintne satis à Concilio Tridentino discussi ac definiti: posse ergò illos novæ disceptationi inter Catholicos & Protestantes ad id potissimum ab utrâque parte delectos subjici: Quoniam credebat Concilia, & præcipuè Tridentinum, multa declarasse de fide, quæ ad fidem minimè pertinent, ut de Justificatione, de Gratiâ, quod sit qualitas inhærens, de efficientiâ Sacramentorum ex opere operato, & alia multa; articulos autem à se fundamentales vocatos dumtaxat necessarios esse ad salutem, non autem alios inter utrasque partes controversos; ac proinde qui illos abnegat, non propterea esse membrum ab Ecclesiâ recisum, sed vivum, eique in fide & charitate conjunctum: Unde concludebat, non obstante isto dissensu, inter Romanam Ecclesiam & Protestantes posse esse unionem & concordiam. Hæc omnia hac regulâ muniebat; Sacram Scripturam claram atque expressam esse adæquatam fidei regulam; eâque deficiente, Traditionem minimè dubiam; ac propterea nihil homini Christiano fide divinâ esse credendum, quod non expressum in sacra Scripturâ, absque ullâ obscuritate & Catholicarum explicationum varietate reperiatur, vel quod ab Apostolis Apostolicisque viris (omni sublatâ ambiguitate) Ecclesiæ traditum non fuerit: extra quam regulam, omnia esse in liberâ cujusque opinione posita.

Cum hæc & similia se dixisse ac tenere respondisset, censuit Cardinalium Generalium Inquisitorum congregatio, adhibendos esse in consilium Theologicarum propositionum censores, qui re coram Cardinali Cremonensi examinatâ, unanimi consensu propositiones hæreticas esse dixerunt. Cum præterea vehemens suspicio suboriretur ne simulatè abjurasset, interrogatus fuit, persistere ne vellet in dictis hæresibus? negavit, earumque se pœnitere dixit, paratumque esse, quatenus hæreses sibi à Sede Apostolicâ declarabantur, ad eas detestandas ac abjurandas. Quo in statu cum res esset, jamque & induciæ ad se defendendum datæ, ac simul exhibitus processus esset, dum patronum quem elegerat consulit, gravi morbo corripitur: quo itâ ingravescente, ut medici de vitâ desperarent, præsertim cum anni tempestas, & gravis sex & sexaginta annorum ætas accederet, coram Cardinali Cremonensi ac aliis Inquisitionis Officialibus, quas confessus fuerat hæreses, aliasque omnes, abjuravit, editisque pœnitentiæ signis, perceptisque sacramentis, ablegato etiam ad Papam aliquo, qui suis verbis ei gratias ageret, quod *pressurâ carceris occasionem sibi præbuisset seriò cogitandi de animæ salute, & lucem aspiciendi, quam anteà obcæcatus non viderat, ac proinde se ei debere, quod per Dei misericordiam cum bonâ spe decederet*, migravit è vitâ. Corpus ad quaslibet calumnias repellendas coram diversarum nationum excellentissimis medicis exenteratum est, qui omnes ipso atque intestinis diligenter inspectis illum naturali ægrotatione decessisse concordes asseverarunt.

Cadaver ejus depositum fuit usque ad exitum judicii, ac per edictum publicum citati fuerunt nominatim quatuor ex ejus consanguineis, qui tunc forte Ro-

mæ erant; cæterique omnes sua id quacunque ratione interesse putantes, ad defendendam prædicti Marci Antonii memoriam: & cum præfati quatuor propinqui se illam nolle defendere declarassent, aliorum verò nullus comparuisset, fuerunt ab ipso Inquisitionis tribunali electi idonei defensores, qui diligenter inspecto processu, nihil sibi suppetere retulerunt, quo dictam memoriam tueri jure possent, cum ex ipsius Marci Antonii confessionibus illum hæreticum relapsum clarissimè deprehendissent. Cæterum ut planè secundum leges ad sententiam veniretur, sæpius coram summo Pontifice & Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, adscitis in consilium Theologis jurisque peritis, negotium propositum ac subtilissimè examinatum fuit: ac tandem omnibus visum est, omnes in mortui memoriam, corpus, & bona, pœnas exequendas, quæ in vivum irrogandæ fuissent.

Prædicto capto consilio dies XXI. Decembris, anni CIↃ IↃCXXIV. sententiæ pronuntiandæ destinatus fuit. Eo illucescente tanta ad Beatæ Mariæ super Minervam (ibi enim edi solent hujusmodi religionis spectacula) multitudo se contulit, ut non solùm occludendæ, sed etiam viris armatis fores muniendæ fuerint; areâque ante Ecclesiam cunctisque viis oppletis vix ipsis Cardinalibus patuerit accessus. Alveus, seu media navis Ecclesiæ, à prima ad quartam columnam, septa erat undique firma coassatione, supra staturam procerioris hominis. A superiore ac inferiore parte erant januæ, quæ ab Helvetiis custodiebantur: à lateribus verò tabulata à summo ad imum ità protendebantur, ut Purpuratorum aliorumque Procerum subsellia, plurimosque aulicos, ac nobiles viros stantes & sedentes commodè caperent. A dextrâ in ingressu præsidebat sacer Senatus; à lævâ inferiores sanctæ Inquisitionis ministri, ac urbis Præfectus ejusque Officiales considebant. Ante suggestum conspiciebatur imago coloribus expressa Marci Antonii, induti nigrâ domesticâ veste, pileolumque clericalem in manu habentis, unà cum nominis, cognominis, ac olim per eum gestæ dignitatis Archiepiscopalis inscriptione, nec non capsa lignea pice delibuta, in quâ ejus cadaver inclusum erat. Reliquum verò templum civibus ac exteris omnis generis erat repletum; quorum numerus eo tempore major erat, quoniam instante jubileo omnes undique magna frequentiâ confluxerant, ut sacrarum portarum apertioni interessent.

His ità paratis clericus quidam in suggestum conscendit, & canorâ voce, quæ per omnes ampli templi partes diffundebatur, vulgari sermone, ut rudes quoque intelligerent, processus epitomen sententiamque perlegit, quâ Cardinales Inquisitores Generales, ad id à summo Pontifice speciatim deputati, pronuntiarunt Marcum Antonium, uti relapsum in hæresin, contraxisse omnes censuras & pœnas, à sacris Canonibus & Pontificiis constitutionibus hæreticis relapsis impositas, ipsumque omnibus honoribus, prærogativis ac dignitatibus ecclesiasticis spoliatum fuisse declararunt, ejus memoriam damnarunt, atque ex foro ecclesiastico ejecerunt: ejus cadaver & effigiem in potestatem Urbis præfecti tradiderunt, ad debitas pœnas in illâ, juxta Ecclesiæ regulam & praxin, exequendas. Ac denique impia ac hæretica ejus scripta publicè comburi jusserunt, ac bona fisco sanctæ Inquisitionis adjudicata esse declararunt. Qua lecta sententiâ Præfecti urbis & ministri cadaver, imaginem, & scripta prædicta, in plaustrum conjecta, in aciem quam vocant campi Floræ, numerosa prosequente turbâ, pertulerunt; ibique cadaver, ut erat adhuc cohærens membris & compaginatum, extractum è capsa usque ad extremum pectus, fuit frequentissimo populo ex alto circum circà ostensum; ac posteà unà cum effigie ac scripturarum fasce in rogum ad id paratum dejectum, & concrematum.

Hanc historiam prolixius, omnibusque suis circumstantiis vestitam, referre volui, non tantum ob viri celebritatem, & recentem rei gestæ memoriam; sed potissimum, quia in illâ omnia quæ in processu contra mortuos requirunt, exactè observata sunt, totusque ille iniquitatis ac crudelitatis apparatus plenissimè exhibitus.

CAPUT XXXIX.

De ratione procedendi contra domos.

UT crimen hæresis tantò majori detestationi sit populo ac plebi, solent etiam domus & habitacula, in quibus hæreticus aut hæresiarcha conventicula & congregationes celebravit, dirui & solo æquari. Cujus rei etiam plura in Libro sententiarum Inquisitionis Tholosanæ exstant exempla. Hanc domuum dirutionem in detestationem criminis hæreseos, jam olim sancivit Concilium Tholosanum a. 1229. cap. 5. *Illam autem domum, in quâ fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus ipse sive fundus confiscetur.* Et Concilium Biterrense cap. 35. *Domos etiam in quibus inventi sunt vel fuerunt hæretici vivi vel mortui, vestiti seu damnati, scientibus & consentientibus dominis domorum existentibus legitimæ ætatis, dirui faciatis, & bona omnium ibidem tunc habitantium confiscari; nisi suam innocentiam & justam ignorantiam probare potuerint manifestè.* Et non multò post tempore Innocentius IV. hoc ipsum sancivit scripto quodam, incipiente, *Ad exstirpanda* (cujus archetypum exstat in Inquisitione Bononiensi) in hæc verba: *Domus autem in quâ repertus fuerit aliquis hæreticus vel hæretica, sine ullâ spe reædificandi funditus destruatur, nisi dominus domus eos ibidem procuraverit reperiri: Et si dominus illius domus alias domus habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur.* Alexander IV. autem constitutione, quæ incipit, *Fælicis recordationis*, declarat *illud de appendiciis domus illius debere intelligi, ut scilicet domus illa cum aliis ejusdem domui ipsi contiguis, hoc est, ipsa, & ipsius etiam appendicia, cum eâdem sive in domo, sive in appendiciis ejus, hæreticus vel hæretica repertus fuerit, destruantur. Cum domus, quamvis diversis mansionibus distinguatur, una nihilominus sit censenda.*

Si dominus domus non damnatur de hæresi, sed hæretici in alienâ domo talia commiserunt, & dominus id ignoravit, domus ipsi manet illæsa; si verò scivit, vel scire debuit, confiscatur & confiscata manet arbitrio Inquisitoris. Materia illarum domorum fisco adjudicatur, aut alias piis usibus applicanda decernitur. Area domus destructæ claudi non debet, & semper esse inhabitabilis, ut sicut fuit receptaculum perfidorum, sic ex nunc sordium perpetuò locus fiat, & cedat in locum sterquilinii & fœtoris; fol. 2. b. Libri Sententiarum. Additur etiam comminatio excommunicationis contra omnes, qui reædificare, seu ea loca colere aut claudere præsumserint, vel ad hoc præstiterint scienter consilium vel favorem. Quandoque etiam area dirutæ domus sale conspergi solet ob sterilitatem, cum dirorum prolatione ac imprecatione verborum. Tandem ut perpetuum infamiæ ac justæ punitionis exstet monumentum, posteriore ævo in eâdem areâ solidus lapis, vel marmorea columella quatuor aut quinque pedibus alta erigitur, incisis in eâ majusculis quibusdam characteribus, continentibus nomen domini domus, destructionisque causam indicantibus, & tempus significantibus, sub quo Romano Pontifice, & quo Imperatore vel Rege regnante res acta est. Cujus rei superiore sæculo celebre monumentum erectum est in Hispaniâ in celebri oppido de Valladolid, ubi anno Domini 1559. Augustinus Cazzalla, tametsi conversus & pœnitens, velut dogmatista traditus fuit curiæ sæculari, & domus ejus diruta, in cujus nunc areâ columella apposita cernitur rem gestam indicans.

CAPUT XL.

Quomodo pronuntientur sententiæ, & damnati tradantur brachio sæculari.

PRæcipitur Inquisitoribus, ut sententias pronuntient adversus hæreticos, relinquentes damnatos præsentibus potestatibus sæcularibus animadversione debitâ puniendos. C. *Excommunicamus* 1. in princip. de hæret. C. *Ad abolendam.* § *Illos.* de hæret. & C. *Novimus.* de verb. signific. Quod præceptum licet in sententiæ pronuntiatione judicis sæcularis præsentiam requirat, valet tamen sententia condemnatoria contra hæreticos lata in absentiâ judicis sæcularis, dummodò interveniant alia substantialia. Non enim itâ jura postulant præsentiam judicis sæcularis, aut Baillivorum suorum, quasi absque illis nihil utile geratur; sed ut illi velut ministri sententiam latam debitæ executioni mandent: Nam omnis alius actus prætereà illis interdicitur in hoc crimine, quod est merè ecclesiasticum. cap. *Ut Inquisitionis.* § *Prohibemus.* de hæret. lib. 6. Et si præsentia judicis sæcularis necessaria foret in proferendâ sententiâ condemnatoriâ contra hæreticos impœnitentes & relapsos, facilè ob hanc causam posset impedire officium Inquisitionis, dum Magistratus sæcularis aut nullâ, aut fictâ interdum & quæsitâ causa præsentiam suam denegaret. Cum itaque Inquisitor & Episcopus in reum sententiam tulerint, ubi suam præsentiam aut noluerit, aut non potuerit præstare sæcularis Magistratus, ea quidem valida erit, & sufficiet per legitimam personam, publicâ (si opus fuerit) scripturâ interveniente (quod est tutius) intimare judici sæculari, talem hominem pertinacem hæreticum & impœnitentem, seu relapsum, esse judicatum: ipseque Magistratus sæcularis, quamvis præsens sententiæ non affuerit, fidem huic intimationi debet adhibere, & hæreticum sibi traditum ultimo supplicio afficere, nisi velit tanquam hæreticorum fautor, & sacri Officii impeditor, gravissimè coerceri: nec processus copia ipsi est tradenda. Direct. part. 3. comm. 48.

Similiter in eodem cap. *Novimus.* mandatur, ut Ecclesia pro eo, qui curiæ sæculari puniendus traditur, efficaciter intercedat, ut citra mortis periculum sententia circa eum moderetur. Et licet Fridericus Romanorum Imperator lege sua caverit; *Apud nos pro talibus nemo intervenire præsumat, quod qui fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immeritò convertemus:* nihilominus apud alienum forum pro eo intercedere possunt judices Ecclesiastici: & licet vetetur intercessio, quæ tendat ad favorem hæretici, vel ad impedimentum justitiæ; non tamen vetatur, quæ conducit ad vitandam irregularitatem, quæque ab ipso jure est nominatim præscripta. Verum difficultatem hanc planè sustulit solers Romanorum Pontificum industria, quâ cautum est non modò circa Inquisitores, sed etiam circa consultores, ut irregularitatem securius evitarent. Nam Papa Paulus IV. Romæ die 29. Aprilis anno 1557. considerans in congregationibus, quæ in causa hæresis coram ipso fiebant, intervenire solere pro majori parte clericos sæculares & regulares in sacris & Sacerdotio, ac in Episcopali, Archiepiscopali, vel alia majore dignitate forsan constitutos, ac nonnullos etiam Cardinales, & sæpe contingere juxta qualitatem casuum & delictorum, de quibus agebatur, eos contra reos sententiam dicere, ex qua membri mutilatio, seu sanguinis effusio, etiam usque ad mortem naturalem fuerit subsecuta; proinde eorumdem securitati & tranquillitati mentis & conscientiæ consulere volens, statuit ac decrevit, ut prædicti omnes, qui in judicando sibi assisterent, non solum in causis hæresis, sed etiam in quacunque causâ criminali, quæ coram ipso tractata fuerit, vel tractaretur, sententiam possent dicere contra reos, qui damnarentur ad quæstiones seu torturam, aut alias pœnas condignas, etiam usque ad

Pegna comm. 20. in part. 2. Direct.

ad mutilationem membri, & ad mortem naturalem inclusivè, absque alicujus censuræ vel irregularitatis incursu. Idem decretum confirmavit posteà Pius V. extendique voluit ad omnes Inquisitores, eorumque Vicarios, Commissarios, & Consultores; ut testatur Umbertus Locatus in opere judiciali Inquisitorum circa finem, titulo de decretis. Itaque hodiè stantibus his decretis, non videtur necessaria hæc protestatio, cum rei hæreseos actualiter traduntur seu relinquuntur curiæ sæculari, ad hoc ut Inquisitores evitent irregularitatem. Cæterum omitti eam nolunt, quoniam & communi jure, & generali fori Ecclesiastici consuetudine nititur, nec rejicienda sunt plura remedia quæ ad eundem finem securius consequendum parari possunt.

qu. 36. comm. 85. Non autem possunt judices sæculares, postquam ipsis traditi vel relicti sunt rei hæreseos relapsi, vel impœnitentes, ultimo supplicio feriendi, iterum examinare processum & causam, & corrigere vel mutare, si opus fuerit, aut etiam nullam dicere sententiam.

Refert tamen Simancas de Cathol. Instit. tit. XXXVI. § 8. exempla ex aliis autoribus, quorundam qui ab Inquisitoribus injustè hæreseos essent damnati; quæ sententiæ tamen à judicibus sæcularibus non fuere executioni mandatæ: Alciatum „adducit asserentem, judicem laicum non teneri statim damnare reum ab Inqui„sitoribus sibi derelictum, quando verè non fuisset crimine hæresis maculatus, „tametsi judex ecclesiasticus id pronuntiasset: & ità, inquit, dictum fuit, quod „judex laicus non tenebatur exequi sententiam Inquisitoris, quâ pronuntiaverat „mulierem quandam hæreticam, quæ reverâ solummodò fecerat pocula amato„ria, & insuper contra eam erant indicia quarundam maleficarum. Joannes Igne„us quoque memorat id ipsum bis contigisse Mediolani, ubi duæ mulieres ab „Episcopo Parmensi & Inquisitore de hæresi condemnatæ impunes evaserunt, „compertumque exstitit, rectè eas de fide semper sensisse. Addit etiam, quod „Rothomagi muliercula quædam, veluti hæresis rea flammis destinata, absolu„ta fuit à sæcularibus judicibus, & qui eam damnaverant fuere in expensis condemnati. Verum Simancas hæc, & id genus alia credit vel esse conficta in odium sanctæ Inquisitionis, vel certè à pravis & imperitis judicibus temerè & iniquè esse facta: sentitque judicem sæcularem in causâ hæresis sententiam judicis
§ 4. 5. ecclesiastici statim oculis, quod ajunt, clausis exequi teneri, nullâ de justitiâ ipsius cognitione vel fide factâ. Idque ità observatur in Hispaniâ & Lusitaniâ exactissimè. In relationibus aulæ Hispanicæ, à nobili fœminâ Gallâ quæ Reginam è Gallia comitata est, nuper editis, exstat exemplum puellæ Judaicæ, vix decimum septimum annum ingressæ, & formæ venustate eximiæ, quæ in publicâ actione Fidei Madriti anno CIↃ IↃCLXXX. die XXX. Junii, cum aliis viginti suæ gentis, utriusque sexus, ad rogum damnata, se ad reginam convertit, ut ejus benignitate ac clementiâ à dirissimo ignis supplicio liberetur, his verbis: *Magna Regina, an tua præsentia nullum miseriæ meæ levamen afferre potest? Considera iuventutem meam, & quod hic agatur de religione, quam cum lacte materno imbibi.* Regina oculos aliò detorsit, seque miseræ illi compati testata est; non tamen uno verbo pro ea intercedere est ausa.
part. 2. pag. 54.

Nec Inquisitor judici laico processum à se factum ostendere debet; sed Magistratus sæcularis indilatè & sine morâ sententiam judicis Ecclesiastici debet executioni mandare: quod si id facere omittat, aut executionem præter morem solitum sine legitimâ causâ differat, compelli potest ad exequendum ab Inquisitore per censuram Ecclesiasticam. Hancque potestatem Inquisitoribus plenissimè tribuit Alexander IV. rescripto, quod incipit, *Ad audientiam.*

Verum hac in re consuetudo provinciarum diversa est. Solent in Hispaniâ, quamprimum lecta est sententia relapsorum, aut impœnitentium, aut quorumcumque qui traduntur curiæ sæculari, judices sæculares eosdem statim in suum forum recipere, & ad supplicii locum, pronuntiatâ mortis, seu combustionis, sententiâ, rectâ deferre. In Italiâ in multis urbibus judices sæculares reos sibi

per

per Inquisitores relictos, aut traditos, per tres vel quatuor dies antequam ultimo supplicio afficiant in suis carceribus detinent: inde certo die, non festivo, publicè educunt & comburunt; quod videtur fieri autoritate Innocentii IV. in Bullâ incipiente, *Ad exstirpanda.* ubi ita legitur. *Damnatos verò de hæresi per Diœcesanum vel ejus Vicarium, seu per Inquisitores prædictos, Potestas, vel Rector, vel ejus nuntius specialis, eos sibi relictos recipiat, statim vel infra quinque dies ad minus, circa eos constitutiones contra tales editas servaturus.* Eoque compelli possunt pœnâ excommunicationis, aliisque censuris Ecclesiasticis, per rescriptum Innocentii VIII. incipiens, *Dilectus Filius*; cujus hæc sunt verba. *Eisdem officialibus sæcularibus sub excommunicationis pœnâ & aliis censuris Ecclesiasticis præcipiatis atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitimè fuerint requisiti, sine aliquâ dictorum processuum, per vos agitatorum, visione, sententias per vos latas contra hujusmodi hæreticos promptè exequantur appellatione remotâ.* Si Inquisitor videat judicem sæcularem adeò esse negligentem, ut etiam post elapsos hos quinque vel sex dies absque legitimo impedimento, non curet hæreticos sibi traditos ultimo supplicio afficere, putant quidam, posse tunc Inquisitorem judici sæculari præcipere, ut combustionis vel mortis pœnam exerceat in hæreticos sibi assignatos, cum ea pœna solita sit in tales exerceri; neque propterea incideret in irregularitatem. Aliis autem tutum non videtur, ut Inquisitor in hoc casu pœnam combustionis aut mortis nominatim exprimat, præcipiendo judici sæculari ut eam imponeret; quià fortassis in irregularitatem incideret, ob quam evitandam cum consignat hæreticos judici sæculari facit solitam protestationem: Tutius ergò credunt, ut in genere præcipiat judici sæculari, sub pœnâ excommunicationis, aut aliis censuris, ut sententias à se latas executioni mandet. Hic modus dicendi continetur in rescripto Alexandri IV. incipiente, *Ad audientiam.* & Leonis X. incipiente, *Honestis petentium votis.* Vel, ut servet constitutiones & leges contra hæreticos editas; qui modus non obscurè præcipitur ab Innocentio IV. in Extrav. *Ad extirpanda.* § *Damnati verò.* quos modos sufficere ajunt, ad evitandam irregularitatem.

Quâ ratione in ducatu Mediolanensi procedi soleat in executione sententiæ contra hæreticos, docet nos Carena, his verbis.

„Ut autem videamus, quomodo procedat Senatus noster Mediolani in exe- p. 2. t.
„quutione sententiarum prolatarum contra hæreticos ab Inquisitoribus, & quan- 2. § 6.
„tus sit dicti Tribunalis zelus in concernentibus Catholicam religionem, sub- n. 44.
„jicio sequens rescriptum ejusdem Senatus in hac materiâ: *Dilecte noster: Vidimus quæ ad nos scripsistis de Don Baptista Gaudentio, alias Fr. Seraphino Ferrariensi, ut ad nos scripsistis, hæreticæ pravitatis reo. Quamobrem ubi vobis tradatur, illius condemnationem statim exequutioni mittetis. Mediolani*, VI. *Augusti* CIↃ IↃLXXIII. „A tergo. *Sapienti J. C. Judici Maleficiorum Cremonæ.* Pro cujus decreti executione dictus reus die XII. ejusdem mensis fuit vivus combustus in loco publico „Justitiæ, uti hæreticus relapsus & impœnitens.

CAPUT XLI.

De Actione Fidei.

Restat tandem ultimus Inquisitionis actus, in quo omnium quæ hactenus explicuimus & narravimus complementum spectari potest: quem communiter Actionem Fidei appellant. Solemnitatem illam, quia magnâ pompâ celebrari solet, operæ pretium est, accuratius describere.

Quando Inquisitori constitutum est aliquot reorum sententias pronuntiare, designat diem quendam Dominicum seu festum huic solemnitati peragendæ. Observant autem ut non sit dominica de adventu, vel Quadragesima, vel dies valde solemnis, ut dies Nativitatis Domini, vel Festum Paschatis, aut similes; quia

illis diebus honestum non est sermones suspendi, sed unusquisque adire debet Ecclesiam suam parochialem. Designato ergò certo die Dominico vel festo, jussu Episcopi & Inquisitoris, Curati omnium Ecclesiarum illius civitatis vel loci, in quo solemnitas hæc peragetur, peractâ concione publicè clero ac populo insinuant, Inquisitorem in tali Ecclesiâ habiturum de fide sermonem generalem: Omnibusque eò confluentibus ad videndum & audiendum quæ ibi sint peragenda, promittunt nomine Papæ indulgentiam consuetam, videl. quadraginta dierum: indicant etiam, illo die nullum alium in ea civitate fore sermonem. Idem nuntiari curant in domibus Religiosorum, qui communiter verbum Dei prædicant: & eorum Superioribus dici, quod quoniam Inquisitor in tali Ecclesia sermonem generalem de fide faciet omnes alios sermones suspendit, ut itaque quilibet Superior quatuor fratres, vel duos, prout videbitur, mittat, qui sermoni & sententiis ferendis intersint. Solemnitas illa olim *Sermo Generalis de fide* appellata est: Hodie *Actio de fide* appellari solet. In illa plures, aliquando centum aut ducenti, in publicum spectaculum, ad varia pœnitentiarum & suppliciorum genera, horrendis vestimentis induti, producuntur. Solent autem dies festos ad hanc solemnitatem eligere, quia tum major adest populi confluentis multitudo, quæ solemniter congregatur, ut videat reorum cruciatus & pœnas, indeque discat timere, & à malo committendo arceatur.
Param. lib. 3. quæst. 4. num. 36. De quo ritu præscripsit Instructio Madriliana a. 1561. cap. 77. *Ubi reorum processus conclusi fuerint, & ordinatæ sententiæ, Inquisitores diem feriatum, in quo fiat publica fidei Actio, assignabunt: quem diem significabunt Capitulis Ecclesiæ & Consistorio civitatis; & ubi fuerit Regius Senatus, intimabitur etiam Præsidi & Auditoribus, qui omnes invitabuntur, ut fidei Actionem comitentur, juxta consuetudinem cujusque loci. Curent autem Inquisitores, ut hæc tam commodo tempore fiant, ut executio sententiarum eorum qui tradendi sunt curiæ sæculari possit fieri de dië, ob evitanda inconvenientia.* Et sanè prout hodie in Hispania & Lusitania celebratur, in solemnitate hac exhibetur horrendum & tremendum spectaculum, quo omnia quæ terrorem incutere possunt sollicitè exhibentur; Quod ita à se fieri ajunt, ut sic futuri judicii imaginem quandam repræsentent.

Si aliquis, sive hæreticus impœnitens, sive relapsus, tradendus sit curiæ sæculari, Episcopus & Inquisitor indicant Ballito loci, vel Potestati curiæ sæcularis, ut tali dië & horâ sit cum suâ familiâ in tali platea seu loco, ad recipiendum de foro suo quendam hæreticum, aut relapsum, quem ei tradent; & ut eadem dië, seu pridie, manè voce præconis per civitatem omnibus in locis & vicis, in quibus ejusmodi publicationes fieri solent, denuntiet, quod illo dië tali hora & in tali loco Inquisitor sermonem faciet pro fide, & quod Episcopus & Inquisitor quendam hæreticum, aut relapsum condemnabunt, tradendo eum curiæ sæculari.

Param. l. 2. tit. 3. c. 10. n. 70. &c. In plerisque tribunalibus Inquisitionis, maximè apud Hispanos, celebris illa consuetudo invaluit, ut pridie Actionum Fidei in caminum incendii rubus solenniter deferatur, cujus flammis, qui incendii supplicio digni sunt, exurantur. Quæ mysteriis suis non caret. Rubus enim ardens & non consumens Ecclesiæ indeficientem splendorem significat, quæ ardet & non consumitur: deinde, misericordiam erga pœnitentes, & severitatem erga protervos & pertinaces; porrò, quod Inquisitores vineam Ecclesiæ tueantur, omnesque qui hæreses in messem agri dominici inferre conantur, rubi spinis vulnerent, & flammis exurant: ac tandem, hæreticorum pertinaciam ac proterviam, quæ potiùs, tanquam aspera ac rigida rubus, frangatur & flectatur: & sicut rubi sentes ac spinæ prætereuntium vestes lacerant, ita etiam hæretici inconsutilem Christi tunicam scindant.

Ibid. cap. 11. n. 63. &c. Prætereâ pridie ejus diei, quo rei è carcere ad publicum actum fidei adducuntur, comam ac barbam deponunt, depositione hac comæ & barbæ Inquisitores designant, hæreticos in eam formam quâ nati sunt rediisse, nimirum in filios iræ.


Ita



Vestitus pœnitentis.
qui vocatur Sambenito.



Vestitus relapsi vel impœnitentis comburendi qui vocatur Samarra.



Vestitus post latam sententiam Pœnitentis qui vocatur **Fuego revolto.**

Ita omnibus ad celebrationem Actionis Fidei præparatis, tandem die illo, qui illius celebrationi destinatus est, captivi omnes ornatu, quo in publicum spectaculum sunt prodituri, induuntur. Verum hic in omnibus Inquisitionibus non per omnia eadem consuetudo observatur. In Inquisitione Goanâ custodes carceris circa mediam noctem captivorum cameras intrant, singulis captivis lampadem adferunt ardentem, & vestem nigram albis lineis distinctam; addita sunt femoralia, quæ ad talos usque protenduntur, quæ ipsos unà cum veste induere jubent: habitus niger cedit illis in signum mœroris & pœnitentiæ. Circa horam secundam custodes redeunt, & captivos in longam porticum deducunt, ubi omnes certo ordine collocantur juxta parietem: nulli interim fas est verbum proloqui, aut mutire, aut se movere: stant itaque immoti statuarum instar, nec ullius membri in illis conspicitur motus, nisi oculorum. Hi omnes sunt culpam confessi, ac per pœnitentiam se ad Ecclesiæ Romanæ gremium redire velle testati. Singulis his datur ornatus, quo supra vestem nigram superinduantur. Hæreticis pœnitentibus, aut de vehementi suspectis, datur Saccus benedictus, vulgo Sambenito, quam diximus esse vestem crocei coloris, & quæ in pectore & tergo crucem Sancti Andreæ coloris rubei ostentat. Mitrâ infami ornantur personæ viles & abjectæ pro atrocioribus blasphemiis; eaque ignominiosam habet significationem, quod quasi decoctores facultatum cælestium sint: prætereà polygami, qui per eam duplicis ecclesiæ jugales arguuntur: tandem & magiæ convicti: quam verò in illis significationem habeat, nusquam reperi. Reliquis, quorum delicta leviora sunt, præter nigram vestem, alia non datur. Singulis datur cereus exstinctus, & funis illorum collo innectitur qui & ipse perinde atque cereus exstinctus suâ significatione, quam mox daturi sumus, non caret. Fœminæ in aliâ porticu, separatæ à viris, similiter habitu nigro indutæ asservantur, donec in spectaculum publicum prodeant.

Hist. Inquis. Goanæ c. 26.

Param. l. 2. t. 3. c. 11. n. 70, 71.

Quibus verò supplicium ignis est destinatum, quales sunt, confessi hæresin & impœnitentes, vel Negativi, hoc est, sufficiente testium numero convicti, & negantes crimen, ac tandem relapsi, omnes in cameram à reliquis separatam deducuntur: Eorum ornatus à reliquorum ornatu diversus est. Induuntur etiam illi sacco, seu veste scapulari, quam aliqui Sambenito, alii Samarram vel Samarettam appellant: quia eâdem est formâ quâ saccus benedictus, sed notis diversis, colore atro, flammis appictis, interdum etiam in medio flammarum hæretico condemnato ad vivum depicto; nonnunquam dæmones appinguntur, hæreticum detrudentes ad inferos. Alia etiam apponi possunt. Idque fit, ut homines hoc horrendo spectaculo ab hæresi deterreantur.

lib. 1. tit. 2. c. 5. n. 8.

Qui verò post latam demum sententiam fatentur crimen & se convertunt, antequam è carcere exeant, & non sunt relapsi, induuntur Samarrâ, in quâ ignis est depictus flammas deorsum mittens, quod Lusitani vocant *fogo revolto*, quasi dicas, ignem inversum. Tandem adduntur chartaceæ mitræ in formam coni effictæ, in quibus similiter dæmones & flammæ sunt depictæ, quam linguâ vulgari Hispani ac Lusitani *Carocha* vocant. Singulis ita pro delicti sui qualitate ornatis conceditur humi sedere, ut nova mandata exspectent. Rogo imponendi, uti dixi, in vicinum conclave deducuntur, iisque semper Confessarii adsunt, qui ipsos ad mortem præparent, & ad Ecclesiæ Romanæ fidem convertant.

Hist. Inquis. Goanæ cap. 26.


Ità solent hodiè in Hispaniâ omnes captivi ornari antequam solemni processione in publicum spectaculum producantur. An idem olim obtinuerit, non ità facilè dixerim. Videtur potius ex Eymerici Directorio Inquisitorum liquere, reos in ipsa Actione fidei, post habitum sermonem de fide, & pronuntiatam sententiam, demum infami veste, ad cujus gestationem condemnati sunt, indui. Parte enim tertiâ, *num.* 189. ubi disserit de abjuratione faciendâ per deprehensum in hæresi aut confessum, ita monet: *Ordinabit etiam* (Inquisitor) *de veste fiendâ ad modum scapularis monachi*, &c. Et *num.* 194. in sententiâ hæc adhibet

verba: *Imprimis quod mox induaris veste lividâ, factâ ad modum supersigni militum seu scapularis absque capucio monachorum*, &c. Et *num.* 195. *Quibus dictis sententia executioni debitæ demandetur, & statim vestis prædicta sibi induatur*, &c. Ex quibus satis manifestè liquere videtur, reos non ex carcere ad sermonem de fide prodiisse veste illâ infami indutos; sed post habitum sermonem de fide, & pronuntiatam sententiam ex Ecclesiâ cum veste illâ esse dimissos. Hæc autem obiter.

Hist. Inquis. Goanæ cap. 26. Circa horam quartam ministri omnibus panem & ficus distribuunt, ut durante Actione Fidei famem aliquatenus sedare queant. Circa ortum solis ecclesiæ Cathedralis major campana sonat, quâ tanquam consueto Actionis Fidei signo omnes excitantur ut ad miserandum spectaculum confluant. Conveniunt etiam in domum Inquisitionis honoratiores & primarii è civitate viri, qui sint tanquam fidejussores reorum, & quorum singuli in processione cujusque rei latus cingunt, qui non parum honoris eo sibi exhiberi credunt. Hisce ita præparatis Inquisitor sese prope portam domus Inquisitionis collocat, comitatus Notario Sancti Officii: Hic omnium reorum nomina ex ordine legit, incipiens ab iis, qui minus deliquerunt, donec tandem ad gravissimè delinquentes perveniat. Rei singuli ordine exeunt nudis pedibus, eâque veste quâ in carcere induti sunt ornati. Exeunte aliquo reo, Notarius nomen fidejussoris legit, qui in processione illi latus claudit. Processionem præcedunt Monachi Dominicani, quibus hic honor conceditur, quoniam Ordinis ipsorum autor Dominicus etiam Inquisitionis inventor fuit. Vexillum Sancti Officii præfertur, in quo imago Dominici opere phrygio affabre est efficta, manu unâ tenens gladium, alterâ ramum olivæ, additis verbis, *Justitia & Misericordia*. Tum sequuntur rei cum suis fidejussoribus. Quando omnes, quorum culpæ leviores sunt quam ut morte puniantur, in processionem exierunt, sequitur imago Christi crucifixi; & post eam sequuntur qui ad mortis supplicium educuntur: imago itaque Christi crucifixi inter hosce media, faciem obvertit præcedentibus, ad denotandum misericordiam Sancti Officii erga eos qui à morte quam meriti erant præservantur; & tergum sequentibus, ad denotandum, nullam ipsis gratiam ac misericordiam exspectandam. Omnia enim in hoc officio mystica sunt. Tandem & circumferuntur statuæ in hæresi defunctorum, indutæ Samarrâ, nec non ossa è sepulchris eruta, & cistæ nigræ, in quâ dæmones & flammæ undique sunt depictæ, inclusa, ut in cineres redigantur.

Cum ita per plateas urbis præcipuas ab omnibus spectandi circumducti sunt, tandem templum in quo sermo de fide est habendus intrant: illud Goæ ordinariè solet esse templum Dominicanorum, quandoque etiam Franciscanorum. Magnum altare panno est superinductum, superque eo lychnuchi argentei sex cum cereis ardentibus apparent. Ad utrumque illius latus aliquid throni instar habens erectum est; & quod à dexterâ, Inquisitori ejusque Consiliariis; quod verò à sinistrâ Proregi ejusque ministris sedis vicem præstat. E regione magni altaris aliud minus est, cui aliquot Missalia sunt imposita, & inde usque ad templi portam longa porticus trium pedum latitudine, sellis undique vestita, quæ recipiant reos cum suis fidejussoribus eo ordine quo Ecclesiam ingrediuntur, ita ut, qui primi ingrediuntur, & minus deliquerunt, aræ proximi sint.

Mox intrat Inquisitor suis stipatus collegis, & thronum dextrum occupat, Prorex autem cum suis thronum sinistrum; imago Christi crucifixi aræ imponitur in medio sex candelabrorum. Tum sermo de fide & Officio Inquisitionis habetur. Solet ordinariè id honoris deferri Dominicanis. Autor historiæ Inquisitionis Goanæ refert in illâ Actione Fidei, in quâ ipse cum veste Sambenito fuit productus, Provincialem Augustinorum sermonem habuisse per dimidium horæ spatium, & de Inquisitione disseruisse, quam comparavit arcæ Noachi; eam tamen arcæ Noachi præferendam docuit in eo, quod animalia quæ arcam intrarunt post diluvium inde exierint non exutâ naturâ ferinâ: Inquisitionem verò eatenus mutare homines qui eâ fuere detenti, ut qui eam ingressi




Vexillum Inquisitionis Hispanæ.



Vexillum Inquisitionis Goanæ.



Actus fidei prout G



...rout Goæ celebratur.

gressi sunt crudeles ut lupi & feri ut leones, inde exeant mites tanquam oves.

Finito sermone duo lectores eandem cathedram alternis conscendunt; publiceque altâ voce prælegunt sententias in singulos, & cui pœnæ sustinendæ condemnati sint. Ille cujus sententia prælegitur à lictore in medium illius porticus constituitur cereum exstinctum manu gestans, ibique consistit, donec integra sententia lecta est; & quoniam omnes rei in majorem excommunicationem incidisse supponuntur, is cujus sententia prælecta est ad pedes altaris adducitur, ubi flexis genibus, manibusque Missali impositis exspectat, donec tot eò adducti sint, qui exæquent numerum Missalium aræ impositorum. Tum Lector aliquandiu lectionem sententiarum suspendit, & postquam ad aram procumbentes monuit, ut fidei confessionem, quam ipsis prælecturus est corde & ore unà secum recitent, eam altâ voce prælegit: quâ finitâ, omnes priorem suum locum repetunt; lectorque aliorum porrò sententias legit; idemque ordo observatur, donec omnium sententiæ prælectæ sint.

Lectis omnium, qui à mortis supplicio per Officii misericordiam liberantur, sententiis, Inquisitor è throno suo surgit, vestes sacras induit, & viginti circiter Sacerdotibus cinctus descendit in medium templi, ibique peractis solennibus precibus (quæ legi possunt in libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ fol. 149. verso.) omnes solvit excommunicatione quâ ligati erant, singulis per Sacerdotes hosce colaphum impingens.

Inquisitores porrò in actione fidei, cum pœnitentes absolvunt & reconciliant, virgis utuntur, ut moneantur se per hæresin à Dei gratiâ decidisse in ejus iram & furorem. Hinc & pœnitentes perpendere vult Paramus, quam indulgentissimè secum agatur, dum scapulis virgas excipiunt, ut exinde abeant, & furoris divini memores in posterum caveant ne relabantur. Virga etiam designat judiciariam potestatem quam Inquisitores ipsi in impios hæreticos ac suspectos de hæresi exercent: Quia virga mensura est qua mensurantur alicujus merita, ob idque juxta quantitatem delicti virgis cæduntur pœnitentes, & eorum culpæ appenduntur & mensurantur. Insuper virgis utuntur Inquisitores: quia sicut virga in principio ex sui naturâ est flexibilis, tenera & mollis, in fine verò sit dura, crassa, atque difficilis; sic Inquisitores, dum pœnitentes, fragilitatis vel ignorantiæ labe delinquentes, sibi reconciliant, sunt molles & misericordes: si tamen posteà hæretici malitiâ superati in peccata commissa iterum lapsi fuerint, illos percutiunt, & feriunt rigidè, usque ad ignis combustionem. Utuntur denique virgis, ut debiles in fide stabiliant & sustentent: quia virgæ aptissimum instrumentum sunt, quo sustentantur & confirmantur claudi & debiles.

Param. lib. 2. tit. 3. cap. 11.

Candelas exstinctas manibus gestant pœnitentes, dum eos Inquisitores reconciliant, ut insinuent, lumen fidei in eorum mentibus per hæresis & infidelitatis peccatum omninò exstinctum esse: Quod verò cereæ sint, eo hæretici profitentur per fervorem concupiscentiæ corda ita liquata sua, ut varias sectas susceperint: & sicut cera humidis induratur, siccis verò & calidis liquefit; ità se, qui humidis deliciis carnalibus indurati in infidelitate permanserunt, dum convertuntur siccitate & calore tribulationis & pœnitentiæ injunctæ tanquam ceram liquefieri: ac tandem, se negasse fidem, spem, & charitatem; quæ filo stupeo & cerâ quibus constat cereus, & igne quo post absolutionem accenditur, adumbrantur. Quando verò post reconciliationem candelæ accenduntur, significatur, quod fidem quam recuperant, profitentur se bonorum operum luce demonstraturos.

Ibid. n. 25. &c.

Reconciliati porrò aquâ benedictâ & hyssopo asperguntur, in signum, quod de potestate tenebrarum educti, & oculos mentis ad verum lumen fidei convertentes, ab omnibus insidiis & calumniis diaboli immunes maneant, ut Deo liberius servire possint.

cap. 11. n. 61.

Porrò funis innectitur collo illius, qui contra fidem Catholicam, quam erat professus, deliquit; ut ostendatur, ejusmodi hominis interiora dæmonis arte

cap. 11. n. 73. &c.

obsessa peccatis illis fuisse dedita, quorum exteriora funibus circumplexa signum & indicium propalam gestant. Et reconciliati post ejurationem hæresis fune gutture circumplicato passim incedunt, ut sibi ipsi testes prodeant, aliisque exemplum sint, ut oculos ad internas animi maculas convertant.

Durante hac actione unusquisque captivorum in templo panem edit & ficus, sibi à ministris Inquisitionis in carcere oblatas.


Peractâ hac ceremoniâ Inquisitor locum suum repetit, leguntur que sententiæ eorum, qui morti destinati sunt, quarum conclusio est, quod Inquisitio nullam ipsis possit facere gratiam ob ipsorum relapsum, aut impœnitentiam, ac proinde eos tradit brachio curiæ sæcularis, quam obnixè orat ut citra sanguinis effusionem & mortis periculum pœnam moderetur. Hisce postremis verbis lectis, Sancti Officii satelles ipsorum pectori ictum infligit, quo significat, ipsos ab Inquisitione derelictos, & sæcularis justitiæ minister accedens eos sibi vindicat. Si qui in sacris Ordinibus sunt constituti, illi, antequam brachio sæculari tradantur, degradari solent, omnibusque Ordinibus privari. Mox leguntur sententiæ contra defunctos. Tandem miseri hi ad judicem sæcularem deducuntur, audituri sententiam mortis: quò ubi advenerint, rogantur singuli, quâ in religione mori cupiant: crimen eorum neutiquam inquiritur; quoniam enim ab Inquisitione sunt condemnati, sæcularis Magistratus officium non est, inquirere an nocentes sint; sed crimen eorum præsupponere, & punire pœnâ per leges constitutâ in ejusmodi crimina committentes, quorum per Inquisitionem rei pronuntiati sunt. Ubi uni huic quæstioni responderunt, mox palo strui lignorum imposito alligantur: qui se Catholicos velle mori respondent, iis primò fauces laqueo præcluduntur; qui verò in Judaismo aut hæresi, vivi comburuntur. Dum hi ad supplicium educuntur, reliqui à suis fidejussoribus reducuntur sine ullo ordine in carcerem Inquisitionis. Hæc est celebratio Actionis Fidei in Lusitaniâ, aut potius Indiâ Lusitanicâ, prout eam nuper descripsit homo Gallus in historiâ Inquisitionis Goanæ, qui in Actione illâ Fidei indutus veste infami Sambenito processit, omniaque accuratè observavit & descripsit.


Alia paulum est ratio celebrandi Actionem fidei in Hispaniâ. Cum enim Goæ vexillum Inquisitionis Dominici imaginem exhibens præferri soleat; in Hispaniâ, teste Paramo, crux præfertur, quæ sit Inquisitionis vexillum; qui porrò varia mysteria ex significatione crucis satis prolixè deducit, quæ in compendium redacta hic exhibere operæ pretium est.

Param. lib. 2. tit. 3. cap. 10. Crux omnium Inquisitionis actuum auspicium & finis est: eâque designatur, Inquisitionis tribunal esse repræsentationem supremi & finalis tribunalis, in quo Christum Dominum ad judicium hominum venientem magnâ cum majestate & gloriâ signum crucis antecedet. Deinde, bellum Inquisitionis contra hæreticos gerentis, & victoriam orthodoxæ fidei contra ejus hostes reportantis: Quoniam Inquisitores hæreticæ pravitatis propugnatores & duces ad tutandam religionem constituti sunt, qui Inquisitionis arce excubias faciunt pro Christianâ fide, eam labentem instaurant, collapsam restituunt, restitutamque in suo virore & vigore conservant.

Cruce autem viridi utitur Inquisitio, tum ut per eam ab aliis Reipublicæ Christianæ institutis, quæ crucibus aliorum colorum utuntur, commodius distingueretur: tum potissimum, ut adumbretur omnia quæ virore significari solent, etiam in Inquisitione locum habere: Viror nempe stabilitatem & æternitatem significat; est color oculis gratus, suavis, & attractivus; ac tandem victoriæ ac triumphi est signum: Eo itaque adumbratur, *Inquisitores hæreticæ pravitatis Ecclesiæ stabilitatem vigilanter custodire*; & *hæretici viridi cruce attrahuntur, ut tribunalis hujus judicium non fugiant, & illius aspectu ad benignum matris Ecclesiæ gremium adducantur, atque ad pœnitentiam & fidei sinceritatem trahantur.*

Vexillum autem Inquisitionis crucem habet viridem in campo nigro, quæ à dextris virentis olivæ ramo decoratur, à sinistris verò districto gladio coruscat:






Eductio captivorum ad Actu



... ad Actum fidei.



ſcutum verò conveniens verſus cingit, *Exurge Domine & judica cauſam tuam. Pſal.* 73. Viridis olivæ ramo eadem quæ cruce viridi adumbrantur: Ramus autem olivæ cruci eſt à dextris, gladius à ſiniſtris, ut oſtendatur, primò, miſericordiam in Inquiſitione mixtam eſſe juſtitiâ: illiuſque mixturæ ſignificationem quærunt in tabernaculi arcâ, in quâ cum tabulis virga ſimul & manna eſt, virga diſtrictionis & manna dulcedinis. (Quaſi virga Aaronis quæ fronduerat ſit virga quâ judices ſceleratorum latera cædi jubent.) Ramus autem olivæ à dextris eſt, ut ſignificetur, nihil debere eſſe Inquiſitoribus prius antiquiuſve miſericordiâ & clementiâ; quam oliva mirificè adumbrat, quæ ramos habet perpetuò virentes, & qui tempeſtates præ cæteris arboribus diutiſſimè ferant, & aquis immerſi nec tam citò corrumpantur, neque virorem amittant. Gladius verò diſtrictus à ſiniſtris coruſcans, deſignat, Inquiſitores, tentatis omnibus quæ ad miſericordiam pertinent, ſi nihil proficiant, tunc quaſi invitos ad gladii uſum & diſtrictionem accedere, qui propter vindictam noxiorum à Deo fuit datus. Campus verò niger, in cujus medio crux viridis collocatur, reorum pœnitentiam, & ex peccatis conceptam triſtitiam inſinuat; quam tamen viridis ſpe veniæ temperat.

cap. 4. n. 18.

Verbis quæ ſcutum ambiunt, *Exurge Domine & judica cauſam tuam*, deſignatur, quod Inquiſitores exſpectantes adventum Domini, interim puniunt malos, ut reliquos deterreant, & bonos tueantur.

Neque id ſolum eſt diſcrimen inter celebrationem Actionis fidei in Indiâ, & in Hiſpaniâ; ſed & plura ſunt. Reginaldus Gonſalvius narrat proceſſionem hanc ſolemnem Hiſpali ità inchoari. „Primo in loco procedunt pueri doctrinæ (ex „collegio, quod domum doctrinæ vulgò vocant in quo pueri inſtituuntur, ad„ſciti) qui tum veſte, tum cantu, tum ordine, in quo per Clericos aliquot „ſuperpelliceis indutos continentur, religionem incutiunt. Cantiones ſunt Lita„niæ Sanctorum alternis vicibus repetitæ, alterno choro reſpondente, *ora pro* „*illis*. Hos ſequuntur è veſtigio vincti ipſi, Pœnitentiales vulgò vocant, hoc „ordine per quaſdem veluti claſſes diſpoſiti. Qui levioribus cenſuris ſunt no„tati, primum ab ordine illorum puerorum locum tenent. Iis candelæ abſque „lumine, reſtes collis inſertæ, lupata lignea, thyaræ papyraceæ, ſigna reatus „eſſe ſolent. Apertis incedunt capitibus, ni thyara operiat, & ſervorum more „ſine pallio: Qui natalium dignitate ſocios opibuſve antecellunt, ſubſequun„tur ignobiliores. Secundum hos procedunt qui Sambenitis, hoc eſt, paluda„mentis illis militaribus rubrâ cruce in tranſverſum diſſectis, inſigniti ſunt; eiſ„dem quæ ſupra qualitatibus perſonarum obſervatis: qui Sacris Ordinibus con„taminati ſunt, dignitate, ac proinde loco etiam ſuæ claſſis alios præcellunt. „Hos ſequitur tertia ac poſtrema claſſis, eorum videlicet, qui rogo ſunt de„ſtinati &c. Vinctis ſingulis claudunt utrumque latus Familiares duo armati „cuſtodiæ causâ, quibus duo quoque adduntur Monachi aut Theatini (quos „dicunt) ſingulis morituris, &c. Vinctorum ordinem, qui ex triumphi more „primus meritò eſſe debuit, Urbis Senatus univerſus inſequitur, Alguaziliis, „Juratis, Viginti quatuor graduum judicibus, Prætoribus curialibus, Regen„te ac ipſo Prorege ſive Aſſiſtente, conſtans, quem nobilium equitum ingens „turba comitatur. Mox ſequitur ſtatus Eccleſiaſticus, Clericis, beneficiariis, „Curatis, primum in hoc ordine locum tenentibus. Secundum eos univerſum „templi ſummi Capitulum, vulgò Cabildum Eccleſiæ majoris. Tertium lo„cum occupant Abbates & Priores Ordinum monachalium cum ſuis comitibus. „His omnibus Sanctum Tribunal, quod eo die planè triumphat, honoris ergò „anteambulantibus, ſpatii nonnihil vacui relinquitur, in quo Fiſcalis Inquiſi„torius, ut qui in ea parandâ victoriâ haud mediocrem Sancto Tribunali operam „navarit, prætenſo ac explicato ex ſerico damaſceno rubro vexillo, militari „ſanè faſtu, vexilliferi locum tenet. Vexillum eſt opere phrygionico apprimè „elaboratum, alterâ facie illius Papæ, qui Inquiſitionem conceſſit, ſtemmata

pag. 135.


„cum ipsius nominis inscriptione, alterâ Regis Ferdinandi, qui illam in Hispa-„niam invexit primus, ostendit. Multo serico, auro, atque ostro elaborata „omnia. In hujus vexilli summâ cuspide infixa est argentea crux deaurata ma-„gni pretii cum suo crucifixo, quam singulari quadam præ aliis omnibus vene-„ratione superstitiosa turba prosequitur, hac unâ de causâ, quod Inquisitionis „sit. Sequuntur demum ipsi Patres fidei incessu lento, & ad summam gravita-„tem composito, reverâ triumphantes, ut præcipuos decet ejus victoriæ im-„peratores. Habent è vestigio Familiares omnes Sanctæ Inquisitionis equis insi-„dentes. Hos sequitur multitudo plebis ac vulgus innumerabile, absque ullo „vel ordine vel nomine. Hac pompâ itur ab Inquisitorio carcere ad theatrum „quoddam sublime atque operosum, quod imponendis ad spectaculum pœni-„tentibus & audiendis eorum sententiis è ligneâ materiâ fabricatum est in plateâ „urbis celeberrimâ atque capacissimâ. In eo theatro sedere eos faciunt eodem „planè ordine quo venerunt. Est & alterum theatrum ejusdem ferè cum prio-„re magnitudinis, è regione illius, in quo est erectum tribunal Dominorum In-„quisitorum, ubi sedent in Inquisitoriâ sua ac penè divina majestate, universâ „illâ comitati amplitudine qua venerunt.

Memor. aulæ Hisp. part. 2. pag. 53. &c.

Rex, si adest, & Regina totaque Aula, quin & Legati, omnesque Hispaniæ Proceres solemnitatem illam suâ præsentiâ condecorare solent. Sedes Inquisitoris Generalis refert speciem tribunalis, supra sedem Regis elevati. Quando omnes locis suis consederunt, initium fit celebratione Missæ: verum Sacerdos qui Missam celebrat, ubi ad illius medium pervenit, relinquit altare, & occupat sedem sibi præparatam. Mox Supremus Inquisitor è theatro descendit, omnibus suis ornamentis indutus, & reverentiâ coram altari exhibitâ, per gradus quosdam adscendit ad Regem, cum quibusdam ex Ministris Inquisitionis, qui gestant crucem & Euangelia, & librum quo continetur juramentum, quo Rex se ad fidei Catholicæ protectionem, hæresium exstirpationem, & Inquisitionis defensionem obstringit. Rex stans, ac nudato capite, habens à latere Connestabilem Castiliæ, aut alium è Grandibus Hispaniæ, qui ensem regium elevatum manu tenet, jurat se servaturum juramentum, publicè à Senatore quodam Senatus Regii sibi prælectum: & in hoc statu permanet, donec Supremus Inquisitor locum suum repetiit. Mox Secretariorum Inquisitionis unus cathedram conscendit, simile juramentum prælegit, & à Senatu & totâ Congregatione recipit. Exinde singulorum sententiæ præleguntur, duratque nonnunquam hæc solemnitas ad horam usque nonam vespertinam.

Romæ, & in totâ Italiâ, quantum ex Autoribus quorum mihi copia fuit, colligere potui, ejusmodi solemnes processiones in Actionibus Fidei, seu Sermonibus de Fide, non celebrantur. Quâ verò ratione illic sententiæ pronuntiari & executioni mandari soleant, aliquatenus ex duabus, quæ sequuntur, narrationibus colligi potest.

Refert Bzovius ad annum Christi 1498. § 32. repertos esse illo anno ducentos triginta Maranos, qui fidem Christianam ex Hispaniis ejecti ejuraverunt. Hi Romam vagi venientes, cogniti, delati, in carceres conjecti, ac tandem ad eandem fidem reduces, ad hunc modum in Ecclesiam ab Alexandro Pontifice admissi sunt. Dominicâ die XXIX. mensis Julii (itâ scribit Joannes Brucardus qui vidit) constructum fuerat suggestum magnum & amplum ante porticum basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, inter ipsum, & alium qui est super scalas accessus ad eandem basilicam. Super hoc suggestum admissi sunt ducenti triginta Marrani reconciliandi: quibus super eodem suggesto in terrâ in eorum consueto habitu considentibus, & RR. Patribus DD. Petro Archiepiscopo Reginensi, almæ urbis gubernatore, Joanne Carthaginensi, Serenissimorum Regis & Reginæ Hispaniarum Oratore, Octaviano Marranensi Episcopo S. D. N. Papæ Referendario, Dominico Jacobatio, & Jacobo Dragatio Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoribus, Magistro Paulo de Moneliâ Januensi Ordinis Prædica-



Actus fidei prout in Hispa



n Hispania celebratur .

dicatorum, ejusdem Sacri Palatii Magistro, & Magistro Joanne de Malcone Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Professoribus, præfati D. N. Papæ in basilicâ præfatâ pro Natione Hispanâ Pœnitentiariis, & in eorum quotidiano habitu in loco ut supra considentibus, quidam Magister in Theologiâ Ordinis Prædicatorum fecit sermonem in vulgari Italico de fide, & contra dictos Marranos, qui omnes natione Hispanicâ erant, & inter eos unus professus Ordinis S. Francisci, cujus habitum publicè deferebat; quem, & omnes præfatos, de omnibus eorum erroribus sibi notis in fide arguit, & reprehendit, & instruxit. Quo sermone finito Marrani petierunt veniam, & se absolvi. Tum Magister Sacri Palatii sermone Latino admonuit eos ad fideliter credendum, & bene vivendum; & pœnam simul merentibus convenientem commemoravit: quam admonitionem quibusdam verbis Hispanis illis exposuit. Deinde omnibus illis genu flectentibus injuncta pœna, ut in habitu, qui eis impositus fuit ad hoc ordinatus, bini & bini irent ad basilicam S. Petri, orationem ibi facturi: & inde eodem ordine ad Ecclesiam Conventus Beatæ Mariæ supra Minervam, ubi dimisso habitu, posset quisque liberè in suum locum redire. Acceptis hujusmodi habitu & pœnâ, præfati Domini Magistri Paulus & Joannes absolverunt omnes, qui absoluti iverunt ad basilicam & Ecclesiam prædictas, Papâ in cameris novis omnia præfata vidente, & eis benedicente. Habitus autem dictis Marranis impositus hujusmodi erat formâ. Super habitu quotidiano quædam tela rubea, sive pavonaria, super humeros ante pectus & terga pendens usque ad coxas, habens crucem croceam latam quatuor digitorum, & longam ad longitudinem ipsius telæ superhumeralis: & unusquisque applicuit ad altare prædictæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad Minervam depositâ telâ sua præfatâ, illis receptis Fratres appenderunt in altum Ecclesiæ pro memoriâ actus illius.

Detentus etiam in carceribus fuerat Petrus de Arandâ, Episcopus Calaguritanus, SS. D. N. Papæ Magister domus, de Marraniâ & hæresi infamatus; cujus causam Alexander Pontifex Petro Archiepiscopo Reginensi, Almæ Urbis Gubernatori, Petro de Venantiâ Episcopo Cæsenatensi, Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Egardo Durca Episcopo Slesvicensi, uni ex dictis causarum Sacri Apostolici Auditoribus locum tenenti, audiendam, & de jure terminandam commisit. Qui examinatis pro parte Fisci pluribus, & pro parte Arandæ centum & uno testibus, omnibus in parte vel in toto contra ipsum Arandam deponentibus, processu prius contra ipsum debitè instituto, tandem die Veneris XIV. mensis Septembris iidem DD. Commissarii in secreto Consistorio S. D. N. Papæ processum & testium depositiones retulerunt: Quibus intellectis Alexander, de consilio Reverendissimorum Dominorum Cardinalium, dignitate Episcopali, omnibusque beneficiis & officiis Arandam privavit, & ab omni Ordine deposuit & degradavit; qui Petrus privatus, depositus, & degradatus, tandem in castro S. Angeli in quandam cameram pro carcere conjectus fuit. *Brucardus in diariis hujus anni.*

Bzovius a. 1498. § 32. fin.

Solennitas Sermonis Generalis seu Actionis Fidei, qualis olim observata fuerit, ex Libro Sententiarum Inquisitionis Tholosanæ haud obscurè innotescit. Convocato populo in Ecclesiam, ibidemque habito sermone de fide, initium actionis fit à juramento, quod Magistratus civiles præstant Inquisitoribus, quo omnem ad detegendum & capiendum hæreticos, eosque accusandum & Inquisitoribus denuntiandum operam pollicentur; tandemque concludunt: *Et in his & in aliis quæ ad officium Inquisitionis pertinent, erimus obedientes Deo, & Romanæ Ecclesiæ, & Inquisitoribus.* Idque juramentum, ut ex variorum Sermonum collatione deprehendi potest, aliquatenus posteà ampliatum est, ut Magistratui omnis vel minimum connivendi præcidatur prætextus.

Juramento præstito sententia excommunicationis pronuntiatur contra impedientes officium Inquisitionis, quâ excommunicationis vinculo innodantur omnes, *qui negotium Inquisitionis scienter impediverint, vel de cætero impedient quoquo modo,*

do, directè vel indirectè, manifestè vel occultè, vel per se veritatem celando, vel legitimè confessata revocando, seu alios ad celandum vel revocandum indebitè inducendo; & quicunque ad hoc directè vel indirectè, occultè vel manifestè, consilium auxilium scienter impenderint vel favorem. Ita habet prima, quæ in libro illo Sententiarum Sermone II. fol. 4. exstat, excommunicationis formula, quæ in sequentibus Sermonibus variè ampliata est, ne ullus, vel levissimè suspectus, Inquisitorum manus evadere posset, & Magistratui omnis præcluderetur via ne minimum quidem Inquisitoribus in Sancto suo Officio objiciendi impedimentum.

Mox sequitur Actio Inquisitionis, & ut ea misericordis ac benigni tribunalis speciem præbeat, initium Actionis fieri solet à remissione aut mitigatione pœnæ, paucis quibusdam factâ; cum multi ad easdem, imò graviores pœnas condemnentur. Aliis demuntur cruces, ipsisque imponitur pœnitentia quædam arbitraria: Alii educuntur è muro, & ipsis imponuntur cruces, quæ pœna est levior. Gratiis hisce factis, prælegunttur sententiæ, quibus reis pœnitentiæ imponuntur.

Primæ sunt sententiæ Cruce signatorum, quibus imponuntur cruces gestandæ in pectore & in dorso; aliis quorum delicta sunt graviora, cruces duplices imponuntur. Si verò contingat, quorundam culpas esse leviores, illis injungitur pœnitentia arbitraria sine crucibus: Quale exemplum occurrit, *fol.* 81. b. Tum sequuntur sententiæ immurandorum, qui ad perpetuum muri carcerem condemnantur ad peragendum ibidem in pane doloris & aquâ tribulationis pœnitentiam salutarem: horum aliqui, qui gravius deliquerunt, includuntur muro stricto & in loco arctiori in vinculis & catenis.

Exinde sequuntur sententiæ Impœnitentium ac Relapsorum, qui traduntur curiæ sæculari: mox, sententiæ in defunctos, & contra domos in quibus aliqui hæreticati fuerunt; ac tandem contra fugitivos. In pronuntiatione sententiæ Euangelia coram Inquisitoribus collocabantur, quasi nil nisi Deo in consilium adhibito decideretur: Quod consueta eorum formula, quæ ordinariè in ipsorum sententiis occurrit, manifestè demonstrat: *Deum habentes præ oculis & orthodoxæ fidei puritatem, sacrosanctis Euangeliis positis coram nobis, ut de vultu Dei prodeat judicium nostrum, & oculi nostri videant æquitatem.*

Eymer. part. 3. n. 195. Actione omni peractâ Inquisitor faciebat tria. Primò largiebatur quadraginta dierum indulgentias omnibus, qui prædictis Actibus Fidei in Ecclesiâ interfuerunt. Secundò, indicat publicè, quod omnes qui præstiterint consilium, auxilium vel favorem, quod aliquis abjuraverit hæresin, & ad Ecclesiæ unitatem redierit, quales sunt denuntiantes, testificantes, consiliantes, culpas, abjurationem & sententiam legentes, ac ministri eos custodientes, à Papâ obtineant trium annorum Indulgentias. Tertiò, omnibus insinuat, quod quicunque scit aliquem hæreticum, seu de hæresi diffamatum ac suspectum, eumque denuntiaverit Inquisitori, etiam à Papâ sit trium annorum indulgentias habiturus. Atque ità totam hanc actionem claudit. Ita olim Sermo de fide habitus fuit.

Nunc porrò videamus quomodò hodiè in Hispaniâ & Lusitaniâ post Actionem Fidei omnia executioni mandentur.

Direct. part. 3. n. 164. com. 40. Rei pœnitentes & reconciliati, & in publicum spectaculum producti, eo die, quo sententiæ in eos sunt prolatæ, ad solitos Sancti Officii carceres reducuntur, & diē sequenti producuntur in auditorio Inquisitorum, & admonentur eorum quæ per sententias fuerunt illis injuncta, & quam graves pœnas sint habituri, nisi humiliter injunctas pœnitentias adimpleant. Quibus peractis, unumquemque mittunt ad locum, quem ei per sententiam assignarunt. Illos verò, quos ad pœnas triremium condemnarunt, ad carceres judicum sæcularium transmittere debent. Quidam virgis per præcipuas urbis plateas cæduntur, & quandoque ducenti ictus illis infliguntur: aliis gestanda est infamis vestis Sambenito; alii quotidie, alii diēbus solummodò Dominicis & festis induti procedere debent.

Sed in his unusquisque suæ Inquisitionis consuetudinem observare potest. In Inquisitione Goanâ hæc consuetudo obtinet. Antequam dimittantur captivi è carcere in aliam domum deducuntur, ubi quotidiè in doctrina & ritibus Ecclesiæ Romanæ instituuntur. Tandem quando dimittendi sunt, exhibetur singulis scedula, qua continentur pœnitentiæ ipsis injunctæ; additurque mandatum, ut exactè quisque observet secretum omnium eorum quæ vidit, dixit, aut audivit, aut quæ tractata sunt cum eo, tam ad mensam quam in aliis Sancti Officii locis. Et ad id silentium solemni juramento singuli captivi se obstringunt.

Postridiè etiam hujus solemnitatis omnium ad mortem damnatorum effigies, ad vivum expressæ, in templum Dominicanorum deferuntur, & suspenduntur, ut ab omnibus conspici possint. Quid hic observari soleat, docet nos Ludovicus à Paramo, *lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 5. *n.* 9, 10, 11. „Aliud est infamiæ monumentum, quod „licet vulgo apud Hispanos *Sambenito* vocetur, non tamen vestis, sed linteum „est, Ecclesiarum parietibus ad perpetuam infamiam affixum, quod fit in pa„rœciis apud quas vixerunt. Est autem linteum nomine & agnomine rei inscri„ptum, ubi etiam officium quo functus fuit exprimitur. Quod si confessio „suboritur, aliquâ additâ particulâ æquivocatio tollitur, additur patria, sæpe „etiam illi quorum condemnati parentes & avi erant. In aliquibus linteis legi„tur, quibus parentibus rei procreati fuerunt, ex quorum genere; si conjuga„ti, si fœminæ maritatæ, quorum uxores, si recenter à Judaicâ lege & Mahu„methanâ sectâ ad Christianam Religionem se receperant, explicatur. Deni„que juxta criminis qualitatem pœnitentiæ causa declaratur; nempe quod hæ„resiarcha fuit dogmatistes, hæreticus declaratus, hæreticus apostata, pœnitens „simulatus, quod negativus & pertinax, quod hæreticus impœnitens & rela„psus, quod hæreticus Lutheranus, Anabaptista, Calvinista, Martianista, „etiamsi è vitâ ante condemnationem excesserunt. Præter inscriptionem depingitur „etiam nota, quæ vivis pœnitentibus imponi solet, ut superioribus explicatum est. „In antiquis linteis, quæ nondum instaurata fuerunt, Crux recta conspicitur. „Alia etiam interdum à commemoratis distincta cernuntur: in aliquibus enim „persona & delictum prætermittuntur, hoc duntaxat scripto verbo absque signi „picturâ (*combustus.*) Similiter in reconciliatorum linteis aliquando solum sine „cruce vel aliâ notâ legitur (*reconciliatus.*) Sæpe anni computatio desideratur; „sæpe sine inscriptione flammæ spectantur depictæ, ita ut quis fuerit reus, nul„lo pacto cognosci possit. Aliquot lintea cernuntur etiam ex quorum extremi„tate licia pendent: forsan nihil habent notatu dignum; sed solum ex ultimâ „telæ parte confecta sunt. Verum illud in causâ fuit tantæ varietatis in linteis „parœciis affixis, ut olim sanctæ Inquisitionis patres non de omnibus, ut nunc, „Constitutiones ediderint. Postquam autem Mantuæ Carpetanorum, aliàs Ma„triti, Instructiones Inquisitorum typis mandatæ sunt, peculiaris exstat Con„stitutio, quâ modus affigendi & instaurandi hujusmodi infamiæ lintea præscri„bitur: Cap. enim LXXXI. in hunc modum decernitur. *Notum est, infamia mo„numenta damnatorum, tam vivorum, sive præsentium, sive absentium, quam eorum „qui vitâ functi sunt, ex templorum parietibus suspendi, in quorum parœciâ vitam tran„sigebant: idque cum aut in carcerem conjecti sunt, aut è vitâ discesserunt, aut se in fu„gam contulerunt. Idem fit cum reconciliatis postquam pœnitentias injunctas præstiterunt; „& saccis exuti sunt, quamvis in Actione Fidei & spectaculo tantum, & dum sententiæ „recitarentur, induti exstiterint.* Quod inviolatè servatur, & nemini ad hoc im„mutandum facultas commissa est; sed Inquisitoribus semper commendatur, ut „sedulò effigies instaurari curent, præcipuè in provinciis quas visitaverint, ut „hæreticorum & suorum posterorum infamia nullâ unquam oblivione deleatur. „Est tamen linteis tempus condemnationis adscribendum, nec non explicandum, „an deliquerint in Judæorum, Saracenorumve sectâ, aut in Martini Lutheri, „& sequacium cæterorumque impiorum hæresibus. Hæc porrò ignominiæ & dede-

„dedecoris monumenta non sunt in illorum infamiam affigenda, qui tempore
„indulgentiæ & gratiæ reconciliati sunt: cum enim in pactum deductum fuerit,
„illis saccos non esse imponendos, nec reconciliationis tempore illis induti fue-
„rint, cum ratione & justitiâ pugnaret illorum appensio: esset enim beneficium
„in illos collatum prorsus evertere. Hæc Constitutio in omnibus regnis & di-
„tionibus Regis Hispaniarum, excepto Siciliæ regno, servatur: ubi anno
„1543. cum Inquisitoris munere fungeretur Licentiatus Cervera, magnus Pa-
„normi factus est motus, magna in Sanctam Inquisitionem concitata seditio,
„ignominiosa lintea è parietibus ædis, S. Dominico dicatæ, tantâ animorum
„contentione revulsa fuerunt, ut nullâ ratione ad hodiernum diem affigi potue-
„rint parietibus, aut illius, aut alterius Ecclesiæ.

CAPUT XLII.

Enumeratio variarum injustitiarum & crudelitatum, quæ in Tribunali Inquisitionis committuntur.

ATque hactenus quidem procedendi modum qui in Inquisitione observatur, quantum ex ipsis Pontificiorum, imo Inquisitorum scriptis indagari potuit, descripsimus: Quem si attentius ad animum revocemus, & cum procedendi modo aliis in tribunalibus usitato conferamus, deprehendemus seriem esse & concatenationem plurimarum injustitiarum ac crudelitatum, quibus omnia divina ac humana jura pervertuntur.

Solent Pontificii tribunal hoc Sanctitatis nomine inter suos commendare, Inquisitionemque Sanctum Officium appellare. Verum si penitius inspiciatur, merum tantum fucum esse deprehendemus, quo tribunalis illius fœditas & injustitia palliatur & incrustatur. Non jam ostendam, causas, quæ coram tribunali hoc tractantur, non subesse judicio humano, sed ad tribunal Dei ac Filii ejus Christi spectare; solus enim Deus supremus omnium Dominus, qui servare potest ac perdere, leges salutis ac damnationis præscribere potest: ipseque solus, ut omniscius ac καρδιογνώστης de cujuscunque fide, quæ in animo latet, quæque verbis ac factis simulari potest, infallibile pronuntiare potest judicium; nullumque hominem in hujus suæ potestatis societatem admisit. Unde evidenter consequitur, sacrilegam esse in Majestatem ac jura divina involationem, quod Papa Romanus sibi judicium fidei arrogans, leges credendi fidelibus præscribit, Inquisitionis tribunal erigit, Inquisitores tanquam judices à se delegatos quaquaversum mittit, qui suo nomine, & potestate ab ipso concessâ in fidem omnium inquirant, & Papæ per omnia non morigeros puniant. Nec jam fœdam illam doctrinam exagitabo, quâ hæreticos omni dominio privari docent, adeò ut ipsis non sit servanda fides, subditi à juramento fidelitatis & obsequii non sint adstricti, & conjux ob conjugis hæresin à matrimonii legibus sit solutus, quin & filii ab obedientiâ paternâ. Eâ namque omnia divina ac humana jura perverti nimis quam manifestum est.

Verum paucis tantum præcipuas iniquitates & injustitias Tribunalis hujus commemorabo, quibus in ratione ac modo procedendi favore fidei recedit ab aliorum tribunalium legibus ac institutis; quò fit, ut quæ aliis in tribunalibus manifestè injusta sunt, hic justa censeantur. Non omnia, sed præcipua tantum & maximè eximia, speciminum instar, indicare suffecerit.

Prima injustitiæ species est, quod Inquisitores promulgatione Edicti fidei omnes sub excommunicationis pœnâ constringant ad sibi denuntiandum quemcunque, quem vel levissimâ de causâ suspectum habeant de ullâ hæreseos labe; ità quidem, ut non tantum consanguineus consanguineum, frater fratrem deferre teneatur, suâque delatione in periculum horrendissimi omnium supplicii, ignis videl.

videl. conjicere; ſed & ipſa uxor maritum, quin &, quod omnia naturæ jura invertit, juxta plurium Doctorum ſententiam, filius patrem occultum hæreticum deferre teneatur: Et licet aliqui filium ab hac obligatione exemtum velint, laudandum tamen cenſent, quando patrem defert, eò quod cauſam fidei & Eccleſiæ carnali conſanguinitati prætulerit: Quin & præmiis ad denuntiationem talem ſollicitatur: cum enim hæreticorum bona confiſcentur, nec filius patris hæretici hæres eſſe queat, in præmium tamen delationis paterna illi bona conceduntur. Quid hoc aliud eſt, quam filios impios, contumaces ac rebelles, & quos quandoque paterna ſeveritas ob mores diſſolutos caſtigavit, ſollicitare præmiis, ut vel fictis criminibus parentes incuſent, vel ſaltem eorum ſint proditores?

Altera injuſtitia eſt, quod hominem de hæreſi ſolummodò diffamatum damnent ad præſtandum purgationem Canonicam, ut ſe purget ſeptem plus minus compurgatoribus; ita quidem, ut ſi in uno, duobus, vel tribus deficiat, nocens habeatur. Ita enim vita & fortuna hominis ab alterius voluntate ac arbitrio dependent; ſuffeceritque ad aliquem declarandum hæreticum, unum ex compurgatoribus non audere juramento confirmare, credere ſe quæcunque diffamatus juramento aſſeruit, vera eſſe. Et cum ipſi fateantur, purgationem Canonicam fallax eſſe medium, injuſtitia eſt minimè excuſanda, quod nihilominus eâ in tribunali ſuo utantur.

Tertia injuſtitia eſt, quod in hoc Officio quivis, etiam ab aliis tribunalibus excluſus, admittatur in teſtem, ſolo excepto inimico capitali. Cui accedit quarta quod interim teſtium nomina captivo non indicentur, neque ulla ipſi reveletur circumſtantia, per quam in teſtium cognitionem devenire poſſit. Quis non videt, hic maximè mutilam ac truncatam reddi captivorum defenſionem, qui criminis, uti creditur, atrociſſimi accuſati, neminem habent adverſarium contra quem ſe defendere poſſint; ſed cæcorum inſtar & quaſi palpitantes eum detegere conantur; & interim ordinariè ab alio accuſantur, contra alium defenſionem parant? Notum eſt, eam eſſe humani generis malitiam, ut facilè, ſi latere poſſint, aliis perniciem, etiam falſâ delatione & teſtimonio, ſint ſtructuri: præſertim ſi infames, perjuri, & nullo non crimine notati in teſtes admittantur, ipſique præmiis ac pollicitationibus ſollicitentur. Tum, quis ſibi indubitatum de inimicitiâ capitali judicium arrogabit, quæ propriè in animo latet, quem nemo hominum, certò dijudicare poteſt? Cauſæ unde inimicitia oritur, certum illius indicium minimè ſunt. Videas homines adeò manſuetos ac Dei timentes, qui ne graviſſimis quidem maleficiis laceſſiti inimicitiam animo concipient: alios verò, vel leviſſimè læſos, imò factum indifferens in malam partem interpretantes, odium concipere Vatinianum, ac inimicitiam fovere capitalem. Quis hic utriuſque animum diſcernet? Judex conſideratâ inimicitiæ cauſâ, ſi illa ſuo judicio ſatis gravis non ſit, pronuntiabit hominem non eſſe inimicum capitalem: cum interim animus ipſi æſtuet irâ ac vindictæ ſtudio. Ita idoneus erit teſtis, quoniam pejor ipſi animus eſt, quam judex de eo præſumere auſus fuit. Atque ità miſer, cui talis obtigit inimicus, tali teſtimonio peribit.

Quinta injuſtitia eſt; quod duo tales teſtes omni exceptione majores (contra quos tamen ſemper ea eſt exceptio, quod reo ſint ignoti) de diverſis teſtantes, imò unus quandoque, imò & ſola fama, ſufficiat ad torturam. Actum ſanè eſt de innocentiâ vel innocentiſſimi cujuſcunque, & penes Inquiſitores eſt, hac ratione quemvis propriâ ſuâ confeſſione facere nocentem. Quam facilè enim contingit, & exempla in tribunali Inquiſitionis non deſunt, hominem ſceleratum, aut inimicum, inſonti hæreſeos crimen impingere, qui certus eſt, ſe ad denuntiationis ſuæ probationem non eſſe obligatum, nomenque ſuum fore ſecretum? Interim denuntiatus ad torturam damnatur, diriſſimiſque tormentis ſine fine ac modo excruciatur, donec criminis à ſe non commiſſi confeſſionem edat. Quod adeò manifeſtum eſt, ut jam olim Fr. Bernardus Delicioſi dixerit,

rit, prout in sententiâ ejus exstat, *Quod Beati Petrus & Paulus ab hæresi defendere se non possent si viverent, dum tamen inquireretur cum eis per modum ab Inquisitoribus observatum.*

Sexta est: quod duo testes concordes omni exceptione majores sufficiant ad convincendum, ac porrò ad condemnationem. Notum est, multa posse objici, si testes noti sint, contra testium fidem, quibus eorum testimonium infringatur: ex variis circumstantiis, ex testimonio aliorum qui unà præsentes fuerunt, aliisque argumentis, sæpe eos falsitatis argui posse. At contra ignotos quis se defendendi facultatem habet? Licet tantum per conjecturam divinare accusatores ac testes: hic si erretur, tota in vanum abit defensio. Si forte ipsos testes captivus divinet, non tamen illi indicantur; ipseque ex solâ suspicione contra eos se defendit. Interim penes Inquisitorem judicandi potestas est, an captivus testis illius fidem infringat, vel evertat. Quod si testimonium infringere nequeat, licet innocentissimus sit, licet se Catholicum, & in fide Romanæ Ecclesiæ mori velle protestetur, non tamen evadere potest, quin ut hæreticus convictus damnetur; & tanquam contumax & impœnitens judici sæculari ultimo supplicio afficiendus tradatur. Nec licet ipsi, nisi se mortali peccato obstrictum cupiat, falsâ criminis à se non commissi confessione vitam redimere. Hoc itaque casu miser, falsò accusatus (uti quandoque contingere ipsi non negant) juxta leges Inquisitionis ut hæreticus damnatur, curiæ sæculari traditur igne concremandus; & nihilominus est fidelis, Catholicus, & ob injuriam hanc martyrii coronam (uti ipsi ajunt) est consecuturus. Ità innocens & justus condemnatur, juxta leges Inquisitionis; & quem Inquisitores juxta leges suas damnant, Deo gratus est, & martyrii coronâ decoratur. Pudeat tale erexisse tribunal, cui hoc objici possit: aut Ecclesiam, postquam Deo & interiori Ecclesiæ foro per pœnitentiam satisfactum est, aliud externum erigere forum, cui per pœnitentis supplicium satisfaciendum sit.

Septima injustitiæ species est, quod velint delatos sui ipsius esse accusatores. Quamprimum quis in carcerem conjectus est juramento adstringitur de dicendâ veritate: mox rogatur suæ captivitatis causam; ut ipse se accuset, si forte quippiam unquam commisit, quo coram Inquisitionis tribunali reus constituatur. Cum tamen omnium tribunalium ratio exigat, ut reo accusationes indicentur, & ut super facto, quod commisisse arguitur, examinetur. In Inquisitione verò unicuique captivo conjectandum relinquitur crimen, cujus accusatus est. Sæpe sunt quædam innocenter & per inadvertentiam dicta, quandoque verba in alienum sensum sunt detorta, nonnunquam & crimen planè est confictum; interim qui se ipsum accusare nequit, in tetro carcere aliquot sæpe annis miser maceratur, ut tædio carceris constantia ejus expugnetur. Si crimen divinare nequeat, & exspectet, donec ipsi à Promotore Fiscali objiciatur; censetur contumax, præfractus & perjurus, si forte verum crimen in memoriam revocet, & agnoscat; & quia sponte confiteri noluit, gravius punitur. Si verò crimen non agnoscat, si planè probatum non sit, torquetur: si verò planè probatum juxta leges Inquisitionis, ut negativus convictus condemnatur. Ità ut quomodocunque se gerat, nullo modo crudeles Inquisitorum manus evadere queat.

Octava injustitia est, quod variis artibus Inquisitores utantur, tum ut confessionem è captivo eliciant, adhibendo promissa fallacia, quibus, confessione elicitâ, se minimè obligatos credunt; tum ut denuntiatores & testes, aliud quasi interrogando, ab ipso declarentur non esse ipsius inimici capitales; ut ita captivo, omni ope & solatio humano destituto, quique miseriarum suarum nullum videt finem, arte & fraude Inquisitoris omnis se defendendi via præcludatur.

Interim justi videri affectant, reisque concedunt Advocatum & Procuratorem qui causam ipsorum agant. Verum hic miserè captivus deluditur; eaque rectè nona injustitiæ species vocatur: qui enim ipsi Advocatus conceditur, reverà illi concessus est in proditorem. Non enim licet illi quemcunque sibi placuerit Advocatum eligere; neque Advocato licitum est captivo patrocinari, nisi hæ-

hæreseos fautor haberi velit; sed ipsa Inquisitio captivo assignat Advocatum, sibi juramento adstrictum, cujus primæ partes sunt, captivum inducere ad confessionem criminis sibi objecti, defensionibus in Inquisitionis tribunali non receptis non uti, ac statim patrocinium relinquere, si juxta leges Inquisitionis defendi nequeat. Defensiones autem quas adhibent meræ sunt nugæ ac imposturæ, quibus captivos miserè deludunt; adeò ut dum magno conatu multum agere videantur, reverâ nihil agant; sed formulas tantum quasdam observent, ut intereà processus, juxta morem in Inquisitione receptum, præparetur, & terminari possit.

Decima injustitia est; quod quando crimina non possunt probari contra captivum, quod ille non absolvatur à crimine sibi objecto, sed solummodò ab instantiâ judicii, & declaretur solummodò, quod idoneis testimoniis crimen contra ipsum non sit probatum: illaque sententia nunquam procedit in rem judicatam. Quarè qui semel Inquisitioni fuit delatus, licet innocens, & juxta morem in Inquisitione receptum crimen ejus probari nequeat (quo tamen facilè omnia crimina, quæ vel levissimâ nituntur suspicione, probantur) nunquam tamen è libro seu indice Inquisitoris deletur; sed ad perpetuam memoriam nomen ejus, tanquam suspecti, illic asservatur; ut si forte alio tempore de hæresi deferatur, hæ posteriores delationes cum prioribus conjunctæ vim probandi habeant; ipseque, licet per sententiam judicis è carcere dimissus, nunquam tamen securus vivere possit, sed semper sinistrâ apud Inquisitorem suspicione laboret, & novâ improbi cujusdam hominis delatione accedente, de eodem crimine, quod jam obliteratum esse oportuit, conveniri possit.

Undecima eaque non minima injustitia est, quod ipsis adeò parata sit tortura, & quidem in detegendo crimine occulto, & quod in animo latet: imò quod ideò volunt torturam debere esse paratiorem, quia crimen aliis criminibus occultius est. Constat omnibus, torturam esse fallax verum detegendi remedium; quoniam & vera confessis & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur. Quare & torturam non adhiberi volunt Juris periti, nisi quando crimen sufficienter est probatum, & sola deficit rei confessio. In occultis verò criminibus præcipites esse ad torquendum, summa est injustitia, & plurimos innocentes gravissimis subjicit suppliciis, dum tormentorum sævitiæ resistendi impares, malunt fictâ confessione criminis à se ne cogitati quidem, crudelissimi supplicii, sed brevi tamen finiendi, se reos facere, quam dirissimis illis tormentis, quorum nullum vident finem, ulterius volutari.

Duodecima est: quod ad torturam deveniendum doceant, quando semi-plena criminis est probatio: Probatio autem semi-plena est vacillatio, diffamatio, & unus testis de scientiâ, vel indicia vehementia & violenta: Eaque omnia judicis arbitrio permissa sunt: Ità ut, si quis in crudelis Inquisitoris manus incidat, & in respondendo titubet, vel uno teste sit delatus, qui se facto aut verbis quæ defert interfuisse narrat, torturam, ac per consequens pœnam criminis de quo accusatur, consideratâ nimirum tormentorum violentiâ, evadere nequeat: Neque id tantum, sed & cum facta quædam sint, quæ possint causam habere non tantum hæresin in animo latentem, sed & aliam quandam concupiscentiam carnalem, aut temeritatem, tales torqueri velint pro intentione, tormentisque cogere, ut fateantur hæreticam se in animo habuisse intentionem.

Decima tertia est: quod quando ad torquendum se accingunt, reum graviter ac seriò monent, ut nihil dicat, nisi quod verum est, neque ut tormenta evitet, quicquam veritati non consonum fateatur. Ut ita sinceritatis speciem præbeant, quasi nudam quærant veritatem, & finitâ torturâ securi esse possint, tortum verum crimen esse confessum: utpote qui ipsi illum seriò ac graviter monuerint, ut nihil contra veritatem dicat. Interim ipsi supponunt, crimen illi objectum esse verum, illiusque confessionem adhibitis tormentis extorquent; & nisi fateatur, tormenta se ingeminaturos minantur: adeò ut crimen neganti tormenta aggraventur, confitenti verò mox tormentorum sit finis. Inde apparet, ipsos

ipsos non sincerè veritatem per tormenta investigare, sed jam crimen, licet secundum Inquisitionis leges semi-plenè tantum probatum, tanquam verum præsupponere, illiusque confessionem extorquere velle.

Decima quarta est: quod cum aliis in tribunalibus certus sit constitutus numerus, quousque tormenta repeti possint, ipsi viam excogitarint, sæpissimè homines torquendi, ut tamen contra legem, qua cautum est tormenta non nisi bis vel ter esse repetenda, non delinquant: Si nimirum levioribus adhibitis tormentis captivus nihil confiteatur, posteà graviora adhibent, exinde alia adhuc sæviora, donec diversis temporum intervallis per omnia ac singula tormentorum genera transierit. Hæcque ipsis non est repetitio, sed tantum continuatio torturæ; adeo ut, qui aliquoties tortus, sed singulis vicibus diverso torturæ genere, omnia tormentorum genera per certa temporum intervalla expertus est, juxta horum Doctorum sententiam, semel tantum tortus dici debeat.

Decima quinta injustitia est: quod condemnatos tradentes brachio sæculari, pro iis intercedant, ut sine sanguinis effusione aut mortis periculo circa eos pœnam suam moderetur: Interim, si Magistratus paratus non sit hæreticos mox ignis supplicio afficere, aut pœnam differat, eum pœnâ excommunicationis ad sententiæ suæ executionem compellunt. Verentur nimirum homines superstitiosi, ne reum sine illâ intercessione Magistratui sæculari tradendo irregularitatem contrahant; & non metuunt irregulares fieri, Magistratum pœnâ excommunicationis cogendo, ut à se damnatos interficiat. Ità manifestum est, intercessionem illam meram esse histrioniam, quâ necis autores coram plebe à nece immunes haberi affectant.

Ultima tandem injustitia conspicua est in ridiculo ipsorum processu contra mortuos, quorum consanguineos ac hæredes citant, ut compareant certo die ad defendendam, si possint & velint, defunctorum memoriam. Ipsi interim legibus constituerunt, si quis compareat hæreticum defensurus, ut fautor hæreticorum censeatur, & ut talis condemnetur; neque ullus Advocatus aut Procurator illi patrocinari possit. Omnes itaque ad defuncti memoriam defendendam citant: omnesque à defensione illâ, supplicio gravissimo, contra hæreticorum fautores constituto, deterrent: Adeò ut totus ille apparatus, æquè ac illorum pro reis intercessio, mera histrionia sit. Mox causam defendendam tradunt Advocato, ipsis per juramentum obnoxio, qui publicè declarat, se defuncti memoriam defendere non posse. Itaque cum nullus ejus defensionem suscipiat, accusationes contra eum censentur justæ, probationes legitimæ, ipseque hæreseos condemnatur. Quæ major injustitiæ species esse potest, tanquam convictum condemnare, cujus patrocinium nemini, absque fortunarum & vitæ jacturâ, suscipere licet?

Hæc, quæ speciminis causâ attulimus, si quis attentè consideret, nullam in tribunali Inquisitionis deprehendet sanctitatem; sed in totâ procedendi ratione meram agnoscet injustitiam, fraudem, imposturas, summamque hypocrisin, quâ Inquisitores processuum suorum fœditatem fictâ sanctitatis specie palliare conantur, ut miseræ plebi dominentur, omnesque sibi obnoxios habeant; & licet sceleratissima quæque committant, tamen augusto Sanctitatis titulo omnibus venerandi sint.

Non necesse est plura de illorum crudelitate hic addere. Paucis dicere sufficit: Eas carceris, in quo captivi soli ordinariè, & ad aliquot annos, sine ullius alloquio in tenebris conclusi asservantur, esse miserias, eam tormentorum sævitiam, eam suppliciorum exquisitissimorum vehementiam, ut omnium aliorum tribunalium crudelitatem longè exsuperet. Non tantum enim homines vivi igne comburuntur; sed & lupatis ora eorum clauduntur, ut nec gemitus nec clamores in horrendissimis cruciatibus liberè emittere queant; sed illorum libero intercluso meatu animi angustiâ tantum non suffocentur. Sævitia autem illorum maximè est detestanda contra pœnitentes & conversos: Cum enim oporteret

ret Ecclesiam, ad exemplum pastoris ovem deperditam humeris gestantis & ad ovile reducentis, obviis ulnis pœnitentes amplecti, ipsi quorum vitæ parcunt, gravissimas imponunt pœnas, quæ ipsis scilicet sint pœnitentiæ salutares; nimirum condemnantur vel ad gestationem infamis Sambeniti, vel ad carcerem, vel ad triremes, quibus quandoque vita ipsa redditur supplicium: Aliis autem, licet se convertentibus, & præcipuè relapsis, omnis vitæ spes denegata est: Sine veniâ paratum est ipsis mortis supplicium: Sacramenta interim quibus Ecclesiæ reincorporantur, ipsis petentibus conceduntur: atque itá antequam interficiantur membra fiunt Ecclesiæ, in statu salutis collocantur, & à Sacerdotibus cælestis corona ipsis certò certius addicitur. Quæ major crudelitas, & à Religionis Christianæ genio abhorrens excogitari potest, quam mortem infligere erranti resipiscenti, errorem suum detestanti, & jam Ecclesiæ reconciliato? Verum Ecclesiasticis sanctionibus satisfaciendum est, ut Ecclesiæ autoritas illibata conservetur, licet Jesu Christi leges & Euangelica mandata conculcentur.

Et hæc quidem omnia committuntur juxta ipsas Inquisitionis leges: Multa verò in muneris executione Inquisitorum arbitrio permissa sunt; quos potestate suâ turpiter sæpe abuti ex quotidianâ praxi, & innumeris exemplis apertissimè constat. Ea namque communis omnium populorum contra Inquisitionem querela fuit, quam Thuanus Hist. lib. III. Neapolitanorum fuisse scribit: *Augebat horrorem perversa & præpostera judiciorum forma, quæ contra naturalem æquitatem, & omnem legitimum ordinem in jurisdictione illâ explicandâ observatur: tum etiam immanitas tormentorum, quibus plerumque contra veritatem, quicquid delegatis judicibus libebat, à miseris & innocentibus reis, ut se cruciatibus eximerent, per vim extorquebatur; quo fiebat, ut non jam pietatis tuendæ causâ eam inventam dicerent, cui aliâ viâ satis ex antiquâ Ecclesiæ disciplinâ prospectum esset; quam ut eversis istâ ratione etiam omnium fortunis, liberis capitibus periculum crearetur.* Neque immeritò: cujus vel solum nostrum Belgium, ne exempla aliunde conquiramus, luculentissimum documentum est.

Jam suo tempore de Inquisitione hæc testatus est Erasmus: *Res agitur per relatores, deputatos, ac judices Monachos, nec sincerè, nec legitimâ juris formâ: pronuntiant in carcere tres priores, Monachis duobus testibus, & apparatur rogus.* Et mox. *Nunc interdum Monachi vanum spargunt rumorem, mox veluti suspectum pertrahunt in carcerem, ibi disputant suo more, notantur articuli, & parantur fasciculi.* Idemque insinuavit, pag. 858. *Plurimum interest inter inquisitionem sanctam, & sycophanticam. Inquirit pater in vitam filii, ut curam agat: inquirit medicus in valetudinem amici, ut sanet: sic inquirit is qui diligit Dei domum in impios errores, ut medeatur si possit: si non possit, omnibus tentatis, resecet insanabile membrum, ne malum latius serpat. Sed rursus inquirit aliterius ut prodat: inquirit sector, ut prædam emungat: inquirit scurra, ut calumnietur: inquirit hostis, ut interimat: inquirit tyrannus, ut publicam libertatem opprimat: inquirit & Satanas, circumiens ut leo rugiens quærens quem devoret. Ab hoc Inquisitionis genere oportet Christianum inquisitorem quam longissimè abesse.* Norunt omnes quibus Erasmi stylus ac scribendi ratio perspecta est, eum hac monelâ innuere velle, talem esse Inquisitionem, qualem descripsit, à quâ Christianum Inquisitorem longissimè abesse oporteat.

Tom. 9. p. 860, 861. Advers. artic. monach. Hisp.

Gloriantur Pontificii, Inquisitionem certissimum esse exstirpandis hæresibus remedium. Inprimis Ludovicus à Paramo *lib. 2. tit. 3. capp. 4. & 5.* prolixus est, ut ostendat, Inquisitionis ope passim hæreses esse exstinctas: Tandem caput 4. concludit his verbis. *Hi sunt aliquot ex pulcherrimis fructibus, quos in omnibus regnis, ubi impedimenta non objiciuntur, Ecclesiæ fæcundissimus sancti Officii ager effundit. Verum inter omnes provincias & regiones, Hispaniarum regna uberiores in dies fructus percipiunt. In his enim regionibus cum sanctum Inquisitionis Officium majori severitate sit institutum, atque majori in honore & veneratione à Dynastis & Regibus habeatur; majori etiam autoritate & potentiâ vigeat, unde fidei censores diligentius in hæreses inquirunt, & efficacius eas radicitus evellunt.* Et quia Inquisitio adeò efficax est exstirpandis

hære-

hæresibus remedium, exinde colligit, eam altissimâ Dei providentiâ fuisse institutam ad hæreses exstirpandas. Sed verò quicquid injustum est, ac injustis utitur mediis, Deum autorem habere nequit. Neque ex successu argumentum peti potest, quo concludatur, Inquisitionem à Deo esse: sed inquirendum ante omnia, an doctrinæ Christi genium redoleat. Si ab eo recedat, jam injusta, jam antichristiana est. Multa ab hominibus injustè suscipiuntur, & violenter ac crudeliter ad exitum perducuntur, quibus innocentia opprimitur; quæ tamen Deus justo ac sapienti consilio permittit, licet ea non approbet. Etiam in Japoniâ crudelis persecutio Religionem Christianam à Sacerdotibus Romanis prædicatam exstinxit, adeò ut Religio Catholico-Romana perinde sit violentiâ persecutionum exstincta, atque in Hispaniâ doctrinæ placitis Ecclesiæ Romanæ repugnantes, quas odioso hæresium nomine infamant. Nullum tamen exinde jure deduci argumentum concedent, unde colligatur, persecutionem illam providentiâ divinâ exstirpandæ suæ religioni efficacissimum esse datum remedium. Sanè si aliæ Christianorum sectæ eandem contra ipsos inquirendi diligentiam & sævitiam adhiberent, affirmare ausim, nec ipsos isti Inquisitioni resistere posse, sed paucos intra annos in omnibus Protestantium regionibus religionem Pontificiam penitus fore exstinctam, nec ullum qui eam profiteri ausit repertum iri. Absit autem ut hac viâ religio propagetur Christiana, quæ non fictâ & hypocriticâ constat confessione, sed fide sincerâ ac infucatâ. Cum itaque de eâ nemo judicium sibi possit arrogare, nisi καρδιογνώστης, soli Deo cordium scrutatori judicium de fide permittamus: & Pontificiam tyrannidem detestati, officiis charitatis ac benevolentiæ certemus nostro judicio errantes in veritatis viam reducere, judicium nobis in aliorum conscientias non arrogantes; sed in ultimum illum judicii diem intenti, conscientiam nostram Deo probatam reddamus, ab ejusque misericordiâ judicium æquum ac justum singuli exspectantes indesinenter oremus, Exsurge Domine & judica causam tuam.

F I N I S.



INDEX
PERSONARUM & RERUM,
Quæ in hâc Inquisitionis historiâ continentur.

A.

B.

I.

Q.

R.

S.

T.

FINIS.

